CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

CURANTIBUS

I.-B. CHABOT, I. FORGET, I. GUIDI, H. HYVERNAT

SCRIPTORES ARABICI


SERIES TERTIA

TOMUS XIX

VERSIO

LOVANII MDCCCCXXVI

SYNAXARIUM ALEXANDRINUM



INTERPRETATUS EST

IACOBUS FORGET

PARS POSTERIOR

LOVANII

EXCUDEBAT MARCELLUS ISTAS

MDCCCCXXVI

CORRIGENDA

IN TOMO ALTERO SYNAXARII ALEXANDRINI

Lege, pag. 1, l. 19, pro *mox*, modo (bis) ; pag. 5, lin. 24, pro بعمل, بعلم ; p. 12, l. 11, pro علبهم, عليهم ; p. 13, l. 6, pro انتي, انثى ; p. 18, l. 10, post المغاير, inserendum verbum ليضحي, idemque in l. 11 delendum ; p. 22, l. 20, post كنيستهم, insere يسوع ; p. 23, l. 1, pro الابروكسيس داوود, lege الابركسيس وداوود ; p. 27, l. 23, pro وتعب, وتعجب ; p. 28, l. 4, pro انايهم, ابايهم ; p. 29, l. 14, pro صلي, تصلّي ; p. 34, l. 13, pro قلّما, فلمّا ; p. 45, l. 11, pro محالفا, مخالفا ; p. 48, l. 16, pro فملّكة, فملّكه ; p. 59, l. 17, pro سنه, سنة ; p. 70, l. 19, pro ازاه, اراه ; p. 71, l. 6, pro اذيته فاجابتهِ, اذنيه فاجابته ; p. 76, l. 7, pro المرمنين, المومنين ; p. 79, l. 21, pro واخذه, واحدهم ; p. 81, l. 5, pro العم, النعم ; p. 100, l. 8, pro تذرّع, تدرّع ; p. 107, l. 6, pro قمضوا, فمضوا ; p. 110, l. 21, dele : *pro* البزنطية ? ; p. 119, l. 15, pro بدبّرهم, lege يدبّرهم ; p. 121, l. 22, pro احيته, اختبيته ; p. 123, l. 2, pro وبتعاليمه, بتعاليمه ; p. 124, l. 8, pro فراقته, فرافقه ; p. 134, l. 4, pro الفدس, القدس ; p. 136, l. 2, pro يقتلوهم, يقبلوهم ; p. 138, l. 2, pro الطيب, الطبيب ; p. 146, l. 15, pro Boschons, Bašons ; p. 159, l. 4, pro صادفه, صادقه ; p. 162, l. 6, pro verbo mutilo et ancipite, وجدّد ; p. 169, l. 4, pro واراني, واواني ; p. 177, l. 4, pro ار, او ; p. 180, l. 8, pro ورُضع, ووُضع ; p. 186, l. 17, pro يجرّبه, يجرِّبة ; p. 189, l. 15, pro verbo mutilo, وعبر ; *ibid.*, l. 19, pro جيعون, جبعون ; p. 190, ll. 6 et 8, pro جيعون, جبعون ; p. 193, l. 10, pro ارعبه, ارغبه ; p. 204, l. 4, pro ارصى, اوصى ; p. 207, l. 7, pro واررته, واورثه ; *ibid.*, l. 13, pro شدا يده, شدايده ; p. 228, l. 4, pro والعشرون, عشر ; *ibid.*, l. 10, pro رمن, ومن ; p. 236, l. 1, pro الجسد, الجند ; p. 238, l. 2, pro verbo mutilo et ancipite, اثني ; p. 242, l. 14, pro نذكار, تذكار ; p. 245, l. 9, pro الحبال, والحبال ; p. 258, l. 9, pro تجعلاه, يجعلاه ; p. 264, ll. 8 et 9, pro البزنطية, البرنطية ; p. 286, l. 21, pro Armena, Armenia ; p. 288, l. 16, pro يوريه, يورثه ; p. 294, l. 18, pro الاخرة, الاخوة ; p. 297, l. 24, pro واسطبر, واصطبر.

Ad calcem voluminis arabici hoc folium reponi poterit.

*MENSIS [1] BARMAHĀT BENEDICTUS [2].

HUIUS (MENSIS) DIES PRIMUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus pater Braxius [3], Hierosolymorum episcopus temporibus Alexandri Caesaris, qui christianorum amans fuit. Hic pater erat sanctus, omnibusque viis atque consiliis suis perfectus. Qui dum, ad sedem hierosolymitanam electus, eiusdem populum regimine apostolico moderatur, Alexandro mox defuncto successit Maximianus Caesar, et, persecutionem in christianos movens, episcoporum quosdam interfecit, aliis fugam capessentibus. Sede igitur relicta, in desertum aufugit hic pater. Quo non reperto, populus in eius locum virum constituit, cui nomen Dīmūs, dein [4] alium, qui Gordianus (Agardīnūs [5]) appellabatur. Porro, persecutione sedata, pater Braxius, Hierosolymam reversus, invenit Gordianum sibi a fidelibus suffectum [6], illoque *reverso* gavisus est populus; et eundem rogavit Gordianus ut sedem reciperet, recusantemque oravit ut secum in aedibus episcopalibus [7] commoraretur; cui ille aegre [8] morem gessit. Postea, mortuo Gordiano, solus remansit sanctus Braxius, atque, infirmus et senio confectus, fideles hortatus est ut alium sibi praeponerent episcopum. *Qui cum renuissent, contigit ut vir, cui nomen Alexandro, Cappadociae episcopus, Hierosolymam veniret, in hac *urbe* oraturus et *domum* reversurus [9]. Dum autem, ieiunio absoluto et diebus festis transactis, in patriam redire vult, ecce audita est in ecclesia resurrectionis vox ingens, haec emittens verba: « Exite ad quandam, *quae definite indicabatur*, urbis portam et eum qui primus per illam ingressus fuerit arreptum tenete comitemque Braxio adiungite,

[1] Codd. B C D F haec praemittunt: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, incipimus, Deo — cui sit laus! — auxiliante, ea describere quae pater Anbā Michael, episcopus Atribensis et Meliğensis, aliique patres ad alteram *Synaxarii* partem pertinentia digesserunt. — [2] B add.: cuius dies noctibus aequales, occurrente tunc aequinoctio verno. — [3] Cod. F: Barkīsūs (vel Brakīsūs); G′: Barkyūs (vel Brakyūs). — [4] B C D G′ ins.: Dimo mortuo. — [5] In codd. modo 'Ağardīnūs, modo Ğardīnūs (vel Gordianus) legitur. — [6] Sic ex B C D, ubi quaedam inseruntur quae in ceteris codd. desunt — [7] Ad litt.: in cella. — [8] B C D ins.: per annum. — [9] B: oraturus et festum ibi celebraturus.

ut huic auxilium praestet. Et cum ad portam exiissent, Alexandrum sibi occurrentem vi arripuerunt, eumque patri Braxio socium constituerunt, adiumento eidem futurum; quocum *revera*, quandiu ille superstes fuit, remansit. Gessit autem hic pater *Braxius* munus episcopale[1] annos triginta septem, totiusque vitae tempus ad annos centum et sexdecim protensum.

Eiusdem preces benedictionesque nobis adsint. Amen.

Eodem die, commemoratio Anbā Mercurii (Marqūrah) episcopi.

Eodem[2] item die martyrio affectus est sanctus Alexander. Hunc, ex urbe Roma oriundum, eo quod idolis immolare renuebat, cruciatibus addixit Maximianus impius, manuque suspensi pedibus lapidem gravem alligavit. Dein verberatus est, latera dilacerata, faces ardentes ori eius impositae; et cum nec ulla istorum tormentorum vi ad parendum flecteretur, decollari iussus, martyrii coronam consecutus est.

Ipsius intercessio nobis adsit.

Mensis Barmahāt dies secundus.

Hodie martyrium subiit sanctus ac beatus Anbā Makrāwah[3], episcopus. Erat hic pater *unus* ex civibus, et quidem ex primoribus, *urbis* Ešmūn Ǧarīsāt[4], constitutusque est episcopus urbis *p. 3. Niqyūs. *Tempore autem persecutionis, ad regionem illam se contulit praefectus ab imperatore missus, cui nomen Yūlānyūs, et, sancti episcopi fama ad se delata, eum per nuntios arcessivit. Qui ad sacrum altare accedens, manibus in altum sublatis preces fudit; tum in quendam templi locum reposuit vasa sanctuarii et casulam qua ad sacrum faciendum utebatur, Christum rogavit ut Ecclesiam suam custodiret, flensque exclamavit : « O portas filiae Sion, quas ignis non situs est invadere ! » Dein cum legatis ad praefectum profectus est. Qui ab eo sciscitatus nomen, urbem *in qua habitaret*[6] et artem quam exerceret, postquam didicit eum episcopum esse civitatis, eundem iussit

[1] B ins. : a primo quo constitutus fuerat die usque ad mortem. — [2] In G′ martyrium hoc diei secundo adscribitur. — [3] B D : Makrāwī ; G′ Makrūwah. — [4] B D : Ḫarīsat ; C : Ǧarsyah ; G′ : Farsān (vel Forsān). — [5] Vel : *in qua natus esset.*

verberari contumeliisque affici, tum argentum liquefactum in eius guttur infundi ; dehinc illum misit ad Armānyum, Alexandriae praefectum, qui praecepit ut carceri mandaretur. Deus autem multa miracula per manus eius patravit. E quorum numero hoc fuit. Iulio Aqfāṣensi filius erat cui nomen Eucharistus[1] et qui alterius manuum et alterius pedum paralysi laborabat. Is, precibus pro ipso a sancto fusis, sanatus est, postquam *nimirum Makrawah* missam in domo Iulii celebravit, familiam eius sacra refecit communione et inter utrumque convenit ut *Iulius episcopi* corpus curaret et vitam conscriberet. Armānyus vero, certior factus de miraculis quae sanctus *vir* patravisset, iussit eum, membris compressis discerptisque, varie torqueri, leonibus rapacibus obiici, in mare demergi et in fornacem ardentem iniici; atque ex omnibus istis *certaminibus ille* Christi virtute victor evasit. Erat autem ei soror virgo, cui nomen Maria (Maryam), ecclesiae famulatui addicta, itemque duo fratres, quorum alter Iohannes (Iūnas), Isaacus alter appellabatur. Hi illum in carcere constitutum convenerunt, eique coram lacrimantes dixerunt : « Quomodo discedis, nobis derelictis, qui pater nobis in locum parentis defuncti successeras ? » Quos consolatus est et domum remisit. Porro Iulius praefecto suasit ut sententiam de illo sene scriptam ederet, ab eodem *deinceps* non inquietandus. Morem ei gerens, iussit *praefectus* caput illius amputari ; et, sacro capite absciso, Iulius sanctum corpus acceptum et fasciis pretiosis atque inauratis involutum, cruce aurea pectori imposita, misit, famulis comitantibus, in illius urbem Niqyūs. Itaque navis, vento afflante secundo, applicuit ad Ešmūn *Ǧarīsāt ; unde, cum enavigare *p. 4. vellent, non potuerunt, sed, postquam *frustra* defatigati sunt, vox e corpore emissa est, *haec* dicens : « Hic est locus in quo vult Dominus corpus meum depositum. » Ea re audita, urbis incolae illi *sancto corpori* occurrerunt, ramos palmarum gestantes, idque honorificentissime delatum in urbe sua collocarunt. Totum vitae illius *sancti* tempus anni fuerunt centum et triginta unus, ex quibus octo *effluxerant* priusquam libros Ecclesiae edisceret, tum viginti quattuor donec diaconatus gradum assequeretur, dein, ad ordinem presbyteratus promotus, annos permansit

[1] A : 'Awḫārīṭos ; B C D F : 'Awḫārīsṭos.

triginta [1]; et, bono certamine consummato, coronam vitae a Domino nostro Iesu Christo consecutus est.

Precum eius benedictio nobis omnibus adsit. Amen.

Mensis barmahāt dies tertius.

Hodie requie donatus est beatus pater Anbā Cosmas (Qosmā), qui sedem Marci apostoli patriarcha obtinuit. Cum esset hic pater iustus, purus, continens, misericordia insignis, librorum Ecclesiae eorundemque explicandorum gnarus, ad munus patriarchale electus est. Et ubi *in praefectura* constitutus exstitit, gregem Christi regimine prudenti et cum timore Dei moderatus est, quae sibi ex rebus vitae necessariis superessent pauperibus distribuens et in ecclesias aedificandas expendens. Eum autem Satanas, quoniam recte degentem videbat, non reliquit tristitiae expertem, sed molestia affecit, quae fuit huiusmodi. Regioni Aethiopum episcopum praeposuerat, cui nomen Petro. Postquam autem episcopus ad sedem suam pervenit eamque aliquamdiu occupavit, aegrotavit Aethiopum rex et episcopum memoratum simulque duos filios suos arcessivit, et coronam regiam a proprio capite detractam episcopo tradidit, dicens : « *Ad Christum ego proficiscor ; itaque utrum tu noveris post me regno idoneum, eum corona donabis. » Rege defuncto, episcopus una cum ministris regiis [2] filium natu minorem censuit esse regno magis idoneum quam maiorem, illumque regio cinxit diademate. Qui, solio potitus, in hoc aliquanto tempore firmus constitit. Verum duo monachi monasterii sancti Antonii, quos Satanas invaserat, pacto inter se inito ut eorum alter episcopus vocaretur, altero eidem in morem discipuli adhaerente, ad Aethiopum fines sese contulerunt et epistulam patris patriarchae confinxerunt, qua haec continebantur : « Audivimus ad vos pervenisse virum nomine Petrum, qui contendit episcopum se esse, cum tamen non a nobis missus, sed mendax sit. Contra vero qui ad vos adveniet praesentes deferens litteras, is episcopus est. » Subiungebant porro iidem in epistula : « Item audivimus, ab illo filium regis *defuncti* natu minorem

[1] B D G′ ins. : tum, constitutus episcopus, in episcopatu permansit annos septem et triginta (D G′ : et sexaginta). — [2] Ad litt. veziris.

regno donatum esse, maiore seposito ; quod, utpote iniustum, non licebat. » Tum, in Aethiopiam ingressi, filio regis natu maiori epistulam fallacem exhibuerunt, quam gestiens ille ministris et primoribus regni a se convocatis perlegit. Unde Petro episcopo expulso Mīnam mendacem suffecerunt, regique deturbato fratrem substituerunt natu maiorem. Quarum rerum fama ad se delata, pater patriarcha, gravi affectus maerore, epistulam scripsit atque misit ut Mīna excommunicaretur, isque excommunicatus est et interfectus. *Tum* patrem Petrum episcopum requisierunt, sed non invenerunt ; neque *tamen* adduci potuit pater patriarcha ut *alium* quemquam illis consecraret, eumque successores usque ad quintum patriarcham imitati sunt. Fuit autem vita huius patris, si negotium de Aethiopum causa excipias, pacis plena ac tranquillitatis, sedeque annos duodecim potitus, in pace quievit.

Ipsius preces nobis adsint. Amen.

Eodem [1] die ad requiem admissus est sanctus Ḥadīd. Is, gratia Spiritus sancti repletus, plurima patravit miracula ; *universis ad se accedentibus ea manifestabat quae corde gererent, causamque aperiebat cur ipsum adirent. Singulari apud omnes homines, sive fideles, sive infideles, pollebat auctoritate. In Baṭūs ab aerumnis huius mundi [2] requievit.

Eius precatio nobis adsit. Amen.

Eodem item die martyrio affectus est sanctus Barfūnyūs [3], ex Bānyās [4] oriundus.

Huius patris intercessio atque benedictiones nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

[1] Hic istius relationis tenor ex cod. D : Hodie ad requiem admissus est pater sanctus et beatus, amore Dei perfectus, Anbā Ḥadīd, presbyter. Hic pater virtute miraculorum et prodigiorum donatus erat, itemque charismate prophetiae ad cognoscenda mysteria et secreta cordium perspicienda. Ad eum homines ventitabant, illos solabatur et eorum morbos sanabat. Memoriae proditum est, mortuum ab eo suscitatum fuisse. Vitam produxit ad aetatem plurium quam centum annorum et post senectutem honestam mortuus est. Preces eius nobis adsint. — [2] F : In Naṭūbos, die tertio mensis Barmahāt. — [3] B : Barūfūmūs ; C : Barfūnyās ; F : Barūfūnyūs ; G′ : Barfūryūs. — [4] B : Nānyās ; C : Tānyās.

Mensis barmahāt dies quartus.

Hodie coactum est concilium in insulam filiorum 'Amr contra nonnullos qui Quartodecimani appellabantur. Ii gloriosum Paschatis festum cum Iudaeis luna *mensis* nīsān decima quarta, in quemcunque hebdomadae diem illa inciderat, peragebant. Quibus sese opposuit episcopus insulae; tum epistula ad Serapionem[1], patriarcham antiochenum, ad Democritum (Dīmoqrāṭis), papam romanum, ad Demetrium, patriarcham urbis Alexandriae, ad Symmachum (Sīmāḫoš)[2], hierosolymitanum episcopum, data, certiores eos fecit de haeresi illorum hominum. Quare dederunt singuli litteras, quibus praescribebant ne Pascha celebraretur nisi die dominica festum Iudaeorum subsequente, et eos excommunicabant qui hanc legem transgrederentur aut ei adversarentur. Concilio autem interfuerunt episcopi duodeviginti, iisque perlectae sunt litterae illae sacrae, cumque eos arcessivissent qui aliter sentiebant, et his lectae sunt litterae. Quare errantium nonnulli a prava sententia recesserunt, aliis in errore perseverantibus. His igitur excommunicatis atque anathematizatis, confirmatus est mos Paschatis celebrandi quomodo praeceperunt sancti apostoli, dicentes : « Quicumque festum egerit *resurrectionis Domini die alia ac dominica, is Iudaeos in ipsorum festis *celebrandis* sequitur et a christianis secedit. »

* p. 7.

Dominus nos a fallaciis Satanae custodiat et ab eius machinationibus salvos praestet. Amen.

Eodem die, martyrium sancti ac beati Hayulii (Hāyūlyus)[3] principis in urbe Barga, intra Pamphyliae fines. Hic sanctus, a principe Barniaracho (Barnyāraḫos)[4], ex praescripto Diocletiani, propter amorem quo Christum Dominum prosequebatur et cultum quem ei adhibebat apprehensus, postquam, in conspectu *iudicis* constitutus, fidem in Christum publice professus est et pulchra decantavit cantica, Christum Dominum laudibus, idola vero contumeliis atque maledictis onerans, iussus est ligno affigi. Quare, gratiis Christo Domino actis, qui se dignaretur

[1] D : Sarabāmūn. — [2] B : Šimāḫos ; D : Sīmāḫos. — [3] B : Hābūlīs ; C : Hayukyus. — [4] B : Barnabaḫos ; C F : Bartyaḫos ; D : 'Antyaḫos.

honore martyrii pro sancto eius nomine *subeundi*, spiritum emisit in manus Christi, cui *sit* gloria in aeternum. Amen.

Discite, fratres, sanctum Barfūrium die huic respondente martyrio affectum fuisse. Is erat meritorum fama conspicuus : divitiae eius plurimae, maxima etiam hortorum, servorum, ancillarum et eleemosynarum copia. Quidquid pretiosi rarique in urbe venum ibat nemo alius praeter ipsum solum emere poterat, omnesque proxenetae cunctas res in civitate vendibiles ei veno ponebant. Captivos invisebat eorumque debita solvebat. Postquam autem eiusmodi beneficia, multas largiens eleemosynas, diu praestitit, inimico *Satana* ei omni ex parte invidente et in eum *quasi* rugiente, cum tempus advenisset persecutionis in christianos *motae* et ubique publice denunciarent cultum idolis adhibendum esse, hic beatus *vir*, conturbatus ac timore correptus, surrexit et precibus auxilium a Deo efflagitavit. Inde, spiritu martyrii in eum delapso, extra portam domus suae constitit et dixit : « O Domine, en portam domus relinquo propter nomen tuum apertam ; opem mihi auxiliumque praesta, o mi Deus, hora certaminis a me committendi. » Itaque dum extra portam aedium stat, ecce princeps illac transiit, ipseque exclamavit : « Ego christianus. » Cui ad se adducto princeps : « O navarche Barfuri, quare ita loqueris sponte tua et nemine interrogante ? Abi et domum regredere ; neque enim quisquam te compellavit. » At ille magis *adhuc* clamavit : « Ego christianus, et fidem in Christum profiteor. » Et confestim, cum praefectus ira incensus iussisset sacrum eius caput acie gladii abscidi, vitam aeternam in regno caelorum consecutus est. Civitatis autem incolae eum vehementer planxerunt *et sacrum corpus linteaminibus pretiosis involutum tumularunt.

* p. 8.

Illius precibus Dominus Deus nostri et scriptoris *huius relationis* misereatur. Amen.

Mensis barmahāt dies quintus.

Hodie ad requiem admissus est pius ac sanctus pater monachus Anbā Sārābāmūn[1] archipresbyter monasterii sancti Abu

[1] C : Sarābyūn.

Iohannis. Ille sanctus vitam monasticam a pueris amplexus est in ecclesia sancti Abū Iohannis, et in pietatis officiis atque famulatu seniorum annos duos et triginta perseveravit; tum, archipresbyter monasterio memorato praepositus, paenitentiae ac pietatis operibus sese magis addixit. A tempore suscepti habitus monachici usque ad mortem, diem totum ieiunavit, et, postquam in archipresbyteri munere annos viginti egit, se intra ecclesiam ita inclusit, ut eum nemo deinceps videret usque ad completum annum decimum quintum; et per illud temporis spatium ieiunium non abrumpebat nisi tantum diebus dominicis et sabbatis. Imminente autem hora mortis eius, angelus Domini ei in somnis apparuit, obtulitque crucem igneam, dicens: « Hanc manu accipe. » Cui ille: « Quomodo possum ignem manu apprehendere? » Respondit ei angelus: « Noli timere, neque enim ullam in te vim Christus igni concessit. » Itaque manu protensa crucem ab angelo accepit. Tum angelus: « Confortare et sacram suscipe communionem; nam post tres dies veniam, te abducturus. » Expergefactus, visionem cum senioribus communicavit. Qui ei valedixerunt, flentes rogantesque ut de se recordaretur; atque ipse vicissim eos rogavit ut perpetuam sui memoriam precibus agerent. Dein, die tertio, senioribus sibi adstantibus, *placide* quievit.

Eius preces nos custodiant. Amen.

Eodem die, memoria sanctae Eudociae (Uṭūkyah)[1], cuius nomen gaudium interpretari licet. Fuit haec sancta religione Samaritana, ex *urbis* Baalbek civibus oriunda, nomenque patris Iūnān, matris autem Ḥakīmah. Porro vitae primordia in flagitiis spurcitiisque transegit, vultus pulchritudine atque corporis ornatu plurimos devios et in peccatum praecipites agens, ingentesque divitias eiusmodi spurcitiis comparavit. Cuius fama ad se perlata, *p. 9. *sanctus quidam monachus hierosolymitamus, cui nomen Germanus[2], eam convenit, illorum instar qui ad eam ingredi solebant. Verum ubi cum ea intra domum versatus est, coepit illam verbis tremendis terroremque incutientibus adhortari, atque gehennam, vermem *qui non moritur*, tenebras et horrendorum varietates

[1] C: 'Uḍoksyah (vel 'Awḍoksyah); F: 'Uḍūksyah (vel 'Awḍūksyah). —
[2] Ita ex B C D F; A: Ǵermas.

tormentorum ei exponere. Interrogavit autem *mulier*: « Num post mortem suscitabuntur corpora haec, quae in pulverem versa fuerint, ab iisque ratio exigetur? » Respondit *monachus*: « Suscitabuntur. » Tum illa: « Ast quodnam signum *veritatis* dictorum tuorum, cum ea de re nihil contineatur in Lege Mosi prophetae divinitus data nec quidquam maiores mei tradiderint? » Rem igitur *Germanus* ei argumentis e Lege atque a ratione petitis confirmavit; et ubi ipsius sermo insedit firmus intellectui cordique inhaesit audientis, dixit haec: « Si conversa fuero a vita libidinosa, putasne me a Deo receptum iri? » Et ille: « Si in Christum credideris, eum profitens in mundum venisse hominumque peccata, quorum causa crucifixus est, sustulisse, et si deinceps sinceram egeris paenitentiam et baptismo fueris tincta, ipse te ita recipiet ut nihil iam recordetur eorum quae fecisti et talis tu fias qualis fuisti cum ex utero matris egressa es. » Itaque *puella*, corde ad fidem *recipiendam* patefacto, rogavit eum ut *promissa in se* perficerentur. Unde ab eodem adducta ad episcopum heliopolitanum, coram hoc fidem professa est in sanctam Trinitatem et in incarnationem atque crucifixionem Dei Verbi. Et dum *episcopus* aquae benedicit, illam baptizaturus, vidit *Eudocia*, oculis animae a Domino[1] apertis, angelos a quibus ad caelum trahebatur, aliis angelis ea re exsultantibus; simul autem vidit hominem[2] horrendum, nigrum, aspectu deformem, qui ipsam irato animo ab angelis retrahere conabatur; et propter hanc visionem baptismi ac paenitentiae cupidine magis flagravit. Postquam autem baptizata est, pauperibus ac miseris ea distribuit quae turpi lucro comparaverat et, in monasterium monacharum se conferens, habitum monachicum ibi suscepit et perfectum sustinuit certamen. Porro Satanas invasit quendam ex amatoribus eius, a quo princeps certior factus illam ad se arcessiri iussit. Illuc cum advenit *Eudocia*, in aedibus principis invenit apparatum funebrem et fletum de filio eius mortuo, et ad adulescentem accedens, preces pro eo ad Christum Dominum fudit, isque illum suscitavit; quare princeps Eudociae opera in Christum credidit. Dein *Eudocia*, ab alio quodam principum, cui nomen Diogenes (Dyūǧānos)[3] et qui eius famam audierat, advocata, apud eum

[1] B add.: Custode (ex sollemnibus Dei epithetis). — [2] Ad litt.: personam. — [3] D; Dūǧānos.

militem repperit, altero oculorum captum, et pro hoc quoque oravit, oculum signo crucis signavit ac, facultate videndi restituta, a principe dimissa est. Aliquanto post *regimine potitus est princeps alius nomine Baknūnyūs[1], qui, fama illius ad se delata, eam arcessivit; quare Christum Dominum precata est ut sese martyrum consortem efficeret, et, quum iussisset princeps caput eius gladio amputari, cervicibus abscisis, coronam martyrii consecuta est. Eius intercessio nobis adsit. Amen.

* p. 10.

Scitote[2], fratres, die huic respondente ad quietem vocatum esse presbyterum illustrem Mar Petrum. Fuit hic sanctus totius vitae tempore ieiunans. Sese *cellula* ipse incluserat, orationique die ac nocte vacabat. Dedit ei Deus rerum occultarum notitiam, et quicunque ad eum aegrotans accedebat, ab eodem aqua et oleo quibus benedixerat inunctus, incolumitatem salutemque eius precibus recipiebat. Postquam, licet vehementer reluctans et invitus, presbyter ordinatus est, ne uno quidem die oblationem turis omisit missamve praescriptam. Urbis cives eo *praesente* laetabantur, intra se dicentes, Deum sibi veniam peccatorum illius precibus atque obsecrationibus concessurum. Ex egregie factis quae peragere consueverat *hoc memoratur,* eum, si audivisset duos homines inter se altercari, sese coram eis prosternere et sic alterum alteri reconciliare. Erat hic sanctus quavis pulchra dote apprime ornatus, eique nocte quadam oranti apparuit Petrus, apostolorum caput, dixitque: « Salve, qui sacerdotium intemeratum custodivisti; te iterum atque iterum salvere iubeo, cuius preces et missae ut odor suavis atque amoenus ascenderunt. » Tum, eum videns conturbatum ac sui timentem, haec subiunxit: « Ego sum Petrus, apostolorum princeps; noli timere aut contristari, siquidem a Domino missus sum te solaturus ac nuntiaturus te ex aerumnis huius mundi ad regnum aeternum translatum iri; quod tibi *nunc* praenuntio. » Quare, confortatus et nuntio gaudens, respondit: « Memento mei, o mi pater. » Quibus dictis, in gloria, honore et felicitate perfecta quievit.

Eius precibus et benedictionibus Dominus Deus nostri et *omnium* filiorum baptismatis misereatur. Amen.

[1] B: Bikafyūs; D: Baknīqūs. — [2] Ex uno cod. G′.

Mensis Barmahāt dies sextus.

Hodie supplicium subiit sanctus Dioscorus[1] martyr, temporibus Arabum. Hic *sanctus, e populo urbis Alexandriae oriundus, variis causis ad id adductus fuerat ut, sua suorumque parentum religione relicta, Arabum religionem amplecteretur, in qua aliquandiu perseveravit. Erat autem ei in urbe Phaeumensi (Elfayūm) soror, viri christiani uxor, quae, iis auditis quae illi accidissent, maximo oppressa maerore, haec ipsi litteris denuntiavit: « Equidem, frater, optabam ut mihi mandaretur te christianum mortem oppetiisse, gaudium ex ea re perceptura, non vero ut nuntius deferretur, te a Christo Deo defecisse. » Tum alia plurima subiungebat ac postremo haec edicebat: « Scito his litteris mutuo inter me et te commercio finem imponi; ac proinde noli te mihi deinceps praesentem sistere neque ullam ad me dare epistulam. » Quibus perlectis, ille in multum erupit fletum; tum faciem manuum palmis obtundens et barbae pilos evellens, confestim surrexit, cingulo renes accinxit, preces plurimas fudit cum ingentibus gemitibus et signo crucis se ipse signavit; dein egressus, per urbem coepit ambulare. Quem cum viderent homines, admirati sunt, et apprehensum ad praefectum duxerunt, isque rei causam sciscitatus est. Cui ille: « Ego christianus et mortem christianus obibo. » Itaque multae ei intentatae minae, quibus tamen a sententia deterreri non potuit. Tum praefectus: « Nonne, inquit, religione christianorum abdicata, nostram tu amplexus es religionem? » Respondit: « Christianus natus sum et christianus moriar, neque novi quidquam aliud. » Quare, acerbis verberibus percussus, dein in carcerem a praefecto coniectus est, isque de eo Aegypti regem consuluit. Qui iussit illi *iterum* proponi religionem christianam deserendam et regis religionem amplectendam, eum porro, si paruerit, pretiosa veste honoris causa donari, sin minus, flammis tradi. E carcere igitur eductus est et apostasia ei proposita. Ipse vero recusans ait: « Domino *meo praefecto* iam dixi, christianum me natum et christianum esse moriturum. » Quamobrem comburi iussus est, et, ingenti fovea extra urbem percussa eaque lignis

* p. 11.

[1] A: Disqoros; B C D G′: Disqūros.

oppleta, in eam, ubi submisso igne flamma exarsit, iniectus est; et antea iam ab incolis acriter verberatus et cultris compunctus fuerat. Ita coronam martyrii in regno caelorum obtinuit.

Eius preces nobis adsint.

*Eodem die, memoria mortis sancti Theodoti (Tāwoṭuṭos)[1] confessoris, episcopi urbis Corinthi, quae in Cypro insula sita est. Cur hic sanctus Christum confiteretur in causa fuit Iulius[2], praefecti munere in insula nomine Diocletiani fungens, qui ab eo arcessito poposcit ut, Christo abnegato, idolis tus adhiberet. Quod cum ille recusasset, denudatum *praefectus* flagris ex bovis corio confectis acriter acerbeque verberavit, tum corporis cute detracta, suspendit et lecto ferreo candentique imposuit, quibus tamen tormentis ille nihil nocumenti accepit; dein eiusdem pedes clavis confixit, eumque ad carcerem pertraxerunt quoad Diocletianum interemit Deus, ac regno potitus est imperator pius Constantinus, a quo cum aliis captivis *Theodotus* libertate donatus ad sedem suam reversus est, gregem sibi commissum pavit, et in pace quievit.

* p. 12.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Scitote[3], fratres, die huic respondente Aethiopes peregrinos Aegypti finibus potitos et in omnibus partibus christianorum multitudinem persecutos esse. Erat autem in monte Asiūṭ monasterium in quo cum magistra sibi prefecta monachae novem et triginta, *mulieres* omnino quadraginta, habitabant. Hae virgines precibus multis, perpetuis vigiliis, consueto ieiunandi et prosternendi se more, a Deo liberationem et misericordiam implorabant, easdemque donaverat Deus gratia curationum, ita ut mulier quaecunque aegrotans, si illas adiisset, precibus earum puris sanitatem reciperet. De quarum instituto cum audissent invasores, ad monasterium venerunt; ideo virgines monachae, timore correptae, Deum oraverunt ut sese e tentationibus et calamitatibus eriperet; milites enim monasterium circumstabant eo consilio ut virgines apprehensas in propriam patriam asportarent sibique ducerent uxores. Anus vero iis praefecta easdem sic allocuta est: « Cogitate, filiae, de animabus vestris salvis praestandis ab hominibus illis iniustis atque improbis, et vobiscum considerate qua via eiusmodi salus obtineri queat; » et statim largus ortus est *omnium* fletus, quia milites asceterium *iam* ex omni parte circumsteterant et fores magna vi pulsabant. Tunc monacha adulescentula, quae in monasterio morabatur, magistrae dixit: « Audi, domina mea, quae tibi dicenda habeo. Nos omnes in angustum coniice locum et huic ignem admove, ut ad Dominum commigremus hostia munda. » Et cum adulescentulae verba audissent *ceterae*, magistram sic cohortatae sunt; * « Propera, *mater* benedicta, id perficere quod proposuit haec soror benedicta. » Et illa quidem festinans virgines universas in cubiculum angustum coegit, dicens: « Suscipe, o Domine mi, sacrificium tibi a me oblatum; istae namque patriam reliquerunt ut salutem consequerentur, atque ideo iis melius est hoc modo mori quam ab inimicis illis impiis foedari. Ne igitur imputaveris mihi, Domine, hoc peccatum. » Tum, igne ab ea submisso, fumus ad caelum ascendit, militesque concurrentes, ut virgines igni absumptas invenerunt, magistrae irati sunt, dixeruntque: « Nemo huius facti auctor, nisi mulier quae in arcem ascendit. » Eam autem sic compellabant: « Descende; insanis, neque quidquam nocumenti tibi inferemus. » Ipsa vero, sese e summa arce deorsum proiiciens, spiritum in manus Domini Dei tradidit.

* p. 13.

Precibus eius Dominus nostri misereatur.

[1] D : Tāawṭūṭos ; G′: Tāwōḍūṭos. — [2] A : Yūlīs ; B G′ : Būlos ; C : Yūlyūs. — [3] Ex solo cod. G′.

Mensis barmahāt dies septimus.

Hodie martyrium passi sunt sancti Philemon (Filīmūn), et Apollonius ('Ablānyūs)[1]. Hic Philemon Ariani, praefecti Antinoes (Anṣanae), suffitor[2] erat, Apollonius autem tibicen; mutua inter se amicitia iungebantur et ambo martyrii cupidine flagrabant. Quare Philemon tibiam suam apprehendit et Apollonio dedit; ipse vero, Apollonii veste indutus, praefectum adiit et, Christum confessus, ab illo iussus est sagittis configi. Post eum Apollonius cum tibia ingressus est, et is quoque Christum confessus est. Rem moleste tulit praefectus, et postquam hominem attente consideravit agnovitque eum esse Apollonium tibicinem, se autem

[1] C, ubique : 'Ablābyūs. — [2] B : adiutor ; C D G′ : cantor.

a Philemone deceptum, ira exardescens, praecepit ut et iste alter sagittis configeretur; sed sagitta, in praefecti oculum reversa, hunc disrupit. Ambo tamen sancti, certamine consummato, martyrii coronam adepti sunt.

Utriusque intercessio nobis adsit. Amen.

Scitote[1] fratres, die huius consimili sanctam Mariam martyrio affectam fuisse. Haec sancta Christi Domini primum ignara et, ut fertur, spurcitiae amans erat, atque pessimis moribus addicta. Eam autem, cum voluit Deus ad paenitentiam et conversionem adductam, convenit aliquis sanctorum virorum, isque eandem longa oratione hortatus est et fidem in Christum Dominum docuit, exponens non posse animam *non reddere resurrectionis die omnium operum rationem, eique post mortem et ex hoc mundo discessum iustam mercedem imputatum iri. Respondit illa: « Quodnam doctrinae tuae fundamentum? quippe quae nec Lege a Deo Moysi prophetae data continetur, neque a patribus meis tradita est. » Dictorum igitur veritatem *vir sanctus* argumentis et a Lege et a ratione petitis comprobavit; et *Maria*, postquam, firma rerum persuasione menti ingesta, iis adhaesit, sic interrogavit: « Putasne me a Deo receptum iri, si a vita meretricia conversa fuero? » Cui ille: « Si in Christum credideris, ipse in mundum venit ex... »[2].

MENSIS BARMAHĀT DIES OCTAVUS.

Hodie martyrium subiit sanctus Arianus, Antinoes ('Ansanae) praefectus. Huic enim, postquam sancti Philemon et Apollonius martyrio affecti sunt, dixit fidelium quidam: « Si quid sanguinis eorum sumpseris et oculis tuis imposueris, videndi facultate donaberis. » Accepit itaque sanguinem, oculis imposuit, et ilico vidit. Quare eum magnopere paenituit criminis a se in duobus sanctis torquendis admissi et, idolis suis confractis, in Christum

[1] Haec narratio, et initio et fine mutila, quae haud obscure deprehenditur historiae s. Eudociae (supra, p. 8) cognata, in uno cod. G' prostat. — [2] Hic, dimidia paginae parte in codice vacua, abrumpitur narratio, cuius clausula his verbis continetur, in summa pagina proxime subsequenti prostantibus: ... (ut) caput eius acie gladii amputaretur; et, cervicibus abscisis, martyrii coronam consecuta est. Intercessio eius nobis et amanuensi adsit. Amen.

credidit neque ullum christianorum deinceps cruciavit. Rei fama ad se perlata, imperator Diocletianus litteris missis arcessitum interrogavit cur a numinum suorum cultu descivisset. Qui coepit interroganti miracula et prodigia enarrare quae Deus duorum sanctorum suorum opera patravisset et quomodo isti, mediis in tormentis et membrorum diruptione, ad incolumitatem rediissent. Quare ille, respondenti iratus, iussit eum acerbis premi cruciatibus; dein praescripsit ut in puteum deiiceretur, inibi, ostio desuper occluso, moriturus. Verum misit Christus Dominus angelum suum, qui ex illo puteo eductum statuit iuxta lectum imperatoris. Expergefactus igitur imperator illo viso contremuit, et ubi agnovit eum Arianum esse, obstupuit. Dein iussit eum sacco e pilis confecto inclusum in flumen demergi, quo facto ille spiritum emisit, *sacco *adhuc* inclusus. Porro sanctus, quo tempore propinquis et servis suis valedicere voluerat, iisdem indicaverat, se a Domino visione nocturna didicisse fore ut *Deus* ipse corpus suum ad patriam transferendum curaret. Tum subiunxerat: « Corpus meum in litore alexandrino exspectate[1]. » Cum igitur sanctus in flumen demersus esset, eum, iubente Domino, delphinus Alexandriam allatum in litus eiecit, indeque assumptum famuli Antinoen detulerunt et iuxta corpora sanctorum Philemonis et Apollonii deposuerunt; et qui certamen bonum consummaverat caelestem accepit coronam.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrio affectus est sanctus Matthias apostolus, unus ex duodecim apostolis, qui in locum Iudae substitutus fuerat. Is antea evangelium praedicaverat in regionibus ad quas devenerat, easque ad Domini cognitionem adduxerat. Devenerat autem ad urbem cuius incolae homines comedebant, carne scilicet peregrinorum vescentes et soliti, si quem alienigenam *quasi* venando cepissent, oculos eius eruere, tum in custodiam traditum, die quo captus esset scriptis mandato, herba pascere, quoad, diebus triginta elapsis, eum educerent atque devorarent. Ubi igitur discipulus ad eos ingressus evangelium iis praedicavit, eum apprehenderunt eique, mori usitato obsequentes, oculos eruerunt. Verum priusquam dies triginta eidem complerentur,

[1] B, absone: proiicite.

ad eum misit Dominus Andream huiusque discipulum, qui, ad carcerem se conferentes, illum rerum statum et captivos conspexerunt. De quibus advenis cum audissent urbis cives, eos comprehendere tentarunt, a Satana incitati ut eos morti traderent. At apostolis orantibus Dominus in carcere subter columnam fontem aquae elicuit, quae per urbem se diffundens adeo ascendit ut ad hominum colla pertingeret. Itaque isti, quia angustiis premebantur et de salute desperabant, sanctos apostolos convenerunt, flentes et peccata sua confitentes. Tum *apostoli* : « Credite in Dominum Iesum Christum, et salvi eritis [1]. » Crediderunt universi ; et apostoli, aqua prius suis precibus submota, eos instituerunt et docuerunt mysterium dispensationis christianae, ac dein baptismo in nomine sanctae Trinitatis tinxerunt ; tum Christum exorarunt, qui indolem feram ab illis ita depulit ut mansueti fierent iisdemque escis vescerentur quibus *ceteri* homines, Iis etiam episcopum constituerunt atque sacerdotes, et aliquandiu ibi commorati discesserunt, * illis precantibus ut ad se mox reverterentur. Porro Matthias apostolus, urbem Damascum ingressus, Christi nomen in ea annuntiavit. Quem apprehensum lecto ferreo imposuerunt, igne per septem dies et septem noctes submisso ; et cum accesserunt eius observandi causa, faciem eius invenerunt luce fulgentem solis instar ; nec quidquam e corpore, ne crinem quidem capitis, vel ex vestimentis ignis absumpserat. Rem igitur vehementer admirati, ignem iterum lecto supposuerunt [2], illo semper incolumi. Quare universi in Dominum Iesum Christum crediderunt opera sancti Matthiae apostoli, qui baptismum iis contulit, sacerdotes constituit et cum iis dies plurimos commoratus est, eos in fide confirmans. Postea mortem obiit pulchram ac decoram in quadam Iudeorum urbe cui nomen Qālāwon [3], ubi et corpus eius depositum fuit.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die quievit sanctus pater Iulianus, patriarcha alexandrinus. Hic sanctus fuerat in urbe Alexandria presbyter, scientiaque ita excellebat ut ipsius aetate nemo ei par in Aegypti

[1] Ita ex B ; A, minus convenienter : et salvi facti sunt. — [2] B C D F ins. : usque ad viginti quattuor dies exactos, et postea eum ex igne eduxerunt. — [3] B : Ǧāfālāwon ; D : Ǧāfālāwūn ; C : Fālāwon (vel Qālāwon ?).

finibus inveniretur. Tum, ad sedem patriarchae promotus, regiminis sui tempore varias composuit homilias atque orationes, plebem suam assidue docens, exhortans atque invisens. Sedem apostolicam obtinuit annos omnino decem, et dein in pace quievit.

Preces eius atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies nonus.

Hodie martyrio affecti sunt sanctus 'Andiānūs huiusque uxor, sanctus Eusanius ('Awsānyūs), sanctus 'Armā et quadraginta alii, qui omnes, antequam martyrium consummarent, multis acerbisque tormentis pro nomine Domini nostri Iesu Christi cruciati fuerunt.

Eorum preces nos omnes custodiant. Amen.

*Eodem die quievit sanctus athleta Kūton. *Oriundus* erat hic sanctus ex vico cui nomen 'Anbaṭāyinūs, in Syriae finibus, et parentes eius astra colebant. Pater Nestor appellabatur et mater Theodora, eaque degebant aetate omnes qua apostoli [1] nomen Christi praedicabant. Hic sanctus, ubi adulevit, multis se praeditum praebuit virtutibus, puritateque, continentia ac pietate excelluit. Assiduus quoque erat in misericordia exercenda et scientiis colendis. Parentibus matrimonium proponentibus restitit, sed recusantem coegerunt et uxori copulaverunt. Ab huius tamen concubitu abstinuit, non quidem propter impedimentum *qualecumque* vel infirmitatem naturae, sed ex odio voluptatis ; et ambo *coniuges* manserunt quales erant, illaesa virginitate. Erat porro *Kuton* orationi valde addictus, precibus atque petitionibus insistens, dicensque : « O Deus, dirige me ad tui cognitionem. » Itaque ei apparuit angelus Domini Michael, quemadmodum Cornelio apparuerat, et in fide Christi Domini erudito praecepit ut ad aliquem apostolorum se conferret, a quo baptizaretur. Pergens igitur, baptismo tinctus est, et, officia religionis christianae edoctus ac mysteriorum divinorum factus particeps, apostolis praedicantibus diu inhaesit et magis ac magis enituit puritate, continentia, mortificatione, pietate atque perpetuo

[1] Ad litt. : discipuli. Cf. infra, p. 34, not. 3.

orandi studio ; eumque Deus donavit potestate miracula patrandi ac daemonibus imperandi, et parentes suos, uxorem, huiusque parentes ad fidem in Christum adduxit. Quodam die, cum nonnulli impii speluncam ingressi essent sacrum Satanae faciendi gratia, sanctus *vir*, de ea re certior factus, Satanam acriter reprehendit atque increpavit, ei praecepit ut coram omnibus nomen panderet, et coegit eum ut confiteretur sese daemonem, non Deum esse. Quare multitudo exclamavit : « Unus est Deus Kutonis ; » tumque crediderunt *omnes* et baptizati sunt. De illo autem audivit Claudii ('Aklūdīs) Caesaris legatus, et arcessitum atque fidem in Christum professum iussit vinculis constringi et acerbe verberari ; quod ei revera factum. Sed rei nuntio ad se perlato, urbis incolae ad eum cito concurrerunt, cogitantes ex sancti *viri* amore de principe interficiendo. Itaque aufugit princeps ; ii vero sanctum, vinculis eius solutis et sanguine absterso, in domos suas[1] attulerunt. Qui aliquot *adhuc* annos vixit[2], tumque ad Dominum migravit. Illo defuncto, fideles domum eius constituerunt ecclesiam ipsius nomine dicatam, ad quam eiusdem corpore translato, multa ex hoc prodigia atque miracula prodierunt.

Preces eius nobis adsint. Amen.

*p. 18. *Eodem die, in urbe Alexandria, quievit sanctus Iulianus. Is erat misericordiae exercendae et scientiis excolendis valde addictus. Matrimonium a parentibus propositum recusavit, sed recusantem coegerunt invitumque uxori copularunt. Ab huius autem concubitu abstinuit, non propter aliquod impedimentum aut ex infirmitate naturae, sed ex odio voluptatis ; unde ambo *coniuges*, illaesa virginitate, manserunt quales erant. Porro *Iulianus*, orationi maxime deditus, precibus atque petitionibus insistebat, dicens : . . . .[3].

Mensis Barmahāt dies decimus.

Hodie bina contigit manifestatio venerandae crucis Domini nostri Iesu Christi, *et prior quidem opera Helenae imperatricis, *p. 19.

[1] D (in relatione proxime subsequenti et de sancto Iuliano inscripta) : in ipsius aedes. — [2] D add. : in iis. — [3] Reliqua omnia iis prorsus consonant quae supra habes, de s. Kutone relata.

matris Constantini. Haec quippe beata *mulier* voto suscepto promiserat se, si quando filius suus fidem amplecteretur, ilico ad urbem Hierosolymam profecturam esse, sanctae crucis manifestandae gratia, atque sacra illa aedificia exstructuram. Itaque postquam ea Constantino evenerunt quae inter alia plura die nono mensis Bašons de illius regno et morte scriptis referuntur, se contulit sancta Helena Hierosolymam, comitante magna militum caterva. Cum autem crucem requirere coepissent nec praesto adesset *imperatrici* qui rem indicaret, senem ex Iudaeis apprehendit, quem fame ac siti pressum coegit ad locum illius sibi revelandum. Hinc ipsa iubente montem Golgotha repurgarunt et quaerentibus tres emerserunt cruces, inter quas, quia Christi crucem dignoscere non poterant, hominis cadaver arcessiverunt et allato crucem unam, tum alteram imposuerunt[1] ; illud vero *demum* tertia sibi imposita surrexit, indeque noverunt hanc esse crucem Domini nostri Iesu Christi, quam idcirco et imperatrix et universa fidelium multitudo adoravit. Deinde eiusdem parte cum clavis ad filium transmissa — in aliquot tamen codicibus legitur crucem *ipsam totam* ab ea transmissam esse, neque remansisse nisi truncum cui crux infixa fuerat, — *Helena* coepit illas ecclesias aedificare quae ad diem decimum septimum[2] mensis Tūt memoratae sunt. — Temporibus autem Heraclii imperatoris, dum Persae, Aegypto sub ditionem suam redacta, ad patriam regrediuntur, principum quidam iter fecit per urbem hierosolymitanam et, ecclesiam Crucis ingressus atque ibi splendorem quendam ex parte excisa emicantem videns, protensa dextera fragmentum arripere voluit ; at ignis inde erumpens manum eius adussit. Quare a christianis admonitus hanc esse *sanctam* crucem nec cuiquam, nisi viro christiano, licere ut illam tangeret, duos diaconos apprehendit, quos sibi dicto audientes fecit et crucis fragmentum capsa incluserunt ; atque *hac* cum turma captivorum hierosolymitanorum *assumpta*, in patriam reversus est. At imperator Graecorum, de re certior factus, bellum cum Persis redintegravit, ex quibus cum multos occidisset, plerasque eorum regiones circumlustravit, *neque *p. 20.

[1] B F G' ins. : neque surrexit. — [2] B G' recte : decimum sextum. Cf. tom. XVIII, p. 29.

tamen crucem quam abstulerant repperit. Princeps enim qui eam furatus fuerat duos diaconos adduxit ad locum in horto ante aedes suas situm, ubi in scrobem profundum ab illis percussum fragmentum crucis defodit ; tum ambos diaconos interfecit. Sed in domo eius detinebatur puella ex sacerdotum filiabus, quae, per fenestellam forte circumspiciens, quaecumque ab eo fiebant viderat. Haec Heraclium, Graecorum imperatorem, convenit et rem cum ipso communicavit. Qui, revelatione gaudens, surrexit, et, assumptis secum militibus aliquot, episcopis et sacerdotibus, ad locum *indicatum* se contulit, ibique terram fodientes crucem extraxerunt, quam imperator, a se primum et ab omni populo adoratam, pallio suo involvit. Porro haec quoque die decimo *mensis* Barmahāt evenerunt. Sacras reliquias postea transtulit *Heraclius* in urbem constantinopolitanam.

Domino nostro perpetua sit gloria !

Mensis Barmahāt dies undecimus.

Hodie martyrium subiit sanctus Bašīlāwos [1] episcopus. Sanctum hunc simulque complures alios episcopos sanctus 'Armūn, patriarcha hierosolymitanus, consecraverat, nulli sedi singulari destinatos ; sed eos misit ad doctrinam apostolorum disseminandam per regiones in quibus nulli *adhuc* fideles. Hic igitur sanctus, fines gentilium ingressus, ibi evangelium Christi Domini praedicavit ; verum ab illis expulsus est et omnibus in locis verberibus affectus. Cum tamen Šarḍūnam [2] devenisset et ibi praedicatoris munere fungeretur, nonnulli crediderunt. Ast ab incredulis illius loci *iterum* pulsus et ex urbe egressus, habitavit in spelunca, continuas coram Domino fundens preces obsecrationesque ut illi ad Deum accederent et in Filium eius unicum crederent. Accidit autem ut praefecti regionis filius, qui ei unicus erat, moreretur. Tunc ille, gravi oppressus maerore, in somnis filium suum vidit sibi adstantem et dicentem : « Arcesse sanctum Bašīlāum eumque roga ut pro me intercedat apud Christum Dominum ; in profundis namque tenebris versor. »

[1] B E F : Bastilāwos. — [2] C : Šarṭūbah ; G' : Šarṭūnyah.

Quare expergefactus surrexit et, assumptis secum civitatis optimatibus, ad speluncam sancti tetendit, eumque precatus est ut in urbem * propter filium *mortuum* veniret. Qui petenti morem gerens, urbem ingressus est, et, ipso ad sepulcrum adulescentis orante, resurrexit hic omnibus spectantibus. Itaque princeps cum domo sua et plerisque civibus credidit, eosque sanctus manu propria baptizavit. Sed in urbe complures aderant Iudaei, qui invidia in sanctum moti, societate inita cum iis qui inter civitatis incolas non crediderant eorumque animis in illum incitatis, impetum in eum fecerunt et verberibus caesum per urbem pertraxerunt [1] quoad spiritum in manus Domini efflaret.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies duodecimus.

Hodie memoriam celebramus archangeli puri Michaelis, qui humano generi tutor est fidelis, benignus atque misericors.

Cuius intercessio nobis adsit.

Eodem die festum agimus revelatae virginitatis sancti Demetrii, patriarchae alexandrini. Quae quomodo manifestata fuerit exponemus. Sancto Iuliano (Yūlyānū), patriarchae alexandrino [2], ea ipsa nocte quae morti ipsius proxima fuit, apparuit angelus Domini et dixit : « Ad Christum iamiam migraturus es ; porro qui ad te cras accedet, racemum uvae secum ferens, dignus est qui te in sede patriarchali excipiat. » Postridie igitur ingressus est hic sanctus *Demetrius*, uvae racemum afferens. Quo apprehenso, pater *Iulianus* plebem sic admonuit : « Hic erit vobis post me patriarcha. » Tum adstantibus narravit quae sibi ab angelo dicta. Quare manus illi iniecerunt eumque constituerunt patriarcham. Erat autem matrimonio iunctus, nec unquam huiusmodi patriarcha sedem alexandrinam ante hunc sanctum conscenderat. Unde coeperunt vulgi homines, Satana eos invadente, vitam illius, propter coniugium obloquendo mussitandoque, carpere. Tunc angelus Domini sancto Demetrio apparuit dixitque :

[1] Ita ex B G' ; A, errore manifesto : in urbe clausum tenuerunt. — [2] B C D G' ins. : illius antecessori.

« Quidam ex populo propter te pessum eunt, et necesse est ut, tuum vivendi cum coniuge institutum eis exponendo, suspicionem ex eorum animis depellas. » Quod cum ille moleste ferret, haec subiunxit angelus Domini : « Siquidem pastoris munere fungeris, non oportet tuam te salutem prosequi ceteris propter te pereuntibus, ac proinde saluti plebis tuae consule. » Itaque, postero die, qui dies erat duodecimus *mensis* Barmahāt, postquam missae ministerium complevit, *iussit populum exspectare dum ad eum ipse propius accederet et ignem media in ecclesia accendi, simulque misit qui e gynaeceo uxorem adduceret. Tum, mirantibus universis, quippe qui illius consilium ignorabant, surrexit, oravit et super ignem ardentem ambulavit; dein, prunis acceptis et extremo pallio impositis, diuturno tempore oravit, super ignem *scilicet* stans et ignem pallio continens ; demum uxorem advocavit, in huius peplum ignem deposuit et iterum per longum temporis spatium oravit ; nec quidquam ex alterutrius veste ignis absumpsit. Quamobrem obstupescens populus patrem rogavit ut indicaret sibi cur haec ita ageret, illeque interrogantibus exposuit suam vivendi rationem cum coniuge : a parente invitum se cum puella invita, quae nempe nec ipsa coniugium appetebat, iunctum esse ; ambos autem per annos a matrimonio octo et quadraginta simul dormivisse in uno lecto, sub uno operimento, nec tamen se unquam illa usum esse eo modo quo viri feminis solent; porro per totum hoc temporis spatium angelum Dei singulis noctibus descendisse et utrumque alis obumbrasse; denique se a Domino nunc iussum esse rem manifestare quam nemini per diuturnum illud tempus revelaverat. Idcirco populus, ea admirans quae viderat et audierat ac Christum Dominum collaudans, patrem rogavit ut sibi condonaret peccatum ipsius causa admissum. Qui eorum excusationem accepit, iisque condonavit ac benedixit; et ab eo domum dimissi abierunt, gloriam praedicantes Patris, Filii et Spiritus Sancti, evulgantesque mirabilia quae conspexerant.

Eius benedictiones atque preces nobis omnibus adsint. Amen.

Eodem die, in terra Palaestinensi memoria sancti Malachiae (Malāḫī) martyris. Cuius benedictiones nobis adsint.

Mensis Barmahāt dies decimus tertius.

Hodie sollemnem agimus memoriam adventus sanctorum patrum Abū Macarii (Maqār) Magni et Abū Macarii (Maqār) Alexandrini, redeuntium nempe ab exsilio et ab insula cuius incolas ad fidem in Christum Dominum converterant, patratis inter eos miraculis et prodigiis innumeris, ita ut isti, deposita infidelitate, ad credendum adducerentur. Iis etiam *neophytis*, in ipsorum ecclesia, Deo volente ac praesente, festum celebrarant *cui interfuere Iesus*[1] ipse cum discipulis[2] puris, itemque Cherubim, Seraphim et ceteri angeli luce circumfusi. Quando nempe duo sancti, post neophytorum baptismum, sacrum obtulerunt sacrificium, iis auxilio fuerunt discipuli ; et Paulus quidem *caput legit suarum epistularum, Iohannes legit epistulas catholicas, Lucas legit Actus apostolorum, David propheta legit psalmos, et Dominus Deus noster et Salvator Iesus Christus legit evangelium ; missam vero ex Dei sententia obtulit Abū Macarius Magnus, cui aderat sodalis[3] eius, diaconi munere fungens. Hos autem in communione quoque plebi ministranda adiuverunt apostoli. Ita per dies septem factum. Postea petiit pater Macarius *Magnus* a Domino ut patriarcham iis constitueret. Cui Dominus : « Tu iudicio meo hoc gradu dignus. » At ille flens et reluctans rogavit *Christum* Deum ut sibi liceret ad filios suos monachos in deserto Scetensi (Šīhāt) *degentes* redire ; et petitione exaudita *Domino* proposuit eligendum virum, nomine Iohannem, ex iis qui crediderant. Tum iussit Christus Dominus illum a sancto Marco evangelista patriarcham consecrari, audivitque populus voces multas proclamantes : « Dignus, dignus, dignus patriarcha Iohannes, filius Abū Macarii Aegyptii. » Porro precatus est sanctus pater Macarius Dominum ut suum ipsius caelestiumque spirituum aspectum Iohanni patriarchae revelaret ; quo sibi revelato, *Iohannes* in fide confirmatus est et sacerdotes fidelibus ordinavit. — Aquam salsam et amaram, quae *insulanis* praesto erat et qua usus fuerat ad eos baptizandos, sanctus Abū Macarius oratione sua mutavit in aquam dulcem et sinceram, et haec

[1] Nomen ex contextu haud dubie supplendum. — [2] Intellege apostolos. Cf. infra, p. 34, not. 3. — [3] I. e., Macarius Alexandrinus.

usque adhuc permanet. — Duo sancti secum, Spiritu sancto id praescribente, lagenam olei sacri chrismatis in insulam attulerant, et baptismi quoque tempore supra flumen apparuerunt Dominus Salvator, angeli luce splendentes, discipuli puri atque universae legiones spiritales; chrismaque, quando effusum est, mansit stellis fulgentibus ac rutilantibus simile. Postquam vero illorum *neophytorum* fides ad perfectionem adducta et status confirmatus fuit, ad duos sanctos patres misit Deus cherubim, quorum alis illos Alexandriam transtulit, ubi patriarchae et populo praesentes praesentibus exposuerunt quaecumque Deus opera sua effecisset. Tum, iisdem ab urbe Alexandria ad desertum Scetense transvectis, clamavit unus ex cherubim : « O filii Abū Macarii, patri vestro spiritali occurrite. » Itaque obviam ei venerunt quinquaginta millia seniorum monachorum baculos suos *manibus* gestantium, et laetati sunt *omnes* die illo, qui *factus est* iis dies festus. — De illo exsilio exstat liber, quo enarrantur omnia singulaque quae duobus sanctis in insula evenerint.

Eorum preces atque benedictiones nobis adsint, intercessioque nos in aeternum salvos praestet. Amen.

Hodie in urbe Sebaste (Sabasṭyah) martyrium passi sunt martyres quadraginta, temporibus regis Alfiani ('Alfyānūs)[1], qui et Liticius (Līṭīkī)[2] appellabatur. Is fuerat ex ducibus qui Constantino imperatori suberant, *[p. 24.] et ab illo quarundam regionum Graecorum praefecturam acceperat, monitione adiecta ut Christianos revereretur atque in honore haberet. Qui tamen, ubi in provinciam advenit, idolis cultum adhibuit eademque ab incolis regionis veneranda decrevit; verum in eum insurrexerunt deosque eius contumeliis affecerunt. Nocte subsequenti[3], convenerunt viri quadraginta, ex quibus nonnulli milites vel militum filii, et communi consilio statuerunt ad illum accedere, ut martyrio eius opera coronarentur. Iis porro dormientibus angelus Domini in visione apparuit et animos eorum confirmavit roboravitque. Quare surgentes coram Agricolao[4], cubiculi regii praefecto[5], adstiterunt et Christum Dominum confessi sunt. Ille eos appre-

[1] D : 'Alqyānūs. — [2] G' : Līlīkī. — [3] Ad litt. : In illa nocte. — [4] A et D : 'Agrīgulāwos ; F : 'Agrīgūrīs ; G' : 'Aʿribūlāwos. — [5] In D, Agricolaus non cubiculi praefectus dicitur, sed deversorii possessor, seu caupo.

hendit, et cum intentatis ab eo minis non terrerentur, iussit lapidibus obrui; verum lapides in proiicientes retorti sunt. Quoniam autem iuxta eos aderat aquae stagnum quod gelu obduruerat, et huic proximum balneum, praecepit *Agricolaus* ut in stagnum gelidum deiicerentur. Ubi, cum eorum membra frigore disrumperentur, unus, cui animus defuerat, e stagno egressus et in balneum ingressus, misere periit, id non consecutus quod quaesierat. *Interim* custodum quidam vidit coronas quadraginta caelitus delapsas, et ex his triginta novem capitibus novem et triginta sanctorum martyrum impositas, una remanente suspensa cum angelo; at subito unus militum quibus custodia demandata prodiit et, vestimentis detractis, in stagnum cum sanctis *athletis* desiluit ac coronam quae suspensa remanserat accepit.

In numero illorum *martyrum* erant adulescentes, quos matres hortabantur et confirmabant. Cum autem in stagnum iam aliquandiu demersi adhuc superstites essent, decrevit rex eorum crura fragenda, ut morerentur; sed Dominus eorundem animas ad se recepit, nec permisit ut os in iis comminueretur. Dein iussit *praefectus* corpora plaustro imponi et in mare proiici, igne tamen prius combusta; verum quo tempore transvehenda erant, repertus est adulescentulus nondum mortuus, quem idcirco plaustro non imposuerunt; eum autem attulit ipsius mater et cum sanctis proiicere conabatur; quae dum ab ea re prohibetur eo quod *puer* adhuc viveret, hic in ulnis maternis exspiravit, et *tunc* in plaustrum cum *aliis* mortuis iniectus est; *omnesque* extra Sebasten educti, in ignem missi, igne cremati[1], in mare *tandem* demersi sunt. Tribus post diebus, *[p. 25.] episcopo Sebastes apparuerunt sancti et dixerunt : « Agedum, perge ad flumen, et corpora nostra *ibi* inventa *huc* asporta. » Qui surgens, assumptis secum sacerdotibus, noctu ad flumen se contulit, corpora omnia in unum congesta locum et stellarum instar fulgentia repperit; tum eadem, nulla particula neglecta, accepit atque in locum decentem deposuit, et eorundem memoria in universo orbe celebris evasit.

Preces eorum atque benedictiones nobis omnibus adsint. Amen.

[1] B ins. : cum ignis nihil iis nocuisset (!).

Eodem[1] die quievit sanctus pater Anbā Dionysius[2], Alexandriae patriarcha. Erat hic pater ex parentibus incredulis progenitus, qui Sabaeorum religionem sectabantur, et in plurimis scientiis eruditus, quia genitor eius, cum ex nobili prosapia esset, eum a teneris unguiculis magna instituerat sollicitudine, ut doctor inter Sabaeorum sapientes fieret. Quodam die, propter eum sedentem transivit anus christiana, codicem epistularum Pauli gestans, et ad eum *conversa* : « Visne, inquit, a me hunc codicem emere ? » Codicem cum e manu eius accepisset atque oculis lustrasset, res stupendas inibi repperit ac scientiam admirabilem, et mulieri dixit : « Quanti vendis codicem istum ? » Respondit : « Ceratio auri. » Tria dedit *Dionysius* ceratia, subiunxitque : « Abiens, partes ceteras require, et quidquid occurrerit affer mihi, pretium acceptura. » Illa igitur tres alios codices attulit et septem accepit ceratia. Codices autem legendo, opus invenit *emptor* mancum, et a muliere portionem reliquam petiit. Quae respondit : « Haec tantum repperi inter libros maiorum meorum, et si opus integrum cupis, id a ministris Ecclesiae postula. » Tum ille : « At si postulem, nonne recusabunt ? » Muliere negante, ad sacerdotes venit atque ab iis petiit epistulas Pauli, quas sibi traditas perlegit memoriterque didicit, et in Christum credidit. Tum sanctum Demetrium patriarcham convenit, et ab eo res necessarias edoctus ac baptizatus, perfectus evasit in scientia ecclesiastica, eumque sanctus Demetrius constituit filiis ecclesiae magistrum. Postea pater Bāriclā, ad sedem patriarchalem promotus, eum assumpsit qui vice sua Alexandriae fungeretur in causis fidelium diiudicandis, eique commisit universa negotia patriarchatus administranda.

Mortuo autem sancto Bārūklā[3], unanimi totius populi suffragio electus, gregem regimine *vere* christiano moderatus est, neque suis temporibus molestiarum multarum expers fuit. Electus enim fuerat regnante Alexandro imperatore, qui christianorum amans erat. At qui hunc aggressus *occidit et locum eius occupavit, Decius, magna fidelibus intulit mala ac martyres plurimos ex patriarchis, episcopis et reliqua credentium multi-

*p. 26.

[1] In G′ haec relatio prostat multo brevior. — [2] A : Dyūnāsyūs ; B : Dyūnīsyūs ; F : Dyūnūsyūs. — [3] Sic A ; B F : Yāroklā (vel Yāriklā).

tudine interfecit, et complures qui ab eo propter metum in deserta aufugerant mortem ibi oppetiere ; eiusque milites patrem hunc *Dionysium* apprehensum multis affecerunt contumeliis. Postquam tamen impius ille interiit et successit Gallus[1], toto tempore quo hic regnavit persecutionis immunes fuerunt filii baptismi. At cum et ipse obiisset, Valerius[2], qui ei successit, denuo persecutionem in Ecclesiam movit. Istius legati hunc patrem apprehensum custodiae mandarunt et magnis acerbisque cruciarunt tormentis ; tum eum ad idolorum cultum adegerunt ; ille vero respondit : « Nos Deum Patrem et Filium eius Iesum Christum adoramus. » Cui succensens et graves intentans minas imperator complures eo praesente interfecit, neque tamen quidquam ad eius sententiam mutandam profecit. Eum igitur aliquandiu exsulare iussit ; dein revocatum ab exsilio sic compellavit : « Nobis nuntiatum est te seorsum secedere et missam offerre. » Cui patriarcha : « Preces nostras neque de nocte neque de die omittimus : » tum ad populum qui ipsum circumstabat conversus : « Abite, inquit, et missam offerte ; quod si corpore a vobis absens ero, at spiritu certe vobiscum versor. » Itaque princeps iratus eum in exsilium iterum misit. Sed huic impio Deus oppugnatorem ex barbaris suscitavit, regnumque filio eius tradidit, qui, cum sapiens esset, fideles captivos dimisit, eos qui erant in exsilio revocavit, et patriarchae atque omnibus episcopis epistulas dedit quibus et pacem spondebat ac securitatem, et hortabatur ut ecclesias suas aperirent, nemine iis obsistente. Reliquam vitae partem hic pater tranquille ac pacifice transegit.

Temporibus eius ortae sunt factiones multae in re religiosa ; ex quibus ea fuit cuius asseclae, e regionibus Arabiae ('Arābyā) orti, errore nefando opinabantur animam cum corpore mori et cum eodem resurrecturam. Contra eos concilium coegit, eosque excommunicavit, sicut et alios qui errores Origenis et Sabellii[3] sectabantur. Iam grandaevus erat cum prodiit Paulus Samosatensis, Antiochiae patriarcha, in Filium *Dei* incredulus, adversus quem convenit concilium antiochenum. Huic pater

[1] Ita ex historiae veritate ; cod. A : Ġarallāwos (?). — [2] A : Walāryūs : C, rectius : Falāryānūs. — [3] Ita ex D ; A : 'Awrīḥās et Sīlyūs ; B G′ : 'Awriġānos et Salyūs ; C : 'Aryūs et Salbyūs ; F : 'Awrīḥās et Sabalyūs.

Dionysius propter aetatem provectam interesse non potuit, sed litteras misit omnis sapientiae et gratiae plenas, quibus sanam tuebatur doctrinam. Senectutem bonam assecutus et sede apostolica annos septemdecim potitus, ad Dominum translatus est.

Preces eius nobis suffragentur. Amen.

*Eodem [1] die, sanctorum patrum Abū Macarii Magni et Abū Macarii Alexandrini reditus ab exsilio, postquam insulani ad fidem in Christum conversi sunt. [2]

Preces eorum nobis adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus quartus.

Hodie [3] quievit pater patriarcha Anbā Cyrillus, urbis Alexandriae patriarcha, cognominatus Ibn Laqlaq [4]. Obiit in monasterio 'eš-Šam'ah, feria tertia benedicta quae fuit dies decimus quartus mensis Barmahāt anni nongentesimi quinquagesimi noni, secundum aeram Martyrum. Promotus fuerat die duodecimo mensis Būwonah anni nongentesimi quinquagesimi primi.

Eius preces et benedictiones nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium subiit sanctus Šenūdah, patria behnesaeus. Hic vir sanctus apud Maximum [5] principem, qui regendi munus Diocletiani auctoritate obtinebat, accusatus quod christianus esset et ab illo arcessitus ac de fide interrogatus, Christum unum verum Deum esse confessus est. Quare praecepit *Maximus* ut humi stratus fustibus quos milites manu gestabant verberaretur; quod in eo ita factum est ut caro dilaniaretur et sanguis per terram deflueret. Dein pedibus pertractum tenebroso foetidoque carcere incluserunt. Ei autem apparuit angelus Domini Michael, qui eum confortavit, corpus curavit, vulnera sanavit, et haec profatus est : « Forti animo esto et noli timere ; tibi enim corona gloriosa propter labores parata est. Mox acerbis tormentis cruciaberis, sed tibi adero, prout praecepit mihi Dominus. » Tum discessit ab eo *angelus* ; et postquam dies illuxit, dixit princeps militibus : « Ite, videte num ille regiae potestatis contemptor mortuus sit, eiusque cadaver proiicite. » Qui cum venissent,

[1] In uno cod. F. — [2] Cf. supra p. 23. — [3] In uno cod. A. — [4] I. e., Filius ciconiae. — [5] A : Maksīmūs ; C : Maksīmyānūs.

stantem et orantem repperer unt, remque principi nuntiarunt. Is [1], miratus eum vivere et corpus vestimentis spoliatum contemplans sanum, obstupuit dixitque: « Hoc magiae portentum insigne. » Tum iussit eum capite deorsum verso suspendi et ignem subter accendi ; quod factum est. Postea equuleo pressus est et flagris acerbe dilaniatus ; et princeps, quando defatigatus est torquere, praecepit ut gladiis in speciem lusus dissecaretur. Quare discerptum *canibus obiecerunt, qui tamen eum non attigerunt ; sed, nocte superveniente, eundem fideles subreptum, linteaminibus novis involutum, pretiosis delibutum unguentis et arca inclusum, humo mandarunt.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die [2] martyrium subierunt sancti 'Augānyūs [3], 'Agābudros [4] et 'Alnīdyūs [5]. Isti sancti christianam retinebant religionem, a parentibus et maioribus acceptam, incedentes in via Dei, sedulam navantes operam cuivis scientiae divinae comparandae. Quos sanctus Ermus ('Armūs) [6], patriarcha hierosolymitanus, elegit atque episcopos consecravit, nulla sede unicuique assignata, sed eos mittens ad evangelium nuntiandum ac disseminandum. In multis igitur urbibus praedicarunt, et in quadam civitate ab incredulis apprehensi, acerbis verberibus absque ulla misericordia caesi, lapidati, vinculis constricti et *iterum* verberati, super terram *denique* pertracti sunt quoad morerentur.

Eorum intercessio et benedictiones nobis omnibus adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus quintus.

Hodie ad requiem admissa est sancta et pura bellatrix Sara monacha. Haec monacha ex Aegypti superioris finibus orta erat et ex parentibus christianis progenita, quibus amplae suppetebant facultates neque alia proles concessa. Istam igitur sanctam instituerunt atque erudierunt in omni philosophia christiana et artem scribendi edocuerunt. Ipsa autem assidua erat in legendis

[1] B G' ins. : eum arcessivit. — [2] Conferatur de ministerio et martyrio consimili relatio paulo longior ad diem huius mensis 11um, sup. pag. 20. — [3] B F : 'Awhānyūs ; C : 'Awhānūs ; E : 'Ahābyūs ; G' : Lawgālyūs. — [4] C : Galīdros ; E : 'Agābūdūs. — [5] B : 'Albīdabūs ; C : 'Alīdūs ; E F : 'Albūdyūs. — [6] B : 'Aryūs.

libris ecclesiasticis, imprimisque monachorum annalibus ; et concepto propter hanc in illis legendis assiduitatem desiderio vitae spiritalis atque asceticae, ascendit ad quoddam virginum coenobium in Aegypto superiore situm, ubi complures annos commorata est, virginibus famulans ; tum ibidem vestem monachicam induit, perseveravitque annos tredecim in bello gerendo cum daemone ac voluptate, quoad Satanas, ab ea devictus et taedio affectus atque maerore propter illius constantiam et firmum puritatis amorem, consilium cepit eam in superbiae peccatum inducendi. Itaque * versanti in solario monasterii sese praesentem exhibuit dixitque : « Exsulta, Sara, quoniam Satanam debellasti. » Quae respondit : « Equidem mulier infirma eum superare nequeo, nec quisquam nisi Christus eum debellare et a me arcere potest. » Porro haec sancta virginibus quibuscum vivebat multa proponebat effata utilia, e quibus haec memorantur : « Ne me spe longiore decipiat hostis, quoties pedem imo scalarum gradui impono et ad gradum superiorem porrigo, non omitto cogitare me esse morituram priusquam summas scalas attigerim; » dixit etiam : « Utile est ut se homo, etiamsi propter homines, misericordem praebeat. » *Alia eiusdem* effata plurima annalibus monachorum continentur. Perseveravit haec sancta in egregio certamine sustinendo, et cum habitaret in monasterio ripae fluminis adiacenti ibique annos sexaginta permanserit, nemo unquam eam vidit *flumen* illud intuentem. Postquam senuit et aetatem attigit prope octoginta annorum, a vinculis huius mundi soluta, ad perpetuam transiit felicitatem.

Benedictiones eius nos custodiant. Amen.

Eodem die, memoria Heliae (Halyās)[1] martyris ex Ahnās *oriundi*. Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus sextus.

Hodie requie donatus est sanctus pater Anbā Michael[2], Alexandriae patriarcha. *Hic pater erat monachus in ecclesia Abū

[1] Ita ex B F G' ; A : Halnās. — [2] De Michaele hoc loco multo brevius agit D, ubi ea tantum referuntur quae ad electionem eius attinent, nihil vero de iis quae fecerit patriarcha vel passus fuerit. Altera de eodem viro relatio infra occurret, ad diem 20um huius mensis.

Macarii, idemque pietati et mortificationi addictus. Mortuo patre Anbā Theodoro patriarcha, patres episcopi dies plurimos in *urbe* Miṣro[1] congregati remanserunt, dubii de eo qui ad illud officium aptus foret, quoad vir quidam sanctus hunc patrem iis indicaret. Dein alius vir sanctus, cui inerat gratia prophetiae, haec cum iis communicavit : « Versabar, ait, in ecclesia sancti Abū Macarii, preces fundens, et tunc vox e caelo venit affirmans Michaelem illo munere dignum esse. » Huic omnis episcoporum coetus gratias egit ; tum recordati sunt *Michaelem* multis dotibus insignem esse, eumque unanimi consensu eligentes, epistulam a praefecto Miṣri obtinuerunt ad illum e monasterio arcessendum ; et ab *urbe* el-Gīzeh profecti[2], eum invenerunt cum monasterii senioribus laborantem. Quem apprehenderunt et ligatum consecrarunt patriarcham, die decimo septimo mensis Tūt. Porro cum per tres annos Alexandriae incolae pluvia vix non omnino caruissent, illo ipso die et postridie ac tertio die imber decidit abundans.

Temporibus huius patris, fideles magnis oppressi fuerunt calamitatibus, plurimique Aegypti regiones reliquerunt, et eorum qui Christum abnegarunt numerus attigit viginti quattuor millia ; quod patrem patriarcham ingenti affecit tristitia, donec Deus eum interemit cui res imputanda. Temporibus *item* huius patris, Melchitis praeerat patriarcha nomine Cosmas, qui cum hoc patre disceptavit de affirmanda unione : evicit *Michael* duas esse Christi naturas, et litteras ei dedit Cosmas, Melchitarum patriarcha, quibus asserebat Christo post unionem unam naturam incarnatam, prout docuit Cyrillus, episcopis huic doctrinae subscribentibus. Porro in *Cosmae* formula statuebatur, de Christo post unitionem non affirmandas esse duas naturas separatas, neque duos *filios* affirmandos, neque duas personas. Et cum ea de re inter ambos *praesules* conveniret, eo deventum est ut una fieret Ecclesia ; nec recusavit Cosmas, Melchitarum patriarcha, quin episcopus *urbi* Miṣro praeficeretur, omnesque huic ordinationi consenserunt. Discordiam tamen inter eos movit vir e Melchitis, nomine Anastasius ('Anasṭāṭyūs)[3] et patria

[1] Hoc eodem vocabulo et Aegypti regio et urbs el-Qāhirah designantur. — [2] B add. : Beheram (el-Boḥayrah). — [3] Ita ex B G' : A : 'Anasṭātasyūs : C : 'Asṭāsyūs.

* p. 31. alexandrinus, *qui eo tendebat ut episcopus ipse constitueretur, sed repulsam passus est. Ceteris autem non iam idem sentientibus [1], Constantinus, Miṣri episcopus [2], lubens se subiecit auctoritati Anbā Michaelis.

Quod vero attinet ad huius patris vitam, multas perpessus est a regibus iniquis molestias, graviaque sustinuit tormenta, plurimis affectus verberibus, carcere diu clausus et vinculis ferreis constrictus; saepe etiam in eo fuit ut decollaretur, sed a Domino ad populi regimen incolumis servatus est. Dein dimissus est *a rege persecutore*, ut Aegyptum superiorem peteret eleemosynasque colligeret illi transmittendas. Illuc igitur profectus, plurima ibi miracula patravit et multos reduxit ex iis qui religionem suam reliquerant. Ubi de hoc patre et de eius captivitate ac tormentis audivit Aethiopum rex, eum tuendum suscepit, Aegyptios solatus est et, in Aegyptum superiorem ingressus cum centum millibus equitum et centum millibus camelorum, regiones multas vastavit. Cum autem intellexisset rex Aegypti haec propter patriarcham fieri, dimissum honore prosecutus est; ipseque pater ad Aethiopum regem, ei benedicens, misit qui certiorem eundem faceret se libertate donatum esse, moneretque ne ulterius procederet, sed in patriam reverteretur. Litteris perlectis, ille reversus est. Postquam cursum suum ac certamen complevit hic pater, ad Dominum, quem amabat, translatus est.

Ipsi *Deo* gloria in aeternum, nobis autem misericordia eius. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus septimus.

Requie donatus est pius iustusque Eleazarus ('Al'azar) [3], Domini amicus et ab eo ex mortuis suscitatus. Erat hic sanctus e numero filiorum Israelis et sorores habebat Martham et Mariam, quae Dominum unguento unxerat; et omnes erant discipuli Domini nostri Iesu Christi, ab eoque propter virtutes suas diligebantur, nec eorum quisquam matrimonium inierat.

[1] Incisum in textu arabico obscurum. — [2] C add.: Melchita. — [3] Sic hoc loco appellatur qui vulgo Lazarus.

Adveniente autem tempore quo huic patri exsolvendum erat debitum naturae humanae impositum et bibendus calix qui hominibus universis necessario bibendus est, debitum illud solvit die huic respondente. Porro Dominus — cui sit laus! — qui a principio saeculorum noverat *virum hunc iustum hodie moriturum et a se suscitatum iri, non aliam ob causam sivit eum mori, *in eodem loco* manens donec quattuor dies effluxissent, nisi ut iam foetentem suscitaret et ita maius fieret miraculum, itemque ut ille eo temporis intervallo bonorum et malorum inviseret sedes. Tunc venit Dominus — cui sit gloria! — ac mortuum suscitavit, quemadmodum testatur Iohannes theologus, ubi refert illum, a Domino post quattuor dies evocatum, egressum esse, manus autem, pedes et faciem eo modo involuta fuisse quo mortui consueverunt. Egressus eius manentibus ligaminibus illis miraculum fuit non secus ac *ipsa* suscitatio. Causa autem cur eductus sit manentibus involucris, quae nempe non iusserit Dominus intra sepulcrum solvi, fuit amotio cuiusvis dubitationis de morte vera, ne nimirum putaretur fallaciam ex amborum consensione intercessisse. Itaque praecepit ei Dominus ut exiret *institis* adhuc ligatus, et ideo maius factum est miraculum. Quod si, rebus ita se habentibus, ponamus dici eum vivum *semper* fuisse, quomodo, quaeso, exiit manibus et pedibus ligatis ac facie involuta? * p. 32.

Domino nostro Iesu Christo gloria in saecula saeculorum. Amen.

Eodem die, memoria Georgii servi, Blasii (Balāsyūs) [1] martyris et Iosephi episcopi. Omnium benedictiones nos custodiant. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus octavus.

Hodie martyrio affectus est sanctus Isidorus (Isīdros), Sīnae sodalis. Erat hic Sīnā e numero equitum expeditorum praefecti el-Farmae, ex incolis Daqyās [2] coactorum, et sanctus Isidorus, amicitia illi devinctus, lanariam exercebat artem; atque ambo ex iis quae lucrati essent elemosynas erogabant. Nocte quadam, visione donati sunt, qua oculis exhibita est virgo coronas afferens

[1] C: Balāṣyūs; C': Balānyūs. — [2] B C': Dafnāš; C: Daqnāš.

atque capitibus ipsorum imponens. Qui expergefacti somnium alter cum altero communicarunt atque ea re gaudentes intellexerunt se a Domino ad martyrium vocari. Quare, cum praefectum adiissent, cingulum solvit Sīnā et ante illum proiecit, amboque, Christum Dominum confessi, iussi sunt in vincula conici, Domino tamen solatium iis per angelum ad eos missum suppeditante. Porro Sinam praefectus in urbem Alexandriam misit, * p. 33. Isidoro relicto; *sed aliquanto post Alexandriae praefectus rediens Sinam el-Farmam reduxit, et, mutuo occursu laetantes, alter alteri enarrarunt quae sibi accidissent. Utrumque vero praefectus acerbis affecit cruciatibus, tum iussit foveam sancto Isidoro percuti, igne in eam iniecto [1]. Itaque ille milites rogavit ut paulisper exspectarent dum ipse oraret; et oravit, a Christo Domino postulans ut animam suam reciperet ac corpus curaret. Dein, ad foveam progressus, se in eam iniecit et spiritum tradidit in manus Domini; nec corpus quidquam detrimenti ullamve prioris status mutationem expertum est, sed mater sancti Sinae sortem deflevit filii propter huius ab amico separationem. *Mortui* corpus asportatum deposuerunt in loco *tuto* quoad finem acciperet persecutio. Porro quo tempore sanctus Isidorus mortuus est, vidit Sinae mater angelorum cohortem, qui illius animam cum magna honoris significatione acceptam deducebant.

Eius intercessio atque preces nobis adsint. Amen.

Mensis Barmahāt dies decimus nonus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus praedicator Aristobulus [2] apostolus. Erat hic sanctus e numero septuaginta *virorum* quos elegit Dominus misitque ante passionem suam praedicaturos, et cum discipulis [3] eam accepit Spiritus Paracliti virtutem et gratiam quam illi acceperunt; ac sese comitem discipulis adiungens, iis in praedicatione vivifica famulatus est, plurimos ad viam salutis convertit [4], ad fidem in Christum adductos

[1] B C G′: percuti et illum in ignem proiici. — [2] G′: Aristo, Pauli discipulus. — [3] In hac relatione, ut alibi saepe, discipulorum nomine ii significantur qui pressiore sensu dicuntur apostoli. — [4] Sic ex B G′, codice A quaedam omittente.

baptizavit, eorumque animas salvas praestitit praeceptis divinis quae cum illis communicavit. Itaque, constitutus a discipulis episcopus *urbis* 'Abrātātyās [1] et illuc profectus, incolis praedicavit evangelium [2], multa inter eos miracula patravit, plurimasque tum a Iudaeis tum a Graecis vexationes sustinuit, ab iisdem saepe expulsus et lapidibus petitus. Cursu consummato, in pace quievit. Eius meminit sanctus Paulus in epistula ad Romanos.

Eius intercessio nos custodiat. Amen.

*Eodem die, memoria septem martyrum, quorum haec nomina: * p. 34. Alexander aegyptius [3]; Agapius [4], e Gaza oriundus; Nīmūlāwos [5], e Ponto; Dionysius (Dīunāsyūs), e Tripoli; Rūmilos [6] et Balīšus [7], ex Aegypi pagis. Isti, quos caritas christiana *inter se* devinxerat, praefectum Caesareae in Palaestina convenientes, Christumque coram eo confessi, coronam martyrii adepti sunt, temporibus Diocletiani impii.

Eorum intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Barmahāt dies vigesimus.

Hodie [8] ad requiem admissus est pater Anbā Michael, patriarcha Alexandriae. Hic pater tribus [9] dotibus egregiis praeditus, dum patriarcham agit, gravibus oppressus est calamitatibus, ex quibus *haec fuit*. Episcopus *urbis* Saḥā industrius erat, malignus et gloriae mundanae cupidus, et in Damūšar, dioecesis illius oppido [10], ecclesia reperiebatur instaurata, quae consecratione indigebat. Itaque regionis principes, quibus ecclesia curae fuerat, illum rogaverunt ut sibi liceret patrem patriarcham et episcopos locorum circumiacentium adire benedictionis suscipiendae et ecclesiae suae consecrandae causa [11]. Qui cum venissent

[1] B: 'Abrāṭānīs; C: 'Abrāṭyānūs; G′: 'Abrāṭāyā. — [2] B G′ ins.: eos baptizavit. — [3] Codd. omnes, demptis A et C: Alexander et Alexander aegyptius. — [4] B F: 'Agābūs; E: 'Agāyūs. — [5] C: Nīqūlāwos; E: Tīmūlāwos; F: Bitmūlāwos; G′: Tamūlā. — [6] B: Rūmālūs; E F: Rūmīlūs. — [7] B F: Balīsūs; E: Tāsūs; G′: Balbūs. — [8] In G′, narratio haec multo brevior. Notat autem cod. A in margine: « Non legitur, neque enim decet propter res quae narrantur; iudicium *tamen sit* penes ecclesiae praefectum, sed satius *erit* non legere. » — [9] B D om. — [10] Haec ex B, ceteris codd. omittentibus. — [11] Ita ex B et G′, cum codicis A textus obscurior, imo mancus videatur.

idque episcopus intimo animo aegre ferret, iis in ecclesia relictis, abiit, quasi quae iisdem opus erant provisurus, immemor *scilicet* effati Domini, pauca esse necessaria. Postquam, illo absente et absentiam producente, tempus missae *offerendae iam* praeteriit, episcopi et seniores patrem patriarcham rogaverunt ut missam ipse offeret et libri *sacri* legerentur quoad rediret episcopus; et quia ab iis urgebatur, surgens casulam patriarchalem induit et sacrum suscepit faciendum. Cuius rei certior factus, episcopus, *p. 35. *Satana ipsum invadente, accurrit et, ecclesiam ingressus, Eucharistiam e sacro altari arreptam proiecit, tum exiit ira excandescens; quare pater patriarcha hostiam aliam curavit afferendam, qua sacrificium perfecit. Postero die, pater patriarcha, convocatis episcopis qui secum aderant, itemque sacerdotibus et viris doctis, episcopum *Saḥae* excommunicavit et alium suffecit. Quare ille, a Satana incitatus, praefectum Aegypti convenit et querelam movit adversus patriarcham, affirmans amplas ei esse divitias. Is, a praefecto arcessitus, poscenti ecclesiarum bona atque vasa dare renuit, dixitque: «Corpus quidem meum in manibus tuis, spiritus vero in manu Dei est.» Quamobrem, iussus ligari et in carcerem detrudi, captivus anno diutius mansit, *toto* hoc tempore ieiunans nulloque utens cibo praeter panem, herbas aqua coctas et sal. Postea dimisit eum *praefectus,* praedem eum constituens viginti denariorum milium pendendorum; et de his chirographi cautionem dedit *Michael,* solvitque decem denariorum milia, quorum partem accepit ab episcopis, partem a fidelibus *et partem* a monachis deserti collegit; partem vero quartam, ad decem milia denariorum complenda necessariam, ab Alexandriae civibus mutuatus est. Quod vero attinet ad reliqua decem milia, haec voluit per regiones diversas propria manu emendicare, et Tanin (Tanīs)[1] profectus est, ut ab ea *urbe* initium faceret; ubi cum diem unum commoratus esset, ad eum accessit monachus pauper, veste glabra et alba indutus, qui, accepta patris *patriarchae* *p. 36. benedictione, haud procul a porta[2] iuxta *discipulum eius sedit et huic dixit: «Patrem hortare ut ne angatur animo, nam post dies quadraginta liberabitur a calamitate qua premitur, nec quidquam solvet.» Re cum patre communicata, discipulus

[1] B C: Balbīs. — [2] Sic ex B; in textu arab., ex A, minus bene: a patre.

monachum requisivit, sed non invenit. Antequam autem quadraginta dies complerentur, princeps morte funesta interiit, atque in eius locum successit filius, qui chirographum patri patriarchae reddidit et irritavit, prout monachus praedixerat; et pater *tamen* gravem percepit maerorem ex iis quae propter se illi *principi mortuo* acciderant[1]. Denique *Michael,* patriarchae munere annos novem et viginti[2] functus, in pace quievit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die Dominus Lazarum mortuum suscitavit, et multi crediderunt in eum.

Eodem die, consecratio ecclesiae sancti Asfaron[3]; cuius deprecatio nos custodiat. Amen.

Mensis Barmahāt dies vigesimus primus.

Hodie festum agimus commemorationis celsissimae dominae, virginis purae et intemeratae, Mariae, genitricis Dei Verbi, thesauri vivifici, matris misericordiae, patronae clementissimae. Cuius patrocinium nobis adsit. Amen.

Hodie Dominus noster Iesus Christus cum discipulis Bethaniae adfuit, quando *nempe* Lazarus, quem a mortuis suscitaverat, unus fuit ex discumbentibus cum eo, ac Martha, Lazari soror, omnibus Christum circumstantibus famulata est, Maria vero, altera eiusdem soror, pedes Iesu unxit, unguento capillisque tersit, atque hanc laudavit Dominus, mentionem iniciens mortis suae proximae et dicens: «Hoc ista servavit in diem sepulturae meae»; tumque subiungens: «Pauperes vobiscum semper erunt, at non ego», crucifixionem suam et mortem imminere indicavit.

Eodem die consultarunt principes sacerdotum de Lazaro interficiendo, quoniam multi propter miraculi magnitudinem credebant in Dominum nostrum Iesum Christum, cui gloria *sit* in saecula saeculorum. Amen.

[1] C: qui patriarchae chirographum reddidit eumque cum sociis liberum atque immunem dimisit, cum ipsum paeniteret molestiarum quas ille propter se passus fuisset. — [2] C: et triginta. — [3] C: Anbā 'Asqarūn; D E H: 'Anbā 'Asqaron.

*p. 37. *Eodem die, memoria sanctorum Theodori et Timothei[1] martyrum. Quorum preces nobis adsint. Amen.

MENSIS BARMAHĀT DIES VIGESIMUS SECUNDUS.

Hodie ad requiem vocatus est pater sanctus et spiritualis Anbā Cyrillus, episcopus hierosolymitanus. Hic sanctus in scientia ecclesiastica profecerat, eiusdemque evaserat peritus. Unde, defuncto patre Maximo, electus est hic pater, ut ei in munere succederet, populumque optimo atque prudentissimo regimine moderatus est, oves servans a lupis rapacibus et mortiferis, ab Arianis *scilicet*. Concilio Sardicam convocato interfuit hic pater, Ariique factioni obstitit; sed Acacius[2], e sede Caesareae, pulsus, confugit ad Constantium imperatorem, filium imperatoris Constantini Magni, et apud eum illa conquestus est quae sibi a concilio atque imprimis ab hoc sancto Cyrillo facta essent. Itaque missis litteris *imperator* Cyrillum Hierosolymis et complures episcopos a suis sedibus eiecit. Hic igitur sanctus Tarsum profectus, Sylvanum urbis episcopum convenit, qui ei auxilio fuit atque adiumento; et quando concilium Seleuciam congregatum est, fuit hic *episcopus* illustris in numero eorum qui aderant et qui Acacium excommunicarunt. *Tunc* Acacius imperatorem iterum adiit, cuius animum, ea referendo quae sibi accidissent, incitavit adversus patrem Cyrillum. Quare alteram ille epistulam dedit, qua episcopum eiecit. Mortuo autem Constantio, postquam Constantinus, filius eius, qui ei successit[3], patrem *Cyrillum* ad sedem reduxit, itemque restituit omnes episcopos quos ipsius parens in exsilium miserat, reliquam vitae partem in tranquillitate ac pace exegit *Cyrillus*. Et cum Theodosius Magnus, solio potitus, concilium centum et quinquaginta episcoporum in urbem Constantinopolim coegit adversus Mace- *p. 38. donium, *Sabellium et Apollinarem, hos horumque sequaces anathematizavit *Cyrillus*, et confessioni fidei quam patres trecenti decem et octo praescripserant clausulam adiecit: « Credimus in Spiritum Sanctum », usque ad finem. Librum quoque composuit quo tractatus duodeviginti continentur, itemque conscripsit hic

[1] G': Kilyātāwūs. — [2] C: 'Akyākyānūs, et paulo infra: 'Akākyānūs. — [3] Sic textus noster. Revera Constantio successit Iulianus apostata.

pater, Spiritu sancto inspirante, homilias et exhortationes complures, quibus fidei doctrinam exposuit, estque hic liber utilissimus atque omnigenae sapientiae plenus. Sedem annos triginta tres obtinuit et quievit in pace.

Eius preces et benedictiones nos custodiant. Amen.

Hodie, memoria atque recordatio honorifica patris episcopi nobilis, omnibus numeris perfecti et senectute bona provecti, patris nostri Anbā Michaelis, episcopi sedis Naqādah.

Eius precibus atque obsecrationibus Dominus nostri in aeternum misereatur. Amen.

MENSIS BARMAHĀT DIES VIGESIMUS TERTIUS.

Hodie requie donatus est propheta insignis Daniel. Hic vir iustus erat Yūnāḫīri ex filia nepos; et Boḫtanṣar, cum Hierosolymam in captivitatem redegit, anno regni sui decimo sexto, abduxit Yūnāḫīrum Yuwāqīmi filium, eiusdem filiam, huiusque filium Danielem, et cum iis complures ex filiis Israel; omnes etiam divitias a se in domo regis et in domo Domini repertas abripuit, quemadmodum Isaias Ezechieli (Ḥazqyāl)[1] regi praedixerat.

Dum autem hic propheta adhuc iunior erat, mores exhibuit omni ex parte egregios perfectosque, et, spiritu Dei in eum immisso, vaticinia Babylone edidit. Porro quarto captivitatis anno, visionem habuit Boḫtanṣar aspectu molestam et explicatu arduam, quae eum vehementer perterruit; et cum expergefactus illam oblitus esset, universos Babylonis sapientes congregavit, interrogavitque de eorum quae viderat narratione et interpretatione. Qui nec *ipsam* visionem, nedum interpretationem eius noverant, ideoque ab illo iussi sunt interfici. At postquam rescivit Daniel *et se et socios suos in eo esse ut a satellitum *p. 39. praefecto occiderentur, causamque a militum praeposito didicit, postulavit ut res differretur dum regi visionem exponeret. Dein Daniel ipse cum sociis Deum oravit atque obsecravit ut sibi visionis regis explicationem manifestaret; qua sibi divinitus revelata, regem adiit eique visionem retulit atque interpretatus est, perspicue ostendens ita praenuntiari reges qui solio post

[1] Sic A; B, recte: Ezechiae.

illum potituri et quaecumque singulis eventura essent. Boḫtanṣar, Danielis expositione libentissime accepta atque probata, eum veneratus est, muneribus donavit et omnibus Babylonis sapientibus praeposuit. Postea alteram quoque visionem habuit *rex*, quam item ei exposuit *Daniel*, monens eum propter superbiam a Deo ex hominum societate expulsum et in desertum cum feris septem annos relegatum iri, herbam ibi more animalium comesturum, dein tamen ad solium divinitus rediturum esse. Quae praedictio adimpleta fuit. Mortuo autem rege Boḫtanṣar, Baltassari [1], eius filio, interpretatus est *Daniel* quae angelus, illo e vasis domus Domini bibente, parieti inscripserat; docuit nempe haec inscripta esse verba: « numeratum, appensum, extensum », quorum sensus esset: solium tuum Deus alteri destinavit, quia te appendit ac iusto leviorem invenit [2], regnumque tuum extendetur et regno [3] Medorum atque regno Persarum adiungetur. Et haec *Danielis* praedictio adimpleta est. Ei etiam ostendit Deus in visione reges postea ad finem usque temporis futuros, atque Antichristum; Dei gloriam maiestatemque vidit; Christi nobilitatem atque divinitatem contemplatus est, eiusque adventum praenuntiavit, ea de re numerum annorum definiens, quibus completis, venit *revera* Christus, prout ille praedixerat. Nuntiavit Messiam et venturum et morti traditum iri, neque alium exspectandum esse salvatorem post ipsum, Hierosolymam autem, Christo occiso, eversum iri, sacrificiaque et victimas finem habitura. Quae omnia item evenerunt.

Erat porro Babylone idolum, in quod cotidie impendebantur duodecim metretae farinae, quadraginta arietes et sex vini amphorae; rex autem Persarum Kūtan [4], qui cotidianum ei cultum adhibebat, existimabat ab *ipso* idolo ea comedi et bibi quae eius causa apponebantur; et cum eum ab illa agendi ratione dehortaretur Daniel, affirmans idolum *neque comedere neque bibere, rex, ira incensus, idoli sacerdotes interrogavit. Qui ei responderunt, ab idolo Belo omnia comedi. Tum, cibis rege praesente sub vesperum appositis, egressi sunt; Daniel vero allatum cinerem solo inspersit, rege intuente, qui deinde fores

[1] A: Naltašāṣīr; B: Baltāšāsar. — [2] Ratio adiuncta ex B C F. — [3] Ad litt.: extendetur ad regnum. — [4] B D: Kūroš.

clausit et suo obsignavit sigillo. Cum autem ministri idoli, e latibulo subterraneo prodeuntes, cibos suffurati essent, rex, postero mane, porta aperta et alimentis non repertis, exclamavit: « Magnus es, o Bel. » At Daniel ridens vestigia plantarum gradientium cineri impressa regi ostendit. Itaque rex et simulacrum confregit et ministros interfecit; itemque occidit Daniel serpentem quem regionis incolae venerabantur. — Hic propheta semel atque iterum coniectus est in lacum leonum, et ibi primum quidem diem unum ac noctem, dein vero dies sex mansit, lacu desuper occluso obsignatoque et nemine quidquam comedendum illi per id temporis spatium afferente; sed Deus eum incolumem servavit; prophetam nempe Ḥabaqūq, messorum prandium secum ferentem, Hierosolymis abstulit et Babylone supra puteum deposuit, ascendensque Daniel comedit et verbis Ḥabaqūq confortatus est. Babylone remansit *Daniel* usque ad annum quo filii Israel Hierosolymas reversi sunt: fuit autem hic annus captivitatis septuagesimus. Dein in pace quievit.

Preces eius atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis barmahāt dies vigesimus quartus.

Hodie, in urbe Alexandria, requie donatus est sanctus Macarius (Maqārah), patriarcha. Hic sanctus, ex pago cui nomen Šira oriundus, mundo a teneris abrenuntians et monasticam anhelans vitam, montem Scete (Šīhāt) petiit et, monachus in ecclesia sancti Macarii (Maqāryūs) factus, in statu monachali ita profecit ut variis signis virtus eius manifesta fieret. Itaque, mortuo Anbā Qosma, communi consilio statuerunt episcopi patrem hunc eligere, *et in munere constitutus est quod nullo modo concupierat. Quo autem tempore Alexandria egressus est, pagos de more invisurus, iter fecit per pagum in quo natus erat. Hic habitabat mater eius, mulier pia, pura, timoris Dei plena, gloriae huius mundi inimica, gloriae vero caelestis amans. Venit igitur pater *patriarcha* ad pagum, matris salutandae gratia. Quae, etsi audierat eum advenire, neque ei obviam exiit, neque eum salutavit, adeo ut, existimans se ab ea non agnosci, ei diceret: « Ego filius tuus, nec me salutas. » At illa: « Equidem, ait, te agnovi, sed tu temet, ut opinor, non cognoscis. Ego sane maluissem

mortuum te quam patriarcham videre. Heri enim ratio tibi reddenda non erat nisi animae tuae et peccatorum tuorum, hodie vero ratio totius gregis tui a te exigitur. » Tum ambo simul fleverunt. Quare, verba matris cordi suo alte infixa cottidie recordans, *patriarcha* sollicite vitam propriam moderabatur et oves suas regebat, has tum lectionibus, tum homiliis commonebat, nec nisi caute manus iis imponebat quos episcopatu vel sacerdotio dignabatur. Nunquam id commisit ut quidquam sibi assumeret ex facultatibus ecclesiarum vel ex aliis rebus quas ipsi non liceret accipere, neminemque ordinabat nisi accedente venerandorum sacerdotum testificatione. Episcopos et presbyteros assidue incitabat ut proprium gregem catechesibus et concionibus servarent atque dirigerent. Sedem apostolicam obtinuit annos viginti in tranquillitate et pace, et, ecclesiis eius opera rite constitutis, preces atque missae absque intermissione celebrabantur. Dein mortuus est. Preces eius populo tuitioni erant.

Ipsius deprecatio nobis adsit. Amen.

Mensis Barmahāt dies vigesimus quintus.

Hodie requie donatus est sanctus et insignis apostolus Onesiphorus [1], unus ex septuaginta discipulis a Domino electis. Is originem ducebat a filiis Israel, *et quidem* e tribu Beniamini, *p. 42. parentibus *qui Legem custodiebant natus. Servatorem cum aliis pluribus secutus est, ut magna miracula ab eodem patrata videret et doctrinam audiret. Postquam ea in re aliquandiu perseveravit, varia quovis tempore contemplans prodigia, ei contigit ut esset in multitudine eorum qui Domino aderant filium viduae in civitate Nāyīn [2] suscitanti. Itaque, nulla post hoc miraculum mora interiecta nec alio praeter istud signo requisito, statim lumini facula legis iudaicae suppeditato valedixit, solemque iustitiae adiit: Dominum Iesum convenit, in eum toto corde credidit et ipsius manu baptizatus est. Postquam autem, accepta gratia Paracliti in coenaculo Sionis, in quo cum discipulis versabatur, *eosdem* discipulos secutus, iisque famulans, in multis regionibus praedicavit, eum constituerunt apostoli

[1] Ita ex B C D G' ; A : Qarsīqūs. — [2] Sic in codd.

episcopum Corinthi, ibique *evangelium* annuntiavit, incolas baptizavit, eorum mentes doctrina et contionibus suis collustravit et inter eos conversatus est, eorum et animabus et corporibus medelam afferens. Ubi cursum consummavit, coronam gloriae promeritus, ad requiem admissus est, annos natus septuaginta, ex quibus unum et quadraginta christianus, undetriginta Iudaeus exegerat. Ipsum apostolus Paulus in sua ad Timotheum epistula et alibi memorat atque salutat.

Preces eius atque benedictiones nos custodiant et in aeternum tueantur. Amen.

Mensis Barmahāt dies vigesimus sextus.

Hodie requie donata est sancta et beata virgo Abraxiah [1]. Erat haec nobili loco nata, ex stirpe regia urbis Romae, ex progenie Honorii imperatoris. Eius pater moriturus filiam testamento tradidit tutelae Honorii [2] imperatoris, eamque, illo mortuo, imperator filio cuiusdam optimatum desponsavit.

Contigit autem ut mater eius in Aegyptum se conferret, id receptura *quod ipsi iure obveniebat ex reditu praediorum et *p. 43. proventibus hortorum quae maritus reliquerat, et sanctam hanc, septem annos tunc temporis natam, secum assumeret ; et ambae, Aegyptum iegressae, in virginum monasterium deverterunt quoad negotia absolvissent. Monachae autem illius asceterii, mortificationi summopere addictae, neque adipe, neque oleo, neque fructibus vescebantur, vinum non gustabant, somno non indulgebant nisi super terram iacentes. Itaque coenobii amore capta est puella et sese amicitia iunxit cum famula ministerium inibi exercente. Quae dixit illi : « Promitte mihi te deinceps non egressuram ex coenobio neque divitias tuas requisituram ; » et illa fidem ea de re obstrinxit. Dein, cum mater, negotio absoluto, proposuit in patriam redire, voluit et sanctam *puellam* secum reducere ; verum haec restitit, dixitque : « Animam meam ego Christo addixi, neque opus mihi est nuptiis huius mundi ; *unus* mihi sponsus verus, Dominus meus Iesus Christus. » Intellegens mater filiam secum de communi reditu non consensuram, omnes

[1] B : Braksiah. — [2] D : 'Aryūs.

facultates suas pauperibus ipsa distribuit et cum puella annos complures remansit in coenobio, *in quo* et mortua est.

Ubi autem audivit imperator matrem obiisse, scripsit puellam requirens, ut eam in matrimonium collocaret. Verum rescripsit illa, animam suam se Christo voto obstrinxisse nec posse fidem 5 datam frangere. Unde flevit imperator, admiratus tantam in iuvenili aetate sapientiam. Dehinc sese magis ac magis dedidit *virgo* religiosae vitae exercitiis, biduana primum, tum ternorum dierum, tum quaternorum, tum totius hebdomadae ieiunia tolerans, nihilque cocti sanctae quadragesimae tempore comedens. 10 Quare ei invidens Satanas, plagam ei in crure inflixit, qua diu laboravit, quoad Dominus illi, misericordia motus, sanitatem restituit. Porro Deus ei dederat aegrotorum sanandorum gratiam; sese praebebat praepositae coenobii et sororibus eximie oboedientem et erat omnibus cara. Quadam nocte, vidit praeposita 15 palatia ampla et coronas praeparatas; ac dum attonita quaerit cuinam haec sint, dictum est ei : « Haec Abraxiae, filiae tuae, quae cito huc adveniet. » Visionem mater[1] sororibus narravit, admonens ne eam cum Abraxia communicarent. Ista autem, cum vellet Dominus eam ad quietem vocare, in levem incidit febrim, 20 et ad eam convenerunt sorores, praeposita atque famula, rogantes *ut sui memor esset; tum in pace quievit. Eam sorores comploraverunt, gravi affectae maerore propter praesentiae illius desiderium. Post ipsam obiit famula, eius amica; et iterum paulo post aegrotavit mater; quae sororibus congregatis dixit : « Videte 25 quamnam vobis praeficiatis; ego quippe ad Dominum migro, quoniam Abraxia mihi patrona adfuit[2]; nunc vero abite, ianua cubiculi mei clausa. » Itaque illae, porta clausa, abierunt, et postero mane revertentes ut *aegrotam* inviserent, mortuam invenerunt. 30

* p. 44.

Omnium preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

Mensis Barmahāt dies vigesimus septimus.

Hodie ad requiem vocatus est beatus pater, lumen deserti, universorum monachorum parens, vir eximie sanctus Abū Macarius (Maqār). Erat hic sanctus ex Šabšīr in Manufi territorio oriundus, honestis piisque parentibus genitus. Patri, cui nomen Abrahamus, prole adhuc carenti divinitus exhibita est visio et nuntiatum, filii ex ipso nascituri famam fore per terrarum 5 tractus celebrem, eundemque progenie spiritali donatum iri. Haud multo post hunc sanctum suscepit, quem Macarium (Maqārah) appellavit, isque, gratia Dei a teneris praeventus, oboedientem se praebebat parentibus. Qui eum, postquam adulevit, matrimonio iunctum voluere[1]. At ipse, ubi thalamum ingressus 10 est, aegrotare se finxit et dies complures in eodem statu permansit; dein patrem rogavit ut sibi per eum liceret desertum petere, modicae a morbo recreationis capessendae causa, et cottidie a Christo supplex propositi sui[2] adimpletionem flagitabat. Itaque dum in deserto versatur, visione donatus est, in qua 15 cherubim sex instructus alis ipsum manu apprehensum in montis verticem eduxit, eique totum desertum orientem et occidentem versus longe lateque patens ostendit et dixit : « Montem hunc tibi tuisque filiis Dominus haereditatem dedit. » A deserto *domum* regressus, didicit puellam, quae virgo intactaque manse- 20 rat, morbo oppressam esse et mortuam. Quare maximas Christo gratias egit.

*Postea, parentibus quoque defunctis, quaecumque sibi reliquerant pauperibus atque egenis distribuit; ab *urbis* autem Šabšīr incolis ob perspectam puritatem et castitatem sacerdos electus 25 atque praepositus, domum sibi extra civitatem aedificavit, et ad eum ventitabant *sacrae* communionis ab eo accipiendae gratia, famulusque ei aderat ad res necessarias comparandas et ea quae labore manuum eius effecta essent vendenda. Porro forte evenit ut puella cum adulescente fornicata hunc sanctum calumniaretur, 30 ac si flagitii auctor fuisset; unde sanctum apprehensum contumeliis, molestiis ac verberibus affecerunt, ipse vero haec patienter tolerabat. Imminente vero pariendi tempore, arduum puella experta est puerperium, atque haud procul a morte distans, intellegensque id sibi non accidere nisi propter falsam in sanctum 35 accusationem, sese et fornicationis et mendacii in illum ream

* p. 45.

[1] I. e, praeposita, seu coenobii moderatrix. — [2] Ex B C F G'.

[1] B D ins.: Et cum ab ea re abhorreret, eum coegerunt ut morem ipsis gereret, illumque maritarunt. — [2] Vel : voluntatis ipsius *Christi*.

confessa est. At sanctum, ut audivit civitatis incolis in animo esse ad ipsum venire, ut se ei excusarent, recordatio subiit visionis qua in deserto donatus fuerat. Quare missam celebravit et communione se refecit; tum ei adstitit ille *idem* cherubim *qui antea,* neque destitit eum praegredi donec ad deserti vallem Habib perduxisset. *Ubi* ille, angelum compellans: « Domine mi, inquit, indica mihi locum ubi habitem. » Cui angelus: « Nullum indicabo, ne, e finibus quos tibi definierim egressus, Domini praeceptum infringas. Sed totum tibi permittitur desertum; ubicumque libuerit habita. » Itaque in deserto interiore habitavit, in loco coenobii sanctorum Graecorum; et quando eum sancti Maximus et Domadius convenerunt, sedem prope eum posuerunt; iisque mortuis, praecipiens illi angelus ut ad eum locum se conferret in quo ipsius monasterium hodie situm, haec subiunxit: « Locus iste, *a quo recedis*, nomine filiorum tuorum Graecorum [1] appellabitur. » Idem autem est qui nunc vocatur coenobium Barmūs.

Postea sanctus plurimis se dedidit devotionis exercitiis et multa sustinuit certamina, daemonibus eum vehementer impugnantibus. Quare surgens venit ad locum ubi Anbā Antonius. Qui eum procul aspiciens exclamavit: « Ecce verus Israelita, in quo dolus non est » [2]; dein eum docuit modum pugnandi cum daemonibus et *sacro* schemate induit. Roganti autem ut sibi liceret apud ipsum manere *non assensit, sed respondit: « Singulis hominibus in eo loco *commorandum* quem iis Dominus designaverit. »

Percrebruit huius sancti fama per universam terram, magnaque Deus miracula eius opera patravit, in quorum numero haec fuerunt. Antiochiae princeps [3] filiam suam, cui spiritus immundus inerat, ad eum misit; quam ille, etsi ipsum habitu virili convenit, cognovit puellam esse, sanavit atque ad patrem remisit, et, cum aurum ei offerrent, nihil accepit. Porro erat in *urbe* 'Ausīm monachus qui omnium mentes seducebat, negans resurrectionem futuram, et cui fidem ita adhibebant ut dicta eius non respuerent. Sanctum igitur adiit Ausimi episcopus, et, conquestus apud illum quod populus ita propter eremitam illum se haberet, oravit eum

[1] Ita ex B C D F G'; A: nomine illorum Graecorum. — [2] Cf. Ioh., I, 47. — [3] Sic B C G'; A: conclavis regii praefectus.

atque obtestatus est ut sibi auxilio veniret. Quare cum episcopo profectus est ad eremitam, in quo spiritum Satanae agnovit et qui de doctrina interroganti respondit: « Equidem non credam mortuos resurgere, nisi hominem e sepulcro mihi suscitetis. » Tunc sancto orante et obsecrante, surrexit mortuorum aliquis, et quidem e numero incredulorum prisci temporis; et credidit eremita. Qui autem suscitatus fuerat a sancto petiit ut baptizaretur, et ab eodem baptizatus atque sex annos cum eo commoratus, *iterum* obiit.

Postea penetravit sanctus in intimam deserti partem, ut videret num aliquis ibi ante se fuisset, et duabus occurrit personis nudis, quarum aspectu perterritus est, siquidem eas daemones esse existimabat. At illae animum ei addiderunt. Deumque coram eo oraverunt, formula utentes: Πάτερ ἡμῶν, hoc est, Pater noster, qui es in caelis, et ipsum proprio compellarunt nomine; unde intellexit duos esse sanctos. Ili eum de rebus mundi interrogaverunt, iisque respondit. Tum ab iis sciscitatus est utrum necne iis tempore hiemali frigus, tempore aestivo aestus dolori esset. Qui responderunt: « Dominus de nobis sollicitus fuit, et nobis quadraginta iam annos hic degentibus neque frigus molestiam attulit, neque aestus. » *Tum, benedictione ab iis accepta, locum suum repetiit. Postquam numerus fratrum adauctus est, puteum foderunt, quem ille muro usque ad dimidiam partem munivit; et cum in eum *quodam die* descendisset lavandi causa, os *putei* supra eum daemones occluserunt; sed convenerunt monachi et eum inde extraxerunt.

Quando illum voluit Dominus requie donatum, ad eum misit cherubim illum qui eum *olim* visitaverat, isque dixit: « Paratus esto, siquidem nos ad te venturi sumus ac te abducturi. » Vidit autem patrem Antonium, patrem Pachomium atque multitudinem sanctorum; et *ita* confortatus est quoad spiritum exhalavit, annos natus nonaginta septem. Testatus est Paphnutius (Babnūdah), discipulus eius, vidisse se animam sancti ad caelum ascendentem, daemonibus pone sequentibus atque clamantibus: « Devicisti nos, Macari », ipso autem respondente: « Usque ad hoc tempus *devici* [1] »; tum, postquam caeli limen transgressus

[1] D: Nondum *devici*.

est, conclamasse illos altissima qua poterant voce : « Superasti nos, o Macari », *sanctum* vero haec reposuisse : « Benedictus Dominus Iesus Christus qui e manibus vestris me eripuit. » Filiis suis praeceperat ut corpus suum absconderent; sed ex urbe eius patria Šišwīr [1] quidam venerunt et pecuniam obtulerunt Iohanni, discipulo eius, isque, qui a magistro constanter admonitus fuerat ne divitias amaret, iis corpus sancti Abū Macarii ostendit, quod illi in patriam asportarunt, eique ecclesiam superstruxerunt, in qua remansit annos plures quam centum et sexaginta, usque ad tempora regni Arabum. Post Cellarum aedificationem, corpus *illuc* translatum fuit. At vero Iohannes, discipulus sancti Macarii, hoc demortuo, fuit propter pecuniae amorem lepra affectus.

Benedictio eius atque preces nos in aeternum custodiant. Amen.

Hoc eodem die, Domino nostro Iesu Christo in corpore suo pro mundi salute crucifixo, sol obscuratus est, eo quod videbat Creatorem suum, et quidem volentem, corpore doloribus attrito [2] velatum atque in cruce pendentem, et obscuratus remansit ab hora sexta usque ad nonam ; hora autem nona Dominus *volens caput inclinavit atque humanum emisit spiritum. *Tunc* anima haec, a corpore separata, divinitati vero coniuncta, inferos petiit, Apostolo testante, eum, licet corpore mortuum, spiritu tamen vivere. Eodem igitur tempore erat corpus in cruce, divinitati unitum, et anima, divinitati item coniuncta, erat in inferis, captivos solvens, et *Iesus*, super caelos exaltatus, cum Patre aderat, et cum Spiritu sancto. Laudetur ille qui, potentia excellens, nos ipse redemit, nobisque regni sui portam aperuit. Eidem laus sit in saecula saeculorum. Amen.

Mensis barmahāt dies vigesimus octavus.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus Constantinus imperator. Huic pater fuit Constantius (Qūnstā), cognomine Chlorus, materque Helena vocabatur. Praeerat Constantius imperatoria dignitate Britanniae, Maximianus Romae, Diocletianus Antiochiae et Aegypti regionibus. Religioni Graecorum addictus erat Constantius, vir

[1] C : Ġiġwir. — [2] B : corpore puro.

alioquin probus, ad malum parum proclivis, boni amans, benignus ac misericors. Qui cum Edessam venisset, Helenam, quae christiana erat, *ibi* vidit et duxit uxorem. Eam dein, concepto iam hoc imperatore Constantino gravidam, Edessae reliquit, in Britanniam reversurus. Constantinum editum in lucem *Helena* optime educavit et cuiusvis generis cultu exornavit expolivitque, cordi eius inserens misericordiae ac benevolentiae sensus erga christianos, cum tamen [1] ei revelare non auderet sese christianam esse.

Adulevit puer, factus est artis equestris peritus et, Edessa relicta, ad patrem se contulit, qui, manifesta filii sapientia, scientia et equitandi peritia gaudens, eum regia dignitate auxit et tiara redimivit. Multis autem post annis, patre mortuo, Constantinus, totam regnandi potestatem adeptus, ius et aequum ubique asseruit, iniuriasque regum qui solium antea tenuerant a civibus amovit ; quare subditos sibi dicto audientes et amicos habuit, et, fama aequitatis eius * per omnes regiones sparsa, ad eum miserunt Romae optimates, rogantes ut veniens sese ab iniusta Maximiani tyrannide liberaret. Quorum litteris perlectis, eorum casum dolens tristitiamque, remansit secum cogitans atque dubius quomodo ab iis posset tristitiam ac molestiam depellere. In Circo autem versanti, hora meridiana, crux apparuit, fulgentibus stellis constans, cui haec verba graece inscripta νικας κατ αυτων [2], quorum sensus : per hoc vinces. Quare rem, utpote solis radiis splendidiorem, admiratus et de verbis inscriptis sollicitus, eam ministris et primoribus regni sui monstravit, qui [3] visionis causam non invenerunt. Verum nocte subsequenti ei in somnis apparuit angelus Domini dixitque : « Fac signi quod vidisti effigiem, eaque hostes tuos superabis. » Ideo ubi expergefactus est, animo confortatus, crucem confecit atque summo vexillo suo imposuit, itemque iussit universis armis cruces imprimi ; quae *omnia facta sunt* anno septimo regni eius in Britannia. Deinde, exercitu congregato, profectus est ut Romae civibus auxilio veniret. Quod ubi rescivit Maximianus, pontem iniecit flumini *Tiberi* et Constantino obviam progressus est. Itaque

[1] B C G' ins. : eum baptizare et. — [2] Tria vocabula in codd. alio atque alio modo, ubique mendose, referuntur. — [3] B C G' ins. : obstupuerunt, sed.

occurrerunt alter alteri manusque conseruerunt; et quotiens crucis signum procedebat, Maximiani legiones caedebantur ; quare, magna copiarum suarum edita strage, ipse cum reliquis aufugiens pontem ingressus est, sese intra urbem Romam communiturus; sed, ponte dirupto, interiit, Pharaonis instar. Constantinum vero Romam ingredientem cives exceperunt cum facibus et instrumentis musicis, galeros gestantes gemmis exornatos, poetis romanis crucem ad caelum extollentibus eamque tanquam urbis suae servatricem collaudantibus. Dein crucem septem dierum festo celebrarunt.

Constantinus autem, simul ac Romae solium firmiter obtinuit, *cum maxima exercitus sui parte manu Sylvestri[1] papae baptizatus est, anno regni sui undecimo, qui annus erat post crucem gloriosam ipsi exhibitam quartus. Exinde, christiano utens regimine, ad omnes imperii provincias litteras dedit, dimittendos esse quicumque propter fidem in carcerem coniecti essent, christianos non contumeliis afficiendos, sed honore prosequendos, sacerdotibus attribuenda esse tum legata pia tum ceteras delubrorum paganorum divitias, christianorum festa ita instituenda ac peragenda ut gentilium festis antecellerent. Prohibuit etiam ne quisquam, apostolorum praeceptis neglectis, hebdomada Passionis et subsequenti labori servili vacaret. Matrem suam Helenam Hierosolymam misit, requisituram lignum crucis illius cuius virtute prospere egerat, et anno regni sui decimo septimo sanctum concilium coegit trecentorum et octodecim episcoporum, a quo res christianorum sapientissime atque decentissime ordinatae sunt. Item operam sollicitudinemque contulit in Byzantium[2], quod ita exaedificandum curavit ut urbs magna fieret, tum nomine suo Constantinopolim vocavit, divaeque dicavit Virgini. Eandem omni ornamentorum tam corporeorum quam spiritalium genere ditavit, siquidem in eam plurima apostolorum et *aliorum* sanctorum[3] corpora comportavit. Postquam hoc tenuit honestum vitae institutum, mortis tempore imminente, Nicomediae in morbum incidit, ibique supremum diem obiit. Corpus arca aurea inclusum Constantinopolim translatum est, et patriarcha, sacer-

[1] A, mendose : Sabalbatros. — [2] Correxi : A : in el-Barantiah. — [3] B : sanctorum apostolorum ; C : apostolorum, martyrum et sanctorum.

dotes universusque populus, *illi obviam* egressi, orationibus, lectionibus et cantibus spiritalibus funus celebrarunt, depositumque fuit in templo sanctorum apostolorum. Annos vixerat *Constantinus* omnino sexaginta quinque, ex quibus duos et triginta regnaverat, initio regni incidente in annum a mundo condito quinquies millesimum octingentesimum trigesimum quartum.

Domino nostro sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Mensis barmahāt dies vigesimus nonus.

Hodie per ministerium angeli praecelsi Gabrielis contigit salutifera annuntiatio *Virgini sanctae, celsissimae Mariae, prout testatur sacrum Evangelium : « In mense autem sexto » — postquam nempe Elisabeth conceperat, — « missus est angelus Gabriel in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit ei : Gaude et pax tibi, gratia plena : Dominus tecum. Quae cum verbis eius et salutatione turbaretur, subiunxit ille : Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum ; concipies et paries filium cuius nomen vocabitur Iesus. Magnus erit et Filius Altissimi appellabitur ; et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius, et regnabit in domo Iacob, et regni eius non erit finis. Respondit ei *Maria :* Quomodo mihi erit istud, id est, quomodo concipiam, siquidem virum non cognosco ? Cui angelus : Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, id est, Spiritus sanctus tibi erit loco seminis virilis, quia quod nascetur ex te sanctum et Filius Dei vocabitur. » Dein indicium veritatis praedictionis suae suggessit illi *angelus*, dicens : « Ecce Elisabeth, cognata tua, filium concepit, illa, *inquam*, ipsa quae aetate provecta est et sterilis *vulgo* audit ; » id est, si mirum tu ducis te prolem absque semine concepturam, cum puella sis a semine suscipiendo aliena, ea tamen re mirabilius est mulierem sterilem simul et aetate provectam fieri gravidam, quia nempe Deo nihil difficile. Tum Maria : « Ecce ego, inquit, ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum. » Dum autem de divino illo conceptu *Maria* assensum praebet, Filius unigenitus, persona Dei Verbi, una ex tribus personis aeternis, descendit et modo menti

humanae impervio habitavit in visceribus Virginis atque ab ea in tempore humanitatem integram accepit [1], unitione perfecta, cui nulla successit separatio.

Hic igitur dies est festorum primordium, in eo salus mundi initium accepit, atque in eodem *illa* salus per gloriosam resurrectionem completa est, siquidem Dominus noster — cui sit laus! — postquam dispensationem suam his in terris spatio triginta trium annorum consummavit et volens die incidente in vigesimum septimum huius mensis diem passus est, a mortuis surrexit *die in hunc, qui vigesimus nonus est, incidente. Ita dies ille quo terrae incolis annuntiata fuit incarnatio quam exspectabant, idem est ipse dies quo vivis et mortuis manifestata fuit liberatio ab inferno et a potestate inimici nostri Satanae. Quod si liberatio a gehenna feria sexta contigit, demum tamen die dominica vivis certa huius rei cognitio obvenit, itemque certam de sua resurrectione persuasionem hauserunt ex resurrectione corporis Christi, qui est caput eorum, testante Apostolo, Christum primitias esse dormientium. Cui idcirco propter insignem benignitatem et misericordiam debetur gloria lausque in saecula saeculorum. Amen.

* p. 52.

MENSIS BARMAHĀT DIES TRIGESIMUS.

Necesse nobis est festum hodie agere praecelsi angeli Gabrielis, qui insigni qua apud Deum pollebat gratia meruit ut laetum de Filio eius nuntium ad dominam Mariam matrem deferret. Quoniam enim magnum illud eximiumque donum Deus nobis illius ministerio contulit, officium nobis incumbit eum colendi atque honorandi. Ille vaticinium quoque de Messia ad Danielem attulit, cum oranti atque supplicanti pro reditu populi a captivitate simulque pro adventu Messiae apparuit ac numerum hebdomadarum definivit, affirmans his completis Messiam ad Sanctum sanctorum venturum esse et neci traditum iri, neque alium deinceps futurum Hierosolymae auxiliatorem, sed fore ut exinde deficiant victimae et sacrificia inter filios Israelis usitata. Si igitur ei Christus salutis nostrae negotia mandavit, necesse est eum die festo honorare et assiduis precibus perpetuum eius

[1] B C D F: humanitati integrae unita est.

auxilium nobis efflagitare, *ut nos Dominus e manu inimici nostri Satanae eripiat, nobisque in omnibus rebus nostris adsit.

* p. 53.

Domino nostro *sit* gloria in saecula saeculorum. Amen.

Eodem die, commemoratio Samsonis, unius ex iudicibus filiorum Israel. Viro huic sancto pater fuit nomine Manuaḥ, ex tribu Dan. Matri autem, quae sterilis erat, apparuit angelus Domini, praedixit eam filium parituram, praecepitque ut, quandiu eum utero gestaret, quemvis cibum immundum et quemcumque potum inebriantem vitaret, caput vero filii ne tonderet, hunc quippe futurum Domino nasiraeum, eiusque opera Israelitas ab *oppressione* Philistaeorum liberatum iri. Quae cum illa marito retulisset, is Deum rogavit ut *et ipse* angeli visione donaretur. *Angelus* igitur se ei praesentem praebuit dixitque: « Uxorem mone [1] ut ea observet quae praescripsi. » Et *mulier* concepit ediditque hunc virum sanctum et iustum. Eidem Deus benedixit, adeo ut, spiritu divino in se delapso, alias in leonem irrueret eumque discerpserit, alias interfecerit ex Philistaeis triginta viros et segetes eorum incenderit. Quare in filios Iuda insurrexerunt, bellum iis illaturi, ut Samson sibi traderetur; et *Samson*, Philistaeorum postulatis secum a *filiis Iuda* communicatis respondit: « Iurate mihi, vos non interfecturos me, sed illis tradituros; » quod cum iurassent, se iis commisit, eumque duabus vinctum catenis et manibus post tergum colligatis, Philistaeis tradiderunt. Qui eundem, impetu in eum facto, occidere conati sunt; at Samson, spiritu fortitudinis a Domino in se immisso, duas catenas rupit, ac si fuissent filum lineum adustum, tum maxilla asini *forte* inventa mille equites *Philistaeorum* neci dedit; et cum siti laboraret eaque paene conficeretur, Deum oravit et aqua dulci ex maxilla divinitus erumpente sitim restinxit et recreatus est.

In *urbe* Gaza quondam commorantem custodiebant Philistaei, ut eum apprehenderent; sed ipse de nocte surgens portam urbis perfregit et humero impositam in summum montem asportavit. Postea uxori eius, internuntio ad eam misso, munera pretiosa polliciti sunt, si ab eo sciscitaretur undenam vim suam hauriret. Ista, ubi percontata novit robur eius capillis inesse, eo quod nasiraeus Domino esset, rem cum hostibus eius communicavit;

[1] Verbum hoc, quod deest in A, ex B C G' suppletur.

* p. 54. iique, insidiis ei structis, ad dormientem accedentes, *capillum totonderunt; dehinc quem vires defecerant vinctum in patriam suam abduxerunt, contumeliis affecerunt atque excaecarunt. Postea tamen, capillo succrescente, rediit et robur; quare die quodam festo idolorum, ingressus *Samson* delubrum in quod universi Gazae incolae convenerant ut idolo sacrum facerent, in medio stabat sacello; tum columnam dextra, sinistra columnam complexus, ambas dein manus iungens, duas columnas evertit, quibuscum ruentibus ipsum corruit delubrum, et mortui sunt quotquot inibi erant. Qui hac strage perierunt plures fuerunt iis quos totius vitae tempore *Samson* interemerat, atque ipse in numero fuit interfectorum, quia intellexerat morte sua se mortem plurimis inimicorum Dei illaturum. Functus autem munere iudicis Israelitarum annos omnino viginti, in pace quievit.

Eodem die, translatio corporis sancti Iacobi discissi; quae huc a die *mensis* hatūr vigesimo septimo transsumpta est[1]. Domino nostro iugis sempiternaque *sit* gloria. Amen.

[1] Rectius forsan, praesertim ex lectione cod. F: « de quo conferatur dies mensis hatur 27us. » Vide tom. XVIII, p. 155.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, cui sit gloria.

Mensis barmūdah benedicti dies primus.

Hoc die benedicto, commemoratio sancti patris Sylvani (Silwānos). Hic beatus *vir*, qui vitam monasticam adhuc puer amplexus fuerat apud patrem nostrum sanctum Macarium in valle Habīb, omni via angusta incessit et, sese ieiuniis diuturnis, vigiliis longis, charitate atque humilitate exercens, factus est pater insignis, cui Deus divinas exhibebat visiones et res *non paucas* revelabat. Ita die quodam rapta est mens eius, *ipseque, * p. 55. in faciem prolapsus, diu iacens remansit: postquam autem caput erexit, eum rogaverunt fratres qui aderant ut sibi indicaret quid intus experiretur, sed, responso recusato, coepit lacrimas tacitus fundere. Illis tamen instantius quaeritantibus dixit: « Equidem ad paradisum et ad locum tormentorum mente raptus, vidi monachorum multos ad gehennam duci, saecularium autem complures regnum ingredientes; et quomodo animae meae statum non deflerem? » Deinde[1] petaso vultum velavit, dicens: « Nolo lucem hanc temporalem aspicere et postea in tenebras detrudi perpetuas. » Et erat hic senex rebus spiritualibus et corporeis eruditus, discipulosque hortabatur ad laborem manuum nunquam omittendum et ad ea quae sibi superessent pauperibus elargienda.

Invisit autem eum quondam monachus piger, qui, cum videret senem eiusque discipulos labori manuum magnopere deditos, seniori dixit: « Nolite cibi temporalis gratia laborare, siquidem scriptum est, a Maria electam esse partem meliorem, quae non auferetur ab ea. » Ea reprehensione audita, senex, discipulum suum compellans: « Da, inquit, fratri librum legendum, et, eo in ecclesiam introducto, portam pone eum claude, ut lectioni operam det, nec quidquam esculenti ei apposueris. » Quod ita praestitit discipulus. Porro hora nona cibum sumpsit senex cum discipulis, monacho *illo* non arcessito. Itaque cum iam praeteriisset tempus corporis reficiendi et monachus, defixis in portam

[1] B G' ins.: ab illo die.

oculis, utpote qui exspectaret vocantem fameque laboraret, seniorem sic inclamavit : « Pater mi, nonne fratres hodie ieiunium rumpunt ? » Cui senex : « Imo vero », ait. Tum ille : « Quare ergo me non advocatis ? » Respondit senior : « Tibi, quippe qui sis homo spiritalis, nullo cibo corporeo opus est, meliorem enim partem elegisti ; nos, utpote homines corporei, esca indigemus corporea, ideoque labori manuum vacamus. » Itaque intellexit frater se haud recte locutum esse et prostratus veniam petiit. Quem senex alloquens : « Fieri nequit, fili, ait, quin Martha indigeamus[1], quia per Martham Mariae facultas est divinis laudibus vacandi[2]. » Hoc emolumento fuit fratri, qui coepit manibus assidue laborare et quae sibi superessent eleemosynis expendere. — Edidit hic pater *utiles de certamine spiritali disputationes ; et vitae cursu in senectute bona consummato, a Deo — qui exaltetur ! — de mortis suae tempore praemonitus, monachos sibi propiores convocavit, eorumque benedictione accepta, eosdem rogavit ut sui meminissent, tum in pace quievit. Amen.

Eodem die, Aegypti superioris Arabes, incursione facta, ecclesiam atque coenobium Abū Macarii occuparunt et quaecumque inibi, sicut in aliis domibus, repperissent praedati sunt. Quare monachi convenientes orare coeperunt, patrocinio sanctorum patrum invocato, et brevissimo tempore illi a Christo depulsi sunt ac palantes aufugerunt, nemine eos persequente, praeter Christi virtutem. De quo beneficio monachi Deo maximas egerunt gratias.

Eodem die, ex traditione catalogorum Alexandriae et partis Aegypti superioris, ad requiem vocatus est sanctus Aaron sacerdos, Mosis germanus[3], filius 'Amrān, primus prophetarum Legis, Mariae prophetissae frater. Erant ex tribu Levi. Aaronis manu

[1] Ita ex B ; A : indigeas. — [2] In C sic se habet senioris admonitio : « Fili mi, parum quid ex Maria itemque ex Martha accepimus propter infirmitatem nostram. » — [3] D E : festum agimus in honorem Aaronis, fratris Moysis. — Dein haec inserit D, cui, si minutiora quaedam excipias, consonant B C E F G': Quod autem attinet ad traditionem Legis, testatur haec, mortuum eum esse die tertio mensis alterius ab exitu filiorum Israel ex Aegypto, qui incidit in diem octavum *mensis* bošons ; sed cum Iudaeorum menses circumeant, fieri possit ut illo anno inciderit *dies tertius mensis hebraici* in diem primum *mensis* barmūdah. Erat autem hic vir iustus Mosis germanus....

Deus multa miracula edidit in finibus Aegypti, eumque et filios eius elegit sacerdotes, iis decimas filiorum Israelis et sacrificia attribuens. Cum autem in eum filii Core insurrexissent, hos interemit Deus, quo iubente terra aperta est et eosdem deglutivit. Et postquam suis moribus et divinae legis observantia supremo Numini — quod exaltetur ! — se dicto audientem praebuit, ad Deum, cui sit gloria, translatus est.

Eodem die requie donatus est pater noster Iohannes Abū Karīš. Eius benedictiones nobis adsint[1]. Amen.

Mensis barmūdah dies secundus.

Hodie martyrio affectus est sanctus Christophorus ('Abrisṭūphūros), cui facies *erat canis. Oriundus ex eorum regione qui et canes et homines comedunt, hic sanctus bello captus est. Pater eius opera apostoli Matthiae fidem susceperat ; ipse autem, quo tempore in captivitatem venit, linguae gentis ignarus, ad Deum — cuius nomen exaltetur ! — supplex se vertit et, ab eo donatus facultate utendi lingua eorum quibuscum degebat, christianorum persecutores obiurgare coepit. Quare eum dux exercitus verberavit. Cui sanctus : « Nisi obstaret lex Christi, qua et mens illustratur et impetus continetur, nec tu nec exercitus tuus e manibus meis evaderetis. » Quae igitur ad eum attinebant dux datis ad imperatorem litteris mandavit, et militibus ducentis ad illum ab imperatore missis, cum iis libere neque ulla vi coactus venit. Porro baculum manu gestabat, qui ipso orante ramos protulit ; *dein* cum panis militibus deesset, oravit et multus panis iis praesto fuit. Quod admirati, in Christum crediderunt et, Antiochiam progressi, manu Pauli, patriarchae antiocheni, baptizati sunt. Christophorum autem ad se adductum Decius timuit et tentavit blandiendo decipere ; itaque ad eum submisit duas mulieres peccatrices, summa vultus pulchritudine excellentes, sperans *nimirum* fore ut istae eum ad malum allicere

[1] Haec D substituit : Eodem die martyrium passus est sanctus Iohannes monachus, nomine Abū Maqīṭaf insignis, qui, cruciatibus plurimis affectus, postremo decollatus est, anno millesimo sexto a sanctis martyribus. Quorum preces nobis adsint.

possent ; verum, sancto docente atque hortante, in Christum crediderunt, paenitentiam egerunt et martyres obierunt. Eodem modo et ducenti milites Christum coram imperatore confessi sunt ; a quo iussi sunt decollari. Quare imperatorem obiurgavit sanctus, sic eum compellans : « Qui opera Satanae perficis eique te dicto audientem praebes. » Tum praecepit *tyrannus* ut in ollam magnam deiceretur, igne ardenti subiecto ; quod factum est ; sed nihil mali inde expertus, in olla stans circumstantes hortabatur. Qui cum eum viderent loquentem et praedicantem, licet in olla constitutum, eundemque incolumem, rem admirati, in Christum credentes, accesserunt ut sanctum ex olla extraherent ; at imperator iussit eos gladiis discerpi, et gladiis *revera* in modum ludi discerpti sunt. *Postea* sanctus in puteum mandante imperatore demissus est, sed ab angelo Domini extractus incolumis ; et *tandem* iussu eiusdem, qui prius ea de re anceps haeserat, decollatus, martyrii coronam consecutus est.

Preces eius et benedictiones a demone nos *ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

Eodem die, mors patris nostri Ġalm e pago Šubrā el-Ḫaymah, in locis Qāhirae (el-Qāhirah) circumiacentibus, qui in vita sua multa miracula patravit.

Eius preces nobis et omnibus suffragentur. Amen.

MENSIS BARMŪDAH DIES TERTIUS.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus pater Iohannes, episcopus hierosolymitanus. Erat hic sanctus ex parentibus Iudaeis legis observantibus progenitus ; a quibus, postquam adulevit, disciplinis Legis eruditus est, et factus harum peritus cum christianis disputationes, disceptationes et disquisitiones instituebat. Unde firma ei indita persuasione de adventu Messiae et vera eius divinitate, credentium numero adscriptus est a Iusto episcopo [1], qui eum subinde diaconum minorem creavit ; et postea in virtute et scientia ita profecit ut dignus habitus sit qui Hierosolymorum episcopus constitueretur. Imperator autem Hadrianus ('Andriānūs), cognomine Aelia ('Īliā), solio potitus,

[1] B C G' : episcopo hierosolymitano.

instaurari iussit Hierosolymorum partes quae eversae fuerant et urbem suo nomine Aeliam appellari ; tum arcem exstruxit portae templi Iudaeorum imminentem, eiusque foribus marmoream imposuit tabulam in qua ipsius nomen Aelia inscriptum. Eiusdem *imperatoris* temporibus Hierosolyma Iudaeis et gentilibus repleta fuit, qui, cum viderent homines Golgotham adeuntes ibique orantes, ut eos arcerent, ibidem delubrum aedificaverunt Veneris nomine dicatum, et *ita* christianos prohibuerunt a consueto illius loci aditu ; a gentilibus autem hierosolymitanis sanctus *episcopus*, calamitates atque molestias plurimas perpessus, verberibus saepe caesus vulneratusque, a Domino petiit ut animam suam reciperet, et ad requiem admissus est postquam sedem duos annos tenuit.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die requie donatus est pater sanctus, caelebs ac purus, Anbā Michael, urbis Alexandriae patriarcha. Huius patris anima ingenua desiderio flagravit vitae illius sanctae quae est *professio monastica, ideoque, monachus factus in ecclesia sancti Macarii (Maqāriūs), in deserto commoratus est quoad senuit, et monachis multis praepositus est. Toto autem vitae tempore omni via bona ac Deo grata incessit, et eiusmodi sustinuit certamen, quo tum in hoc mundo ad sedem patriarchalem, Christi vicariam, tum in saeculo futuro ad gratias caelestes pervenerit. Itaque cum accidit dioecesim viduatam esse pastore qui eam moderabatur, episcopi, scribae et principum doctores menses tres in inquisitione perseverarunt, dubii anxiique de viro qui illi muneri par esset ; et, praemissa inquisitione ac consultatione diligentissima, tres elegerunt de quorum religione bonum perhibebatur testimonium, eorumque nomina tribus inscripta schedulis una cum *quarta* schedula nomen Christi prae se ferente cereis incluserunt et supra altare apposuerunt ; tum episcopi, presbyteri et monachi tres dies et noctes tres permanserunt orantes, sacra facientes atque Deum obsecrantes ut sibi pastorem navum, sacerdotem fidelem, praeficeret. Triduo exacto, puerulum advocaverunt, isque eum extraxit cereum quo nomen huius patris continebatur, atque inde intellegentes eundem a Deo electum, una voce conclamarunt universi : « Dignus est, dignus, dignus. » Deinde, consecratione accepta, nunquam in patriarchae munere declinavit a

vitae instituto quod eiusmodi officium deceret, et sibi scribam assumpsit ut epistulas ad omnes episcopos [1] daret, quibus populum adhortaretur erudiretque, et peccatores reprehenderet. Perseverantes in peccatis excommunicavit, et totus grex eum reveritus est, quoniam certo noverant Deum esse cum illo. Abstinentia fuit singulari, nihil prorsus appetens ex mundi sive voluptatibus, sive gloria, sive divitiis, et quaecumque sibi superessent pauperibus sublevandis atque ecclesiis aedificandis sollicite impendens. Nondum annum integrum sedem tenuerat hic pater cum in pace quievit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

* p. 60. *Martyrium Rizq-Allah architecti, qui, multis licet modis cruciatus, a sententia dimoveri non potuerat. Is anno Martyrum millesimo nonagesimo sexto capite plexus, in pace quievit.

Cuius preces nobis adsint. Amen.

Mensis barmūdah dies quartus.

Hodie martyrium passi sunt sancti Victor, Decius [2] et Irene [3], magnusque mulierum, virorum et virginum numerus. Hi sancti, qui Constantino imperatore florebant, multa delubra destruxerunt, eorum idolis confractis atque combustis, et templorum pleraque converterunt in ecclesias nominibus celsissimae Salvatoris Genitricis et sanctorum dicatas. Post mortem Constantini [4], Apostata Iulianus, imperio potitus, delubris restitutis, idolorum cultum instauravit, eorum sacrificulos beneficiis cumulavit et christianorum multos interfecit. Porro, ad se perlata illorum sanctorum fama, et cum ea comperisset quae delubris et simulacris fecissent, eosdem apprehendit et plurimis affecit cruciatibus, eos diebus compluribus haud continuis verberando et suspendendo, carnesque pectinibus ferreis dilaniando. Qui tandem, capitibus abscisis, coronam martyrii adepti sunt.

Eorum intercessio atque benedictiones nos *omnes* complectantur. Amen.

Eodem die, martyrium trium sanctarum Bint' el-Fazūlī, Ġazāl

[1] B : ad omnes regiones omnesque episcopos. — [2] G' : Kālyūs ; H : Acacius. — [3] C D E F : 'Abrīnī ; G : 'Abrīn. — [4] B C G' rectius : Constantii, filii Constantini.

et Nuzhah, quae multis cruciatibus affectae fuerunt. Postremo caput iis abscisum est anno Martyrum millesimo nonagesimo sexto.

Quarum benedictionibus donet nos Deus. Amen.

Mensis barmūdah dies quintus.

Hodie ad requiem vocatus est propheta magnus Ezechiel, filius Buzi [1], sacerdos. Sanctus hic, qui erat et propheta et sacerdos, omnique dote perfectus, captivus Babylonem abductus est temporibus Buḫtanṣar. Qui, indito sibi, *dum in finibus Babylonis versatur, prophetiae spiritu, vaticinio suo mira quaedam effata protulit. * p. 61. Eiusmodi est praedictio de tempore quo celsissima Virgo, Dei Mater, nascitura esset, deque ea virginitatem post partum servatura. Haec nempe habet : « Orientem versus portam vidi clausam, et dixit mihi Dominus : Porta haec clausa erit, non aperietur, nec quisquam per eam ingredietur vel egredietur, nisi Dominus Deus Israelis ; hic *quippe* per eam intrabit et exibit. [2] » Vaticinium etiam edidit de baptismo [3], cuius virtute homo, anima et corpore sanctificatus, ablato corde lapideo, filius Dei constituitur et Spiritum sanctum accipit in se immissum. Idem contiones ad populum habuit et sacerdotes reprehendit eo quod plebem docendam neglegerent, monens ne ea in re desides *deinceps* essent, demonstransque fore ut ab iis Deus rationem exigeret animarum gregis, nisi eas erudierint et ad virtutem incitarint [4]. Resurrectionem quoque praenuntiavit, exponens corpora cum spiritibus quibus unita fuerint resurrectura et dignam acceptura mercedem [5]. Protulit et *alia* effata multa, ex quibus emolumentum hauriet quisquis ea legerit. Complura miracula Deus eius manibus patravit ; et cum Israelitae Babylone idola colerent, eos hanc ob rem obiurgavit ; quorum idcirco primores, in eum irruentes, ipsum interfecerunt. Vaticinio suo Christi incarnationem antecessit quingentis septem et septuaginta annis ; prophetae autem munere functus est annos viginti.

Preces eius atque intercessio nobis adsint. Amen.

[1] B : Yūdī ; D : Būrī ; G' : Yūrī. — [2] Cf. Ezech., XLIV, 1-3. — [3] B : de aqua baptismi. Cf. Ezech., XLVII. — [4] Cf. cap. XXXIV. — [5] Cf. cap. XXXVII.

Mensis barmūdah dies sextus.

Hodie requie donata est sancta Maria coptica. Erat haec ex Aegypti finibus atque ex urbe Alexandria oriunda, parentibus progenita christianis, et postquam aetatem attigit annorum duodecim, ab humani generis hoste seducta, huius artibus evasit decipula et laqueus, quo innumeras ille animas venatus est [1] et illaqueavit. Corpus enim suum permisit scortatui, et quidem gratuito, ex uno amore peccati mortiferi ac conventuum in quibus frequentatur; perseveravitque in immundo vitae instituto annos septemdecim, voluntate admodum obfirmata in *foeda illa consuetudine. Contigit vero, ex ea qua Deus hominem prosequitur caritate, ut, occurrente turba *fidelium* qui Hierosolymam piae venerationis causa petebant, desiderium ei inderetur itineris cum iis faciendi. Itaque navem qua magna vehebatur multitudo conscendit, et cum, iis navigare incipientibus, nautae mercedem seu naulum ab ea exigerent nec quicquam illi praesto esset quod daret, corporis sui potestatem iis fecit; atque etiam Hierosolymis iam versans illi spurcitiae operam constanter dedit. *Quodam autem die*, volentem per portam resurrectionis ingredi ab ingressu prohibuit vis divina, et quotienscumque ingredi cum *ceteris* ingredientibus tentabat, ab ingressu arcebatur. Quod cum saepius accidisset, secum reputavit obicis causam in morum immunditia reponendam esse, et corde afflicto contritoque oculos attollens, imaginem vidit celsissimae Dominae christianorum patronae, ac flevit dicens: « In fidem tuam me recipe [2], o Dei Mater; equidem, si ingressa festum peregero, quaecumque mihi praescripseris perficiam. » Haec ubi lacrimans protulit, facultate ingrediendi donata est, ac, festi ritibus absolutis, ad imaginem divae Virginis rediens, longam coram ea orationem fudit, petiitque cum fletu amaro ac gemitibus supplicibus ut in locum mitteretur ubi animae salutem consequi posset. Tum ad eam ab imagine vox advenit, haec edicens: « Si Iordanem traieceris, requiem invenies ac salutem. » Effatum *lubens* suscepit, oravit, seseque imagini

[1] Ex B C D, qui lectionem cod. A emendando illustrant. — [2] B: Pacem mihi largire.

tuendam commendavit ac profecta est; et iter ingressa cuidam occurrit qui tres nummos ei dedit; his panem emit, et, Iordane traiecto, in deserto commorata est annos septem et quadraginta, ex quibus septemdecim impendit debellando inimico bellum inferenti per amorem immunditiae cui dedita fuerat [1]. Panem autem quem emerat diu apud se conservavit, parum quid ex eo comedens singulis biduis vel triduis, et, eo consumpto, *herba ei loco cibi fuit.

Porro anno quadragesimo quinto postquam peregrinari coeperat, sanctus Zosimus, monachus et sacerdos, in desertum Iordanis venit, sanctae quadragesimae ibi transigendae causa, quia is vigebat mos in illius coenobio ut monachi tempore sanctae quadragesimae ad desertum se conferrent, vitam ibi acturi solitariam. Eo igitur profectus *Zosimus* Dominum rogavit ut quendam sibi spectandum daret, ex quo utilitatem capere posset; atque incedens et sanctam hanc aspiciens, putavit Satanam sibi exhiberi. Oratione tamen praemissa, agnoscens eam ex genere humano esse, ad eam perrexit; sed illa aufugit, tum pertinaciter insequentem sic compellavit: « O Zosime, si mecum loqui velis, pannum ad me proice, quo vestiar, quia nuda sum. » Qui miratus est sese ab ea proprio nomine compellari; illaque, veste qua tegeretur ad se proiecta, prope accessit, atque alter alterum proni venerati sunt. Maria autem eum precata est ut sibi, utpote sacerdos, benediceret; a Zosimo dein cum magnis reverentiae signis rogata ut totum vitae tenorem patefaceret, narravit quaecumque sibi ab exordio rerum a se gestarum usque ad tempus praesens evenissent; tum ipsa ab eo petiit ut anno proxime subsecuturo particulam corporis Christi sibi afferret. Itaque, post annum secum deferens particulam corporis Christi in calice, itemque fragmentum panis azymi [2], dactylos ac lentes aqua coctas, venit ad ripam Iordanis, ad quam sancta, super flumen incedens, iam accesserat. Postquam alter alterum consalutarunt precesque simul

[1] B ins.: Et triginta annos piae peregrinationis atque ascesěos ardoribus flagravit. — [2] Ita ex C; in A B G, (hic et paullo inferius) non « el-faṭīr » legitur, sed « el-qaṭīn », cuius nominis sensus huic loco accomodatus me fugit. Quamquam vix dubium, hoc vocabulo aliquod alimentorum genus designari. Cf. nomen radice affine قُطْنِيَّة.

fuderunt, Zosimus mulieri sacram communionem dedit, eique dactylos, panem azymum et lentes obtulit; ex quibus illa, ipso obsecrante ut aliquid degustaret, parum lentium digito accepit, benedictionis in modum; tum eum rogavit ut et anno subsequente veniret. Quare, anno elapso, *Zosimus*, Iordanem traiciens, illam repperit mortuam, ad cuius caput haec *prostabant* scripta: « Mariam pauperculam manda terrae, ex qua sumpta est. » Et admirans quod scriptum erat, ad *mortuae* pedes leonem vidit, qui eam custodiebat; et cum anxius haereret de fossa ei percutienda, leone accedente et terram fodiente, mortuae benedixit eamque humo mandavit. Tum, ad coenobium reversus, monachis vitam sanctae a principio usque ad finem enarravit; et ea quidem vixerat annos omnino sex et septuaginta.

Preces eius nobis adsint.

Eodem die, die scilicet octavo post resurrectionem, Dominus — cui *sit* gloria! — Thomae apparuit et vestigia clavorum ostendit, *manu illius apprehensa et divino suo lateri admota. Dixit autem Thomas: « Dominus meus et Deus meus. » Cui *Iesus* respondit: « Quia vidisti me, credidisti; beatus qui non vidit me et in me credit. » Porro memoriae proditum est, manum Thomae, cum lateri Domini apposita est, igne divinitatis ferme adustam, sed, statim ac divinitatem ille confessus est, dolore adustionis liberatam fuisse.

Domino nostro *sit* gloria, et Thomae intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Barmūdah dies septimus.

Hodie ad requiem vocatus est magnus *ille* sanctus Ioachim, pater Celsissimae Genitricis Dei nostri. Hic *vir* iustus, qui tribus nominibus appellatus fuit, nimirum Yuwāqīm, Yūnāhīr et Ṣādūq, ex familia Davidis et ex tribu Iudae genus ducebat; erat enim filius Ioatham, filii Eleazar, filii Eliud, sanguinis originem repetentis usque a Salomone, filio Davidis regis, cui a Deo promissum fuerat, ipsius progeniem super filios Israel in aeternum regnaturam. Huius iusti uxor Anna sterilis erat; sed ambo, perseveranter orando atque obsecrando, id a Deo impetrarunt ut donarentur fructu bono dulcique, quo et satietas universis mundi

hominibus allata est, et servitutis amaritudo ab eorum ore remota. Dignus fuit qui, ratione habita mirae stupendaeque incarnationis, pater Christi vocaretur; et, oculis diva Virgine in lucem edita divinitus recreatis, sacrificium suum obtulit atque opprobrio inter contribules liberatus est. Tum, postquam illam ablactavit et a matre separatam in templum attulit, prout Deo voto suscepto promiserat, dies haud multos superstes fuit et in pace quievit.

Eodem die, commemoratio Agabii ('Aġāyos)[1] et Theodorae martyrum; itemque commemoratio sancti Abū *Maqrufi (Maqrūfah)[2], filii Abū Mosis, rectoris coenobii el-Balīnāh[3].

Universorum intercessio atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Barmūdah dies octavus.

Hodie martyrium passae sunt tres sanctae, videlicet Agape (Aġābī), Irene (Irīnī)[4] et Satunia (Satūniah)[5]. Istae sanctae virgines, patria Thessalonicenses, Christum colentes, cuius fidem a progenitoribus susceperant, virginitatis castitatisque statum fuerant amplexae; et christiana iunctae concordia, viam virtutis insistebant modo qui ipsarum vires, sive externam speciem spectas, sive intimam indolem, superabat: ieiunia servabant perpetua, orationes frequentabant et vigilias, monasteria saepissime adibant, ubi paenitentiae operibus cum monialibus se addicebant. Porro quo tempore impius Maximianus, solio potitus, cultum idolorum instauravit et sanguinis puri plurimum fudit, illae sanctae sibi timentes ad montem aufugerunt et, intra speluncam absconditae, ibi commoratae sunt, in paenitentiae et pietatis exercitiis perseverantes. Mulier autem aetate grandior eas singulis hebdomadis invisebat, ea afferens quibus indigerent, vendens quidquid labore manuum confecerant et quod ipsis reliquum esset earum nomine pauperibus distribuens. Hanc

[1] A E: 'Aġāyos; D: Ġābīs; F: 'Aġābyūs; G: 'Aġābīs. — [2] G: Maqrūfyūs. — [3] D: el-Mīnā. C autem non memorat nisi unum sanctum, hoc modo: Eodem die ad requiem admissus est *vir* sanctus et illustris Anbā Maqrūfiūs, filius regis urbis Qār, qui in monte Sarġah. — [4] D G: 'Abrīnī. — [5] C: Syūnyah; D H: Sabūnyah; G: Sūnyah.; (corruptum e Chionia).

observaverat improbus quidam, ex urbe saepius egredientem et pergentem ad montem, eamque procul et latenter secutus, vidit antrum ingredientem; tum sese abscondit donec exiret, existimans nimirum aliquid *pretiosi* ab ea in caverna occultari; et postquam illa e loco recessit, speluncam ingressus, tres repperit margaritas pretiosas, virgines *scilicet* Christi, stantes et orantes. Itaque devinctae sunt et ab illo adductae ad Thessalonicae praefectum. A quo de fide sua interrogatae, professae sunt se christianas esse et ei cultum adhibere qui pro se crucifixus esset. Iis propter fortitudinem in respondendo succensuit praefectus et, ipso praecipiente ut verberarentur, acerbis affectae sunt verberibus. Cum tamen iussis impiis non parerent, praescripsit ut in ignem conicerentur; et ligatae *atque in ignem coniectae, spiritum inibi exhalarunt et beatitudinis adeptae sunt coronam.

Earum intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyres centum et quinquaginta martyrio simul[1] affecti sunt a rege Persarum. Is quippe, cum christianorum regiones finibus suis adiacentes invasisset, captivos ex illis in Persidem abduxit et nolentium cultum soli et stellis adhibere capita truncari iussit. Qui ita coronam martyrii consecuti sunt.

Eorum intercessio et benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Barmūdah dies nonus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus et pius athleta, presbyter et monachus Zosimus (Zūsīmā). Hic sanctus, patria Palaestinensis, parentibus christianis sanctisque natus est. Qui *puerum* hunc sanctum sibi datum, postquam annos quinque aluerunt, uni sanctorum seniorum monachorum tradiderunt christiano more educandum et in scientia de legibus ac de ritibus Ecclesiae christianae erudiendum. Eum senex pius, a se *tanquam* filium spiritalem susceptum, omni cultus genere instituit, tum monachum constituit ac diaconum; et *Zosimus* in virtute plurimum profecit, assiduus in *divinis* laudibus et in lectione diurna

[1] Ad tit.: una hora.

atque nocturna. Sive manuum labori vacabat, sive[1] comedebat, nullo unquam temporis momento divinas laudes intermittebat. Post annos triginta quinque in coenobio transactos sacerdos ordinatus, paenitentiae monasticae et certamini *spiritali* magis magisque se dedidit; et cum annos tredecim in sacerdotio degisset, Dei servitio impensissime addictus et in certamine suo victor, in mentem eius iniecit hostis infensissimus cogitationem hanc pessimam, ipsum *omnibus* aetatis suae monachis antecellere, ita ut *intra se* quaereret num esset aliquod devotionis genus cuius expers foret. Eum tamen Christus non dereliquit, sed misso ad eum angelo auctor illi fuit ut monasterium quoddam Iordani adiacens peteret. Quo statim profectus, senioribus sanctis ac vitae tenore perfectis ibi occurrens, intellexit *se iis inferiorem esse et in mundo homines se perfectiores reperiri; quare cum iis remansit et inter eos annos complures decertavit. Mos autem illis erat ut, recurrente sanctae quadragesimae tempore, hebdomadam primam in monasterio ieiunarent, dein, sacra communione refecti, e coenobio exirent, psalmum vigesimum sextum inter exeundum legentes, atque, domo egressi, ad portam orationem funderent, alii aliis valedicerent, et abbatis benedictione accepta, per desertum dispergerentur, pro se quisque seorsum decertaturi nec faciem ceterorum aspecturi; et si quis sodalem videret ad se accedentem, in aliam ipse partem aufugiebat. Singulis igitur annis sanctus Zosimus cum illis exibat in deserto peregrinaturus. Deumque orabat ut sibi aliquem ostenderet ex quo utilitatem capere posset; et dum ibi quondam peregrinatur, Mariam Copticam repperit, quae ipsi interroganti vitam suam et causam solitudinis a se capessitae exposuit, tum ab eo *sacram* communionem petiit. Itaque communionem illi attulit et dedit. Dein, mulierem anno sequenti invisens, mortuam invenit atque humo mandavit, eiusque historiam coenobii monachis enarravit. Ad requiem vocatus est annos natus octo et nonaginta, ex quibus quinque ante ingressum in coenobium et nonaginta tres monachus et *Christi* athleta degerat.

Preces eius nos omnes custodiant. Amen.

Eodem die magnum editum est miraculum a patre nostro

[1] Negationis, quae in cod. A abundat, nulla habetur ratio.

sancto Sinutio (Sīnūtyūs)[1], Alexandriae patriarcha. In desertum quippe ascenderat, ut in monasteriis cum monachis ieiunio vacaret. Adveniente autem Palmarum hebdomada[2], congregati sunt Arabes, et, in desertum eo animo ingressi ut de monasteriis praedarentur, constiterunt in rupe ab orientali ecclesiae parte, 5 ensesque nudatos manibus stringebant ad homines invadendos. Quare ad patriarcham convenerunt episcopi atque monachi et, eam rem cum ipso conquesti, postulabant ut desertum ante festum Paschatis relinqueretur. Quibus ille : « Equidem e deserto non discedam priusquam Pascha peregerim. » Tum feria quinta 10 Paschatis, illis magis urgentibus, cum videret populum conturbari, accepit baculum suum, cui imago crucis imposita, ostendens velle se invasores adire, dixitque : *« Nihil mihi magis optandum quam ut mortem pro populo Dei obeam. » Eum detinebant episcopi et monachi atque ab egressu prohibebant ; verum *ipsius* 15 *voluntas* praevaluit, suorumque animis confortatis ac solatio demulctis, baculum manu gestans, ad Arabes exivit. Qui, ubi eum adspexerunt, pedem retulerunt aufugeruntque, ac si exercitus ingens eos aggressus fuisset ; et ex illo tempore nunquam redierunt, locis sanctis nocituri. 20

Huius sancti patris intercessio ac preces nos custodiant et ab omnibus molestiis salvos praestent. Amen.

* p. 68.

Mensis Barmūdah dies decimus.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus pater Anbā Isaacus, discipulus patris magni Anbā Apollonis (Abollū). Hic sanctus 25 a teneris unguiculis mundo valedixit, huiusque voluptatibus spretis, ad montem Scete (Šīhāt) ascendens, monachus factus est et sese discipulum addixit sancto patri Anbā Apolloni, in cuius famulatu annos viginti quinque perseveravit. In eo statu animam multis modis exercuit, corpus extenuans carnisque exstinguens 30 passiones, et sic ad voluntatem rectam ac propositi tenacem pervenit. Ex omnibus illis rebus enata est *ei* tranquillitas mentis in orationibus et missis, quibus vacabat perpetuo stans, manibus iunctis, capite inclinato, lacrimas fundens usque ad finem missae

[1] D : Syūsyūs. — [2] Ad litt. : oleae hebdomada.

vel orationis ; dein, ex missa egressus, neminem iam illo die conveniebat, neque portam cellae suae relinquebat apertam, ne quisquam ad se ingrederetur. Interrogantibus autem cur, in missa et oratione occupatus, non loqueretur cum iis qui ipsum 5 alloqui vellent, respondit : « Suum cuique tempori negotium proprium. » Ubi imminere visa est mors eius, ad eum confluxerunt monachi plurimi, ut benedictionem eius acciperent, illumque interrogaverunt : « Quare ab hominibus fugiebas ? » At ille : « Non ab hominibus, ait, fugiebam, sed a daemone. Si quis 10 enim, candelam gestans accensam, in loco steterit quem aer perflet, ipsius candela exstinguetur ; ita et menti nostrae, si oratione *et missa collustrata fuerit et *dein* cum aliis conversati fuerimus et collocuti, tenebrae offundentur. » Postquam consummavit sanctus vitam suam spiritalem, Domino volente requiem 15 ei a laboribus concessam, corpore parumper aegrotavit et in pace quievit.

* p. 69.

Preces eius nobis omnibus suffragentur. Amen.

Eodem die ad requiem vocatus est sanctus pater Anbā Gabriel, cognominatus Ibn Tarīk, urbis Alexandriae patriarcha. Hic sanctus, 20 ex urbis Miṣri[1] optimatibus et principibus progenitus, librarius erat navus, doctus ac peritus, librosque plurimos, sive copticos, sive arabicos, propria manu descripserat, plerorumque sensum et interpretationem assecutus ; et a primoribus et praepositis populi ad sedem patriarchae electus est. Erat quippe in deserto 25 senex quidam sanctus, *natione* Syrus, nomine Rabbān Yūsof, qui, gratia in se divinitus immissa, per Spiritum sanctum res futuras priusquam fierent videbat nuntiabatque. Ad quem convenerunt monachorum seniores, rogantes ut sibi indicaret quisnam esset ad praecelsum illud munus aptus. Respondit autem : « Vir cui 30 nomen Ibn Tarīk. » Tum reversi monachi episcopos de hac re certiores fecerunt, et episcopi, in eandem sententiam euntes, de eo *eligendo* consenserunt. Is, quo tempore ad desertum adscendit, *fidei* confessioni quae in fine missae *legitur* haec adiunxit : « Et facta est una cum divinitate eius. »[2] Hoc autem respuerunt 35 monachi nonnulli, timentes *nempe* ne quis indoctus commixtio-

[1] Cf. Amélineau, *Géographie de l'Égypte*, p. 223 et sqq. — [2] De carne seu natura humana Christi agitur.

nem suspicaretur. Quare dicebant : « Non nostri moris est ut hanc enuntiationem usurpemus. » Quae tamen, strictiore examine praemisso, admissa est, ea vero condicione ut subderetur *clausula*: « absque separatione et absque commixtione vel confusione. » Et *hic dicendi usus* usque in hodiernum diem receptus est atque usurpatus.

Multa quoque utilia constituit sua aetate hic pater : prohibuit ne in *urbibus* Miṣro et Qāhirah mortui intra ecclesias sepelirentur ; quicumque pellicem domi habebant neque dimittebant, eos anathematizavit ; de haereditatibus et rebus variis canones alios et statuta condidit, quae adhuc vigent. Commentarios conscripsit et complura doctrinae capita e libris selecta collegit concinnavitque. Temporibus suis episcopos creavit quinquaginta tres, sacerdotes item multos, neque dictum est *vel* drachmam unam ab eo *per illas occasiones* acceptam esse. Cum Moslemorum imperator (sultanus), inique in illum agens, pecunias ab eo instantissime exigeret, duces populi, quoniam illum noverant nihil unquam ab ullo accepisse nec quicquam sibi vindicasse ex facultatibus *ecclesiarum vel ex pie legatis ad pauperes sublevandos, idcirco, partibus aequalibus inter se viritim assignatis, aere collato auri pondo mille eius loco ac nomine solverunt. Ubi propius iam a morte aberat, voluit Deus eius virtutem hominibus manifestatam. Quare, levi aegrotans infirmitate, sibi visus est videre quandam sacerdotum et monachorum cohortem manibus cruces, thuribula et evangelia gestantium, qui ipsum consalutarunt, dicentes : « Adsumus, te invisendi gratia ; post annum autem ad te revertemur, teque nobiscum abducemus. » Expergefactus, quae viderat cum episcopis et sacerdotibus qui se circumstabant communicavit, et ex illo morbo convaluit ; sed post annum obiit, brevi aegrotatione e medio sublatus. Sedem tenuerat annos quattuordecim.

Preces eius et benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Barmūdah dies undecimus.

Hodie ad requiem vocata est sancta et pura mater Theodora. Haec sancta Alexandriae parentibus christianis, qui ex civitatis primoribus et divitibus erant, nata, ad Dei famulatum certamen-

que pro nomine eius *ineundum* propensior fuit. Eam parentes multis donaverant ornamentis vestimentisque pretiosis, quia sperabant eam nupturam neque alia iis erat proles. Cum autem eiusmodi consilium ei non probaretur, quaecumque sua causa effecta erant accepit et alicui commisit vendenda, ac pretii aliquid pauperibus distribuit atque ecclesiam extra Alexandriam a parte urbis occidentali aedificavit ; tum adiit sanctum patrem Athanasium patriarcham, qui eam, capillo detonso, monacham constituit in uno coenobiorum quae Alexandriam circumstabant : ibique sese mortificatione singulari exercuit et, certamine spiritali decertans, digna fuit quae, visionibus divinis donata, et angelos et daemones oculis usurparet atque utrosque discerneret, itemque facultate polleret cogitationes introspiciendi et diiudicandi. Societate eius sanctus Athanasius oblectabatur, eamque tum ipse adibat, tum ad se vocabat ; et illa omnes cogitationes suas ei manifestabat, a quo *vicissim* Satanae dolos, consilia et laqueos edocebatur, a quo etiam, postquam sanctus e *sede alexandrina pulsus est, complures epistulas accepit. Vixit *Theodora* usque ad senectutem, in certamine spiritali perseverans, et quinque ex patriarchis Alexandriae vidit, videlicet Alexandrum, Athanasium, Petrum, Timotheum et Theophilum. Eadem mater tractatus plures, et quosdam quidem ex gratia sibi indita *prodeuntes*, alios ex iis quae a patribus patriarchis didicerat conscripsit. Eam quidam interrogavit num, proferente alio sermones malos, necesse sit vel praecipere ut sileat, vel eum increpare, vel aures obturare. Cui respondit : « Horum nihil est necessarium, sed oportet ut rebus auditis ne[1] delecteris. *Res nimirum perinde se habet* ac si quis in mensa coram te alimenta diversa, tum bona, tum mala, apposuisset ; *tunc enim* non licebit dicere : Ista aufer a me, utpote mihi nociva ; sed, istis relictis neglectisque, aliis vesceris. » Dixit etiam : « Nihil Satanam devincit aeque ac ieiunium et humilitas. » Pervenerat haec sancta ad centesimum aetatis annum cum in pace quievit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die, commemoratio patris episcopi Anbā Iohannis in urbe Gaza. Eius oratio nos custodiat.

[1] Particula negandi, quae in A desideratur, non tantum ex contextu B C G suppletur.

Mensis Barmūdah dies duodecimus.

Hodie festum agimus in commemorationem archangeli puri Michaelis, angeli misericordiae et miserationis, qui patronus fidelis est generis humani, quique apud Deum gratia et auctoritate plurimum valet.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Hodie requie donatus est sanctus pater Alexander, patriarcha hierosolymitanus. Hic sanctus, qui constitutus fuerat Cappadociae * p. 72. episcopus, eo consilio Hierosolymam venit *ut *Deum* ibi adoraret et, benedictionem ex sacris reliquiis aucupatus, ad sedem suam reverteretur. Erat autem Hierosolymis episcopus sanctus, Barkīsūs[1] nomine, aetatis provectae, annos quippe plures quam centum et decem natus, qui saepius animo proposuerat se ab episcopatu abdicare, sed a plebe impeditus fuerat. Itaque cum hic sanctus Alexander, *pia* peregrinatione absoluta, constituisset in Cappadociam redire, vox caelestis ab incolis Hierosolymorum divinitus exaudita est, quae iis dicebat : « Ad portam egressi, primum qui per eam intraverit apprehendite et episcopum vobis praeponite. » Egressi igitur ad portam, inventum hunc patrem Alexandrum apprehenderunt ; verum ille *rapientibus* restitit dixitque : « Ego sum episcopus Cappadociae, neque fieri potest ut gregem meum mihi a Christo commissum derelinquam ad alium pascendum. *Ecclesia mea* mihi uxoris loco est, ideoque mihi non licet eam dimittere. » Tum eum vocis a se auditae admonuerunt, testati hoc ex Dei voluntate ac praecepto fieri ; quod postquam illi certum fuit atque exploratum, rem *nempe* ex Dei voluntate repetendam, idem *insuper* suadentibus patribus qui ad festum convenerant, illorum postulationi morem gerens, ad dioecesim suam *priorem* epistulam dedit, qua quae accidissent enarrabat, se apud eos excusabat et veniam petebat, facultatem *denique* iis faciebat episcopum sibi sufficiendum eligendi. Epistulam per eos misit qui ex illa regione *Hierosolymis* aderant ; dein *ipse* cum seniore Barkiso (Barksīs) plus quam quinquennium remansit. Postea, mortuo patre Barkiso, Alexandro commissus est grex

[1] Nomen corruptum e « Narcissus » ; cf. Eus., *H. E.*, VI, xi.

hierosolymitanus, cui regimine spiritali *vere* apostolico praefuit. Maximus autem, imperator impius, manus in eum iniecit, eumque multis et variis affecit tormentis, ac dein carcere inclusit dum decerneret quid ei faciendum foret. Verum Deus *tyrannum* cito interemit, et Gordiano imperatore pater e carcere liberatus est ac persecutio christianorum paulisper quievit. Tum mortuus est et *Gordianus*, cui Philippus successit. Is, qui in Deum credebat, confessores qui expulsi fuerant libertate donavit atque in honore habuit, et pater in pace et tranquillitate degit quoad Decius, Philippo a se per vim enecato, solio potitus, christianos persecutus est. Is nempe hunc patrem et plurimos Ecclesiae praepositos apprehendit, eosque, imprimis vero patrem hunc, omni tormentorum et poenarum genere cruciavit. Alexandrum enim flagris aculeatis[1] tanta acerbitate verberavit ut *costas eius in thorace frangeret ; tum iussit eum pedibus * p. 73. pertractum in carcerem detrudi. Ubi iacens ille non desiit Christum confiteri quoad animam in manus Domini exhalaret et regnum sanctis praeparatum assequeretur.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem hoc ipso die martyrio affectus est sanctus Antonius[2], episcopus Ṭamūyah[3]. Cuius benedictiones nobis impertiantur. Amen.

Mensis Barmūdah dies decimus tertius.

Hodie martyres obierunt sancti monachi ascetae Anbā Yāšū' et Anbā Yūsof, disciplui sancti patris Philii (Phīlyus[4]), qui martyrium passi sunt in monte Khorāsān. Narratio martyrii eorum occurret die vigesimo octavo huius mensis, qui dies est martyrii patris spiritalis eorundem.

Huius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die[5], memoria Dionysiae diaconissae, e numero apostolarum quas constituerunt discipuli.

Eodem die, memoria Domadii[6] martyris. Omnium preces nobis adsint. Amen.

[1] Ad litt. : acutis. — [2] B C D E F : Memoria Antonii. — [3] F : Ṭabaryyah. — [4] B : Milyūs. — [5] B hanc memoriam om. — [6] A : Madīs ; B F : Domadyūs E : Domadīs.

Mensis barmūdah dies decimus quartus.

Hodie ad requiem vocatus est pater insignis, *vir* spiritalis, sanctus Maximus, urbis Alexandriae patriarcha. Is fuit timoris Dei plenus in omnibus negotiis et operibus suis. Patria alexandrinus et parentibus christianis natus, didicit graece scribere, artemque scribendi et grammaticam perfectissime callens, factus est linguae graecae peritissimus. Dein, ad disciplinas ecclesiasticas conversus, a patre Heracla (Bāraklā)[1] diaconus *ecclesiae alexandrinae praepositus est, eumque postea pater Dionysius presbyterum ordinavit, et in virtute atque in omni munere sibi commisso[2] proficiebat ac prospere agebat. Patre Dionysio vita functo, a doctis patribus episcopis electus ad sedem apostolicam tenendam, hanc Deo disponente conscendit. Mortuus autem erat pater Dionysius antequam decretis concilii antiocheni contra Paulum Samosatensem congregati plene satisfecisset. Itaque ubi hic pater *Maximus* sede potitus est, ei redditae sunt praesidum concilii litterae de eiusdem concilii eventu et de rebus in eo gestis, *nimirum* de Paulo Samosatensi atque sequacibus eius ibi anathematizatis; quas Alexandriae sacerdotibus perlegit. Tum scripsit ipse quoque suo nomine epistulam alteram, quacum concilii acta ad omnes Aegypti provincias, ad Aethiopes et Nubaeos misit, et qua officium inculcabat Deum rogandi ut Pauli Samosatensis sectam e mundo tolleret. Illorum orationes exaudivit Dominus, siquidem haud multo post, Paulo divinitus e vivis sublato, falsa eius doctrina evanuit. Huius sancti temporibus, in Orientis regionibus prodiit vir Manes (Mānī) nomine, contendens sese esse Paraclitum Spiritum sanctum; quem, cum ad Syriae fines accessisset, impugnavit episcopus sanctus, Archelaus (Aršī Lāwos) appellatus, et debellatum erroris que manifesti convictum e regione sua eiecit. Quare, in Persidem reversus, ille prophetiae charisma sibi asseruit. Eum vero apprehensum Bahrām, Persarum rex, in duas secuit partes; idemque ducentos ex sequacibus illius apprehendit et in terra, capitibus deorsum versis, ad mediam usque corporis partem defodit humavitque quoad morerentur, dicens: « Hortum hominibus consevi. » Quod

[1] B : Yārakla ; (gr. Ἡρακλᾶς). — [2] G' : in omni grege cui praeerat.

vero ad hunc patrem attinet, assiduam et diligentem dabat operam gregi custodiendo, fideles adhortationibus confortans, eosdemque commonens ut sibi ab impiorum et haereticorum persecutione caverent; *neque ab eiusmodi officio destitit* quoad diem supremum obiit, sede potitus per annos septemdecim.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis barmūdah dies decimus quintus.

Hodie festo recolimus consecrationem primi altaris in finibus Aegypti a christianis Iacobitis *dicati nomine sancti Nicolai, episcopi Myrae, unius ex patribus trecentis decem et octo[1]. Consecratum fuit illud altare extra pomoerium Alexandriae, in ecclesia cui nomen a sancto Abū Šenūdah, ab orientali parte pomoerii memorati. Fuit autem hic sanctus admodum illustris et, fidem coram legatis Diocletiani confessus, multis affectus est cruciatibus; sed Deus superstitem eum reliquit ut sancto patrum trecentorum decem et octo conventui interesset. Miracula vero eius et beneficia plurima fuerunt, et per *omnes* orbis partes nota atque celebrata.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die, commemoratio apostoli Agabi, unius ex septuaginta discipulis, qui, referente libro Actuum Apostolorum, ea Paulo praenuntiavit quae huic eventura essent. Idem quoque est qui praedixit adventum famis illius magnae quae Claudii Caesaris temporibus invaluit; et ita quidem adimpleta est praedictio eius ut et fames et lues acciderint, quibus homines multi et animalia interierunt. Iam supra, ad diem quartum mensis amšir, prostat vitae huius sancti relatio.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die, commemoratio sanctae Alexandrae imperatricis, quae fuit uxor Dadiani (Dadiānus) imperatoris[2]. Hunc quondam tus diis coram se adolentem sanctus Mār Georgius illusit et, ab eo in aedes regias admissus, orationes fudit et quaedam ex Psalmis imperatrice audiente praelegit. Quae eum rogavit ut illa sibi explanaret. Explanationem igitur ei proposuit, tum eidem

[1] Qui nempe concilio nicaeno interfuerunt. — [2] Cf. infra, p. 87.

Christi divinitatem demonstravit, et illa, verbis persuasionem animo ingerentibus, in Christum credidit. At imperator, postquam sanctus ipsum illudens idola destruxit et iussit terra absorberi, pudore suffusus est et, sanctam *suam uxorem* conveniens, rem cum ea conquestus est. Quae respondit illi : « Nonne dixi tibi : Galilaeis noli obsistere, quoniam potens Deus eorum ? » Tunc ira percitus vehementi, iussit illam cruciari, et tormentis tradita in pace quievit.

Intercessio eius et benedictiones nobis suffragentur. Amen.

*p. 76.

*MENSIS BARMŪDAH DIES DECIMUS SEXTUS.

Hodie martyrium passus est magnus sanctus Antīnūs, urbis Pergami (Barǧāmah)[1] episcopus, Iohannis evangelistae et theologi discipulus. Vixit hic sanctus temporibus Domitiani (Ṭūmātyānūs)[2], filii Vespasiani qui Hierosolymam destruxit. Iste imperator, *Domitianus scilicet,* Iudaeos ex regno suo expulit, ut nemo Iudaeus ibi deinceps compareret, et multos stirpis regiae filios occidit, eo quod sibi suoque regno timebat. Audiens autem christianos et gentem esse numerosissimam et Christum sibi regem adscribere, terrore motus, plurimos ex fidelibus interfecit, et, Iohanne theologo sibi per fugam consulente, Hierosolymam misit qui filios Iudae, filii Iosephi, vinctos Romam adducerent. Qui ab ipso de regno Christi interrogati, responderunt regnum Christi caeleste esse, ipsumque Christum in caelo versari, unde in fine saeculi venturus sit ad vivos et mortuos iudicandos atque singulos pro meritorum diversitate remunerandos. Ea explicatione audita, timuit et, a persequendis christianis desistens, praecepit ut honorarentur. In numero vero eorum qui eius iussu martyrium subierunt fuit hic sanctus pater ; quippe qui, multis acerbisque tormentis vexatus ut Christum abnegaret et ipsis contra cruciatibus ad apertiorem confessionem fidemque firmiorem adductus, postremo tauro aeneo inclusus est, cui ignem ardentissimum subiecerant ; sed ipse intus Deum laudabat et extollebat, eique agebat gratias, quod se habuisset dignum qui pro sanctissimo

[1] F : Bar'āmah : G′ : Barǧābah. — [2] B : Ṭumātyūs ; C : Ṭiṭūs ; D G′ : Ṭūmā-tyānyūs.

eius nomine martyr fieret. Dein, quoad in tauro aeneo expiravit, a Deo supplex petiit sanationem eorum omnium qui, morbo qualicumque sive corporis sive animae laborantes, nominis sui meminissent. Ubi ab impiis *e tauro* eiectus est, fideles, sacra ipsius membra magno honore excipientes, eadem in ecclesia deposuerunt. In carcere autem constitutus, epistulam a sancto Iohanne evangelista acceperat, qua eum ille solabatur, confortabat, appellabatque sacerdotem fidelem, pastorem bonum et martyrem, formam martyrii *ab eo subeundi* praenuntians. Revera adnumeratus est apostolis martyrio coronatis. Porro fama est, *ex ossibus huius sancti ad hunc usque diem manare unguentum suavi fragrans odore, iis omnibus utile qui id cum fide adeant.

*p. 77.

Huius sancti intercessio atque preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

MENSIS BARMŪDAH DIES DECIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Iacobus apostolus, frater Iohannis, Zebedaei filius. Antea commoratus fuerat[1] in urbe 'Andyah[2], ibique insignia patraverat miracula, quibus incolas ad cognitionem Dei — qui exaltetur ! — reduxerat. Dein in regiones multas se contulit, ubi evangelium Christi praedicavit, homines ad fidem invitans, exhortansque ut ex primitiis frugum et pomorum aliquid Ecclesiae attribuerent et pauperibus atque miseris eleemosynas erogarent. Potestati autem subiacebant Herodis, qui, ubi de hoc apostolo audivit, magna percitus ira, misso nuntio arcessivit eum atque interrogavit : « Tune ille es qui praecipis ut neque tributa Caesari neque vectigalia regi solvantur, sed ut curas conferant homines in eleemosynam, in ecclesiam et in egenos ? » Tum, in eum excandescens eumque propria manu percutiens, caput eius gladio abscidit ; et ita ille martyrii coronam immarcescibilem est adeptus, magna vero conturbatio Hierosolymis orta est. Apprehendit etiam *Herodes* Petrum, discipulorum caput, atque vinculis adstrinxit, in animo habens eum post pascha tradere occidendum. Sed, ab angelo

[1] B G′ : praedicaverat. — [2] B : 'Abryah : C : 'Idyah.

Domini percussus plaga pessima, putrescere coepit et vermibus scatere, quia sibi ipse, non Deo, laudem dederat et gloriam. Corpus vero sancti Iacobi quidam fidelium acceperunt, sepelierunt et iuxta templum humarunt.

Intercessio eius nos custodiat nobisque auxilio sit in omnibus calamitatibus nostris. Amen.

* p. 78.

*Mensis Barmūdah dies decimus octavus.

Hodie martyrium passus est *vir* illustris et sanctus Arsenius (Arsānyūs)[1], sancti Susennii (Sūsnyūs) servus. Hic sanctus Arsenius, quo tempore Diocletianus sanctum Susennium aliosque vexabat, a proprio patre accusatus est, imperatorem sic allocuto : « Susennio servus est Arsenius nomine, qui deos non amat, sed ad libidinem suam Christum diligit. » Quem arcessi iussum imperator coram interrogavit de ipsius fide. Et confessus est *sanctus* Christum huiusque divinitatem ; tum ab imperatore fuse interpellatus atque reprehensus ob derelictum deorum quos veneratus fuisset cultum, eum ipse vicissim increpavit eo quod cultum Dei deorum, veri Dei, dereliquisset. Quare imperator, ira atque furore magis in eum excandescens, iussit caput eius hero praesente abscidi, et, capite absciso, coronam martyrii consecutus est.

Intercessio eius nobis ad extremum usque halitum suffragetur. Amen.

Mensis Barmūdah dies decimus nonus.

Hodie sanctus Simeon armenius, Persidis episcopus, martyrio coronatus est una cum aliis centum et quinquaginta martyribus. Degebat hic sanctus in regno Saporis, filii Hormuz, cognomine al-Aktāf insignis eo quod regis cuiuscumque devicti et captivi humeros luxabat. Qui fidelibus tormenta multa excogitavit nova atque inaudita, gravesque intulit iniurias. Quare ad eum dedit hic sanctus epistulam qua haec illi edicebat : « Quos Christus Dominus sanguine suo redemit, ii servitute humana sunt exempti et facti servi Christi, *qui sanguinem suum pro iis fudit, neque

* p. 79.

[1] B E F H : 'Ausānyūs ; D : 'Ausābyūs.

legis transgressoribus venerationem famulatumve adhibent. » Litteris eius perlectis, Sapor, gravi percitus ira, illum arcessitum et duabus vinctum catenis in carcerem coniecit. In carcere complures invenit impio solis cultui deditos et custodiae aliam ob causam mandatos, iique ipso praedicante et docente Christum confessi sunt atque caput iisdem amputatum. Dein sanctus, e carcere cum centum et quinquaginta captivis eductus, hos confortavit quoad decollati sunt. Unus autem eorum, qui, timore correptus, de *Christo* abnegando cogitabat, confirmatus est ab alio ex constantioribus dicente : « Noli timere : ictus *gladii* pro nihilo ducendus ; ubi oculos clauseris, numero martyrum accenseberis et cum Christo Domino in aeternum regnabis. » Unde ille, exhortanti obsecutus, martyrium subiit. Qui vero illum confortaverat, Nābasīq nomine, eam ob rem accusatus, lingua praecisa et pelle detracta, morti traditus est. Postea sanctus *Simeon* arcessitus est et, mente eius explorata, cum a proposito non dimoveretur, capitis abscisione coronam martyrii est consecutus. Natus erat annos centum viginti septem.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die, martyrium Davidis monachi, filii Gabrielis Bargiensis (al-Barǧī)[1], ex Birkah-Qarmūṭ *oriundi*, qui multis affectus cruciatibus fidem tamen suam non abnegavit et coronam adeptus est anno sanctorum Martyrum nonagesimo nono supra millesimum. Quorum intercessionibus Deus gratias nobis elargiatur. Amen.

Mensis Barmūdah dies vigesimus.

Hodie martyrium passus est sanctus Babnūdah[2], ex Dandarā, qui locus et al-Bandarah appellatur. Huic sancto, qui solitarius degebat, angelus Domini apparuit dixitque : « Indue vestem in missa adhiberi solitam et, ex hac arce descendens, praefecto te siste praesentem. » Ariānā autem praefectus navem suam ad eum locum appulerat et eremitam a se requisitum non invenerat. *Tunc* ad eum pedes accessit *Babnūdah*, alta voce clamans : « Ego christianum me palam profiteor, qui in Christum Dominum

[1] Vel : Targiensis (legendo : at-Tarǧī). — [2] B : Senūdah.

credo. » Itaque cum novisset ille hunc esse eremitam *celebrem quem requisierat, eum iussit acerbe torqueri. Quem ferreis catenis vinctum in carcerem obscurum proiecerunt. At ei lux magna caelitus affulsit et apparuit angelus Domini, qui eum, vulneribus sanatis, confortavit. Erat autem in urbe vir quidam fidelis, Cyrillus nomine, cum uxore, filia et duobus puerulis *habitans*; hi omnes sancto exhortante et confirmante martyrium cervicibus datis subierunt. Quare ira excanduit praefectus, ac praecepit ut sanctus, lapide ad collum alligato, in mare immergeretur; sed fluitavit sanctus una cum lapide. Tunc iussit *praefectus* eum a palma suspendi, et haec palma illico duodecim protulit ramos, eademque ad hanc usque aetatem in (facti) memoriam remansit.

Preces eius atque benedictiones nos custodiant. Amen.

Mensis Barmūdah dies vigesimus primus.

Hodie festo recolimus memoriam celcissimae et intemeratae virginis, dominae Mariae, matris Dei Verbi. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus Proteus (Barūtāwos)[1]. Hic *vir* eximius Athenis, in urbe viris doctis abundante, in numero erat sapientium et eruditorum, et ex senioribus doctis qui in illius schola versabantur. Is Paulum apostolum adiit, habitaque sunt inter ambos colloquia et disquisitiones, quibus id effectum est ut ille, Pauli opera, crederet; dein, ab apostolo baptizatus atque officia vitae christianae edoctus, ab eodem subinde sacerdos ordinatus est et urbi Atheniensium praepositus. Convenit autem hic sanctus Dionysium Areopagitam[2], qui et ipse ex Atheniensibus doctis erat, eumque, veritate fidei christianae demonstrata, scientia auxit *et sapientia. Hic sanctus, cum adesset inter discipulos die obitus divae Virginis, surgens eos solatus est carminibus quae a se composita ipse ore suo ad modos musicos recitavit. Iudaeos ac gentiles plurimos ad cognitionem Christi adduxit, gratiaque quam acceperat lucrosissime

[1] F melius : Yarūtawos. — [2] Hoc nomen codices mirum quantum deformarunt. B : 'Abrūbāġītīs ; C : 'Abrūbāġīdos ; G' : 'Abarbūbos.

negotiatus est; et apostolis in animo habentibus ipsum episcopum consecrare se excusavit et ab ea re exemptum voluit, dicens : « Utinam possem sacerdotii officiis defungi ! »[1] Postquam multas gratias caelestes scientia sua, labore, praedicatione et doctrinae diffusione comparavit, ad Dominum, cui sit gloria in aeternum, translatus est. Amen.

Mensis Barmūdah dies vigesimus secundus.

Hodie ad requiem vocatus est sanctus Abū Isḥāq, ex Hurin[2], in regionibus Sabās[3], oriundus, parentum integrorum proles. Patri eius nomen erat Abrahamus et matri Susanna. Matre mortua, remansit patri educandus, ac postquam adulevit, coepit gregem paternum pascere. Tum pater *novum* iniit coniugium, et, fame gravi in illis finibus invalescente, uxor patris quae illum oderat, paululum panis ei praebebat; ipse vero, tunc temporis quinquennis, totum ieiunans diem, panem *aliis* pastoribus distribuebat. Quod cum rescivisset pater, filium scilicet Isaacum panem aliis elargiri, ipsum vero ieiunum remanere, venit rem exploraturus; sanctus autem de eius adventu certior factus, tres calculos[4] panum similitudinem prae se ferentes paenula inclusos alligavit, ut *pater* panes existimaret esse quos ligatos videret. Et pater quidem venit ac, paenulae ora reclusa, panem inibi inveniens, eum qui rem ad se detulerat interrogavit utrum aliquid illa ipsa die distributum fuisset, eoque affirmante et testes facti adducente, obstupefactus laudes Deo dedit. Sanctus vero adultior factus secessit et vitam monasticam amplexus est apud virum sanctum cui nomen Elias et quocum aliquandiu habitavit, *defunctoque Anbā Elia, ad montem Pernūǧ (Barnūǧ) migravit, ubi commoratus est apud senem nomine Anbā Zachariam, multis pietatis operibus addictus. *Interea* genitor eius circuibat, requirens eum, et cum ad montem Pernūǧ venisset, inventum rogavit ut secum rediret, ac recusanti pater *Anba Zacharias* auctor fuit ut cum genitore reverteretur quoad hic supremum

[1] Ita ex B, C et G' ; in A particula negans abundat. — [2] Cf. Amélineau, op. cit., p. 200. — [3] B, C et E : Šabās. — [4] Nominis significationem ex similitudine cum voce latina conicio.

diem obiret. Quare cum illo reversus, genitore paulo post vita functo et omnibus divitiis quas filio reliquerat erogatis, domunculam sibi procul ab urbe aedificavit, in qua vitam egit solitariam, seseque continuis devotionis operibus, ieiuniis perpetuis atque vigiliis exercuit quoad quievit in pace. Eum in loco quodam sepelierunt et locum obliti sunt. Annis autem *aliquot* interiectis, eum voluit Deus manifestatum, manifestavitque messoribus; lux quippe supra sepulcrum eius per tres dies ita affulsit ut, si illi locum peterent ad videndum, evanesceret; resque percrebruit et divulgata est, ac ubi potuerunt *lucis affulgentis* sedem dignoscere, corpus invenerunt sepulcro impositum. Antea *sanctus* christianis quibusdam in somnis apparuerat corpusque suum ostenderat. Quod magno cum honore acceptum ferendum camelo imposuerunt, isque non desiit procedere quod locum attingeret medium inter Ḫūrīn et Našrat, ubi restitit immotus et, verberibus licet afflictus ut surgeret, non surrexit. Unde intellexerunt, velle Dominum ut illo loco sepulcrum ei aedificarent, quod et perfecerunt, ecclesia sepulcro superstructa.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem vocatus est sanctus pater Anbā Alexander, Alexandriae patriarcha. Hic pater, patria alexandrinus, parentibus christianis natus, in Ecclesiae ministerio crevit atque educatus est, siquidem a patre Maximo primum est ordinatus lector, a patre Theona diaconus et a patre Petro sacerdos. Singulari et in dies ampliore excellebat puritate. Patrem Petrum, martyrio iam proximum convenit hic pater una cum Archelao, qui fuit eius praedecessor, amboque Petrum rogaverunt[1] ut Arium, quoniam ipsos deprecatores adierat, absolveret. At ille Arium ipsis praesentibus denuo excommunicavit, eosque admonuit ita se agere iussu Christi qui sibi et apparuisset et revelavisset tum Archelaum sibi, tum Archelao hunc patrem *Alexandrum* successurum. Et *haec quidem coram Alexandriae sacerdotibus exposuit. Porro utrumque hortatus est ne Arium reciperent neve ullam cum eo inirent societatem. Postquam autem martyr obiit, Archelaus *in eius locum* consecratus praevaricatus est, Arium recipiendo et constituendo sacerdotem. Verum unum tantum

[1] G : nuntio misso (vel epistula) adierunt.

annum[1] superstes fuit, tumque successit hic pater. Qui ubi sedem conscendit, convenientibus ad se populi senioribus atque rogantibus ut Arium reciperet, renuit, immo illum iterum excommunicavit dixitque : « Pater Petrus mihi et Archelao praecepit ne Arium reciperemus, testatus eum a Christo excommunicatum, ideoque nullam nobis cum eo societatem habendam; et Archelaus, quoniam illo recepto praevaricatus erat, a Deo e sede mox sublatus est. Ego vero illum non recipiam. » Tum eundem eiecit ac cum eo eiecit et eius factionem. Quare abiit Arius et apud Constantinum imperatorem conquestus est, affirmans se ab hoc sancto iniuste excommunicatum. Hanc igitur ob causam Nicaeam convocavit imperator sacrum concilium trecentorum et octodecim *episcoporum*, et cum eidem concilio praesideret hic pater, Arium oppugnavit, eius impietatem patefecit verbis paucis numero, sed vi ac pondere gravissimis; illum et eos qui doctrinae eius adhaerebant excommunicavit, fidem eam professus quam Deus ei ceterisque patribus suggessit atque inspiravit : canones, leges et decreta condidit quae adhuc in manibus sunt omnium christianorum; ieiunium et festum paschatis ordinavit; demum ad sedem rediit victor ac triumphabundus, et postquam gregem pavit in gratia et pace, ad quietem vocatus est. Sedem annos omnino sedecim tenuerat.

Benedictiones eius atque preces nos in aeternum custodiant. Amen.

Eodem die, obitus sancti Marci. Hic pater, patria alexandrinus, virginitate, puritate, scientia excellens, factus est patriarcha Alexandriae, nominis sui alter. Diaconus a patre Iohanne ordinatus, minister[2] evasit summopere laudandus, ministerio[3] suo, eximia *scilicet* gratia et scientia qua pollebat, omnes commovens quicumque eum audiebant. Postea pater Iohannes eum sibi in cella sua adiunxit, commissa ei patriarchatus administratione, nec quicquam nisi ex consilio eius agebat. Dein eum in templo Abū Macarii sacro vestivit schemate. Ipso autem quo vestiebatur die, venit seniorum quidam, qui coram omnibus dixit : « Diaconus hic, cui nomen Marcus, dignus erit qui patris sui Marci sedem

[1] C et G' : sex menses. — [2] In textu arab. : sacerdos. — [3] In textu : sacerdotio.

conscendat »; idemque, patre Iohanne mortuo, episcopis consilium dedit ut hunc patrem *Marcum* eligerent ; qui libentissime *p. 84. *eundem* licet invitum consecrarunt. In desertum enim aufugerat, sed missis viris eum apprehenderunt et constituerunt patriarcham. Tempore quo praefuit, curam sollicitissime egit ecclesiarum, 5 dirutasque instauravit ; exstinxit sectas tunc vigentes heterodoxorum, quos, sicubi in Aegypto comparerent et coetus instituerent separatos, ad ovile reducebat. Per manus huius patris multa miracula divinitus patrata fuerunt : aegrotos complures sanavit, ex hominibus eiecit daemones, quendam horum sic 10 allocutus : « Non aliam ob causam hoc tibi accidit, nisi quia ex ignorantia te protervum praebuisti in sacra mysteria, ideoque attende tibi deinceps et cave ab inanibus verbis quae ex ore tuo prodeunt. » Illa aetate Mauri multos Graecos in captivitatem redactos et Alexandriam advectos venundederunt, quod patri 15 Marco magno maerori fuit. Tum negotiatorum industria et artibus usus, pecunias mutuas petiit, praediorum reditus oppignerans, atque a fidelibus emendicavit, et *ita* tria denariorum milia impendit captivis redimendis ; quos libertatis libellis donatos sic compellavit : « Quicumque ex vobis in patriam redire voluerint, 20 eos ego commeatu instruam, et si qui hic remanserint, ii curae mihi erunt. » Et pars quidem eorum abierunt, quibus res ad patriam petendam necessarias suppeditavit ; caelibes ex iis qui remanserant matrimonio iunxit et curam eorum egit. Operam etiam impenderat hic pater ecclesiae alexandrinae Soteris[1] inno- 25 vandae, cum, factionibus seditionibusque ab inimico in urbe motis, incendio deleta est ; tum eandem novis curis denuo instauravit. Ubi voluit Dominus requiem ei concessam, in morbum incidit et nocte diei dominicae Paschatis apparuit ei sanctus Marcus evangelista, praenuntians felicitatem ei paratam, admo- 30 nensque eum post sumpta sacra mysteria animam exhalaturum. Quare expergefactus rem cum patribus episcopis qui ipsi aderant communicavit, missam celebrari iussit et, sacrorum mysteriorum particeps factus, adstantibus dixit : « Vobis omnibus valedico », et emisit spiritum. Sedem tenuerat annos omnino viginti. 35

Eius preces atque benedictiones nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

[1] I. e. Salvatoris.

Eodem die requie donatus est Anbā Michael. Is, qui erat monachus sanctus, constitutus est hegumenus et ecclesiae sancti Abū Iohannis praepositus. Promotus dein ad patriarchae munus, vitam egit divinam et, recurrente sacri ieiunii tempore, *in de- *p. 85. 5 sertum ascendit, ibi ieiunaturus, ac vitam quam in deserto solitarius degerat secum recogitans, Deum cum fletu supplex oravit, dicens : « Tu scis, Domine, me nunquam non appetiisse solitudinem, imparem vero esse rei quam aggressus sum. » Qua prece exaudita, Deus non eum post Pascha nisi breve tempus 10 superstitem reliquit.

Preces eius et benedictiones nos custodiant. Amen.

MENSIS BARMŪDAH. DIES VIGESIMUS TERTIUS.

Hodie martyrium passus est *vir* sanctus et insignis Mār Georgius. Huius patri, ex Cappadocia oriundo, nomen erat 15 Anastasius, et matri, patria Palaestinensi, Theopista (Tāawbistā). Annos viginti natus, patre mortuo, surrexit et Dadianum (Dādiānūs) imperatorem adiit ut munus paternum susciperet. Inveniens autem cultum idolorum ab imperatore instauratum, quaecumque possidebat pauperibus distribuit, servos suos manumisit, impera- 20 torem convenit ac Christum confessus est. Tum *ab imperatore* blanditiis allectus atque ingentium praemiorum tentatus promissis, haec autem omnia nec ulla dignatus attentione animi, multis affectus est tormentis ; sed Dominus eum confortavit et vulnera eius sanavit. Qui certiorem etiam eum fecit, ipsum ter 25 moriturum esse terque divinitus resurrecturum, quarto autem coronam martyrii consecuturum ; ei item pollicitus est nomen eius a se per totam terram celebratum iri, eumque septem annos in tormentis mansurum, sed angelos caelitus missos ei praestituros famulatum. Imperator vero, postquam, adhibitis multis 30 cruciatibus quibus nihil motus fuerat *martyr*, dubius *aliquandiu* mansit quomodo eum haberet, magum quendam peritum cui nomen Athanasius arcessivit, isque poculum a se incantatum bibendum Georgio obtulit, ratus hunc eo hausto moriturum ; qui tamen id ebibit nihil mali inde expertus. Quare magus in 35 Christum credidit et martyrii coronam adeptus est. Tunc iussit imperator afferri prelum dentibus in modum serrae instructum eoque Georgium comprimi ; qui compressus animam exhalavit.

Verum, a Christo Domino suscitatus, ad urbem rediit, ibique plurimi, quia ipsum viderant, crediderunt et corona martyrii donati sunt; et hi quidem numero tria millia et septingenti fuerunt. Porro quo tempore stetit sanctus coram imperatore, *p. 86. quem circumdabant principes[1] septuaginta *sellis insidentes, eum hi ita compellarunt : « A te petimus ut te agente sellae istae et folia proferant et fructus. » Christum igitur ea de re oravit, et sedes folia atque fructus ediderunt. Concoctus *dein ab imperatore* in olla aenea et in montem proiectus, sed ad vitam a Domino revocatus, ad principes rediit et Christum praedicavit. Qui, rem admirati, dixerunt ei : « Si mortuos nobis suscitaveris, intellegemus Deum tuum verum Deum esse et in eum credemus. » Quare, precibus ad Deum praemissis, ex illorum sepulcreto mortuos suscitavit, viros *nimirum*, mulieres et adulescentes, qui Christum annuntiarunt, coram adstantibus de inferno et *inferni* tormentis disseruerunt ac dein iterum mortui sunt. Quae cum intuiti essent illi, pervicaces se praebuerunt dixeruntque : « Istis insunt spiritus daemonum. » Tum, quia dubii erant atque ancipites qua ratione sancto uterentur, hunc domo mulieris cuiusdam pauperis incluserunt ; et muliere illa paupere foras egressa ad panem emendicandum, Georgio adstitit angelus Domini, mensam afferens cui imposita omnis generis edulia ; insuper, illo orante, lignum aridum quod in domo mulieris erat Deus in arborem altam mutavit. Itaque vidua, domum redux, cum magnum illud videret miraculum arboris enatae atque adultae, mirabunda filium suum qui caecus erat, surdus, mutus ac paralyticus, ad sanctum adduxit, sanationem ab eo postulans. Ipsam *matrem* ille viam Dei edocuit, et, postquam in Christum credidit, faciem pueri signans signo crucis, visum ei restituit, subiunxitque : « Mihi necesse est ut alio *demum* tempore audiat, loquatur et ambulet. » Porro imperator iter illac faciens arborem vidit, eiusque aspectu obstupefactus, quae ad eam spectarent sciscitatus est ; cui responsum fuit : « Haec est domus mulieris apud quam Georgius galilaeus. » At ille, statim ac de sancto cogitavit, arcessitum iussit verberibus et prelo cruciari quoad, tertio mortuus, extra urbem proiectus est. Sed, a Domino suscitatus, ad principes rediit ; et imperator, dubius haerens de tormentis ei infligendis,

[1] Ad litt. : reges.

coepit ei blandiri ac polliceri filiam suam se ei daturum uxorem et secundum in regno locum assignaturum. Cui illusit sanctus, promittens se tus diis adhibiturum. Itaque ille gaudens ratusque id a sancto praestitum iri, caput eius osculatus est et eum in palatium suum adduxit. Ibi sanctus orsus est stans orare et psalmos legere[1], tum imperatrici, quae legentem audierat et sensum verborum praelectorum exquisierat, omnia exponere atque explanare a tempore quo Deus mundum creavit usque ad incarnationem Christi. Postero autem die, per praeconem pronuntiavit **imperator* civibus conveniendum esse ut Georgium *p. 87. viderent tus diis offerentem. Quod audiens vidua illa *supra memorata* moleste tulit ; cum turba tamen egressa est ut spectaculo interesset. Hanc ubi sanctus adspexit, subrisit et, filium eius alloquens : « I, inquit, ad Apollinem eique Christi nomine praecipe ut ad me se conferat. » Puer audivit, ambulare coepit, et, idolum conveniens, ei edixit quae iussus fuerat. Itaque, Satana protrudente, idolum cui is inerat ad sanctum venit et coram multitudine confessum est non deum se esse, sed hominum deceptorem. Tum, sancto praecipiente ut terra id absorberet, terra absorptum est. Haec cum vidisset imperator, pudore suffusus est una cum universis qui ei adhaerebant et ad imperatricem reversus est, sancto valde iratus. Cui imperatrix : « Nonne dixi tibi : Galilaeis noli resistere, quia potens ipsorum Deus ? » Quamobrem iracundior factus, intellegensque eius animum sancto conciliatum, eam iussit extra urbem pertrahi et corpus eius pectinibus ferreis dilaniari. Quae *ita* martyrium passa est et coronam vitae consecuta. Dein, animis *adhuc* dubiis et ancipitibus quid de sancto decernendum foret, Dadiano imperatori persuaserunt sententiam in illum scripto dicendam, ut ab eo ipsi quiescere liceret, neve ignominia magis ac magis afficerentur. Sanctus vero, dato edicto ut ipsius caput amputaretur, gavisus est et Christum oravit ut, septuaginta principibus igne caelitus immisso consumptis, finem afferret persecutioni filiorum Ecclesiae ; tum, postquam visione Christi donatus est, qui magna pollicitus est praemia, collum protendit et sacrum ipsius caput abscisum est. Corpus accepit unus ex servis eius fidelibus et linteo involutum Lyddam, in urbem patriam, asportavit ac pulchram ei superstruxit ecclesiam

[1] Cf. supra, p. 75.

Intercessio eius nos custodiat, benedictionesque nos omnes complectantur ad extremum usque halitum. Amen.

MENSIS BARMŪDAH DIES VIGESIMUS QUARTUS.

Hoc sancto die martyrium subiit sanctus Sinā[1], sodalis sancti Isidori, qui die tertio[2] mensis barmahāt memoratus fuit. Antea iam vexatus fuerat sanctus hic *cum sodali suo Isidoro, et Isidoro martyrium passo, manserat Sinā in carcere. Tum praefecto urbis el-Fermā amoto, praefecturam eius suscepit alter, cui mandatum est ut ne unum quidem relinqueret eorum qui Christi nomen invocarent. Is, cum novisset quae ad Sinam attinebant, eum nempe esse ex primoribus exercitus et magnis iam cruciatibus affectum fuisse, neque tamen a sententia dimotum, praecepit ut caput eius amputaretur. Postquam autem *sanctus* martyrium consummavit et, sacro truncatus capite, vitae coronam adeptus est, eius mater angelos vidit qui animam secum abducebant, quemadmodum tempore martyrii Isidori viderat. Dein Sinae caput et corpus sublata sunt, sepulta ac deposita cum corpore amici eius, sancti Isidori, amborumque corpora hodie in urbe Samannud *asservantur,* ubi utriusque agitur festum et miracula atque prodigia multa eduntur iis qui ea cum fiducia adierint.

Utriusque preces nobis adsint nosque adiuvent. Amen.

Eodem die requie donatus est sanctus pater Anbā Senūtīs[3], Alexandriae patriarcha.

Sanctus hic, vitam monasticam a teneris amplexus in ecclesia sancti Macarii (Maqāryūs), virtute profecit ac devotione et, ecclesiae rector administratorque factus, dein unanimi populi et episcoporum suffragio patriarcha electus est. Multas calamitates expertus est molestiasque pertulit perpetuas, vexatus a regibus, qui pecunias ab eo exigebant, cum nihil ei suppeteret. Per manus eius Deus plurima edidit miracula: graves enim ille sanavit morbos, daemones ex compluribus hominibus expulit, ipsoque orante Deus imbrem uberem concessit Mareotae incolis qui tertium iam annum inopia ex defectu pluviae ita premebantur ut,

[1] Ita B, D, E; A mendose: Sia. — [2] Ita A, errore manifesto; ceteri codd., melius: decimo octavo. Cf. supra, p. 33. — [3] C, E, F, G: Anbā Sinūtyūs; B et D: Athanāsyūs.

puteis exsiccatis, siti prope conficerentur. Cum nempe venisset pater *Senutis* festi in ecclesia sancti Abū Minae agendi causa, apud eum conquesti sunt loci incolae aquae penuriam qua angebantur. Quos ille consolatus est et confortavit; dein, oblato missae sacrificio, a Deo supplex petiit ut creaturarum suarum misereretur, et, sole occidente, pluvia, postquam coepit guttatim stillare, subito desiit. Tum pater hic: « Domine mi Iesu Christe, inquit, tu qui dives es, si velis plebis tuae misereri, eius, quaeso, ea largitate miserere quae tuam adaequet misericordiam, ut laetitia et benedictione tua cumuletur. » Haec dixit, et dein, in cubiculum ingressus orationis nocturnae persolvendae causa, Dominum denuo rogavit *ut de populo suo recordaretur, eiusque oratione absoluta, imber, caelo tonante et fulguribus coruscante, more torrentis vehementis decidit, ita ut eo agri, vineae ac putei redundarent et aqua pro triennio sterilitatis tres annos in terra remaneret. — Alias, cum convenissent Arabes Nomades Aegypti superioris et eo consilio in regionem inhabitatam irruerent ut, omnibus habitatoribus interfectis, eam vastarent, hic pater, cruce sua assumpta, iis occurrit; et ubi crucem viderunt quam manu gestabat, retrocesserunt, nec cuiquam tunc nocuere. — Doctrina sua impietatem e finibus suis et e grege suo expulit. Prodierant quippe in illa regione qui dicerent, eum qui pro nobis passus est merum hominem fuisse, non Deum; tunc epistulam scripsit quam sancti ieiunii tempore in omnes misit partes et qua praedicabat Deum Verbum pro nobis passum esse in suo corpore, quod ab ipso inseparabile est, siquidem duae naturae, ex quo statim ab initio unum quid factae sunt, nunquam in ulla re, ne passionis quidem et mortis tempore, seiunguntur. Haec autem epistula, in universis perlecta regionibus, ingens attulit gaudium populo christiano. — Quidam etiam exstiterunt *homines* perversi qui, lingua sua excisione digna, dicerent naturam divinitatis mortuam esse, istique erant incolae *urbis* El-Balīnā cum episcopis suis. Quorum affirmationem ut rescivit hic pater, magno affectus maerore, duas conscripsit disputationes, quibus probabat naturam Dei Verbi incomprehensibilem, sensibus imperviam, impassibilem esse, ideoque passione non attingi nisi naturam humanam Deo Verbo unitam. Subiungebat et haec: « Quemadmodum Deum Verbum a corpore passibili non seiungimus, sed illum credimus

huic tempore passionis unitum fuisse, ita divinitatem immunem atque alienam statuimus a passione et morte, quae corpus passibile afficiunt. » Porro acceptis eius epistulis, illa factio, ab errore suo conversa, fidem veram confessa est; eorumque episcopi, patriarcham convenientes, professionem fidei, eamque genuinam, 5 coram eo emiserunt atque veniam ab eodem petierunt. Is autem iis praescripsit ut, prostrati in medio episcoporum, monachorum et plebis, veniam impietatis suae implorarent; quod cum factum esset, veniam iis dedit. — Fuit hic pater de ecclesiis earumque aedificatione, itemque de xenodochiis magnopere sollicitus, et 10 quidquid *sibi superet eleemosynis expendebat. Vitam degit laudandam Deoque gratam, ac dein in pace quievit.

* p. 90.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Mensis Barmūdah dies vigesimus quintus.

Hodie martyrium passa est sancta Sārah cum duobus filiis. 15 Patria Antiochensis, viro nupserat cui nomen Socrates, uni ex ducibus *exercitus* Diocletiani. Is fuerat christianus, et a fide defecerat, uxore remanente christiana; huic tamen sese exhibebat religionis Christi amantem, ac si eam non abnegavisset nisi ex timore cruciatuum imperatoris. Haec autem sancta duos filios ex 20 eo edidit. Quos cum non posset Antiochiae baptizare, metuens nempe et imperatorem et maritum, amore quo Christum prosequebatur et ardenti baptismi puerorum desiderio mota, assumptis secum duobus ex servis suis, navem conscendit quae ad urbem Alexandriam navigabat. Porro quanta esset illius fides voluit 25 Deus saeculis venturis demonstrare. Itaque ventum vehementem in mari excitavit, adeo ut navis haud procul abesset a submersione; et timens mulier ne filii naufragio perirent nondum baptizati, surrexit longamque fudit orationem; tum, mamma dextra cultro discissa, sanguine inde accepto frontibus et cordibus 30 filiorum signum crucis impressit, dein eos in mare ter immersit, dicens: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Quo facto, quievit ventus et mare placidum evasit. Alexandriam devecta, *mulier* puerulos patri Petro patriarchae cum *ceteris* urbis parvulis baptizandos obtulit; quo, post *alios* quosdam iam 35 baptismo tinctos, illos duos assumente baptizandos, aqua induruit; iisdem autem relictis, alios infantes assumenti liquefacta est aqua;

tum ad duos illos reverso iterum induruit aqua; idque ter factum est. Quare rem admiratus *patriarcha* matrem arcessitam interrogavit quae ad illos spectabant, et ei illa exposuit quaecumque experta esset, quomodo mare in se insurrexisset et quomodo 5 filios baptizavisset, rogavitque ut sibi condonaretur quod temerario ausu attentavisset. Animum eius sedavit sanctus *patriarcha*, affirmans *ab ipso Christo filios sacro baptismo tinctos[1], eamque divinorum mysteriorum participem effecit. Postea Antiochiam ad maritum *mulier* rediit; ad quem cum venisset, quod ab ea 10 factum et ipse improbavit et, imperatorem adiens, cum eo communicavit. Eam igitur ad se vocatam sic interrogavit imperator: « Cur Alexandriam te contulisti, ut cum christianis adultera fieres? » Cui sancta: « Christiani, ait, non sunt adulteri neque idola colunt. Alioquin, quidquid tibi deinceps libuerit, id 15 facito; neque enim aliud a me audies verbum. » At ille: « Expone mihi, inquit, quomodo Alexandriae te habueris. » Ipsa vero nec verbulo ei respondit. Itaque iussit eam supinam alligari, duobus filiis ventri impositis, ac tres simul igne cremari. Tum, facie ad orientem conversa, sancta oravit, ac dein ipsa filiique concremati 20 coronam martyrii consecuti sunt.

* p. 91.

Horum preces atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Eodem die, memoria Babnūdae eremitae, sancti Theodori ascetae et centum martyrum qui in Perside passi sunt. Omnium benedictiones et preces nos custodiant. Amen.

25

Mensis Barmūdah dies vigesimus sextus.

Hodie martyrium passus est sanctus Sūsīnūs. Huic sancto, cuius pater, Sūsibatros nomine, in numero erat magnatum Diocletiani imperatoris, angelus Domini apparuit et in eo confirmavit martyrii *subeundi* propositum, ita ut haec cogitatio in mente eius reposita 30 manserit. Porro evenit ut cum imperator ad urbem Nicomediam mitteret ac dein eodem decretum mitteret de instaurando idolorum cultu. Quod ubi vidit sanctus, magno maerore oppressus, presbyterum advocavit, a quo scientias Ecclesiae edoctus est ac baptizatus. Postea, Antiochiam reversus, invenit sorori suae 35 enatum esse fetum naturae multiplicis atque ambiguae. Eadem

[1] B F ins.: manu eius divina, dum illa eosdem in mari baptizaret.

antea puellam a se editam occiderat atque occisae biberat sanguinem; unde, Satana eam occupante, coeperat magicis artibus mutari in volucrum et serpentium formas, *et si qua usquam proles regionis incolis nasceretur, in eam irruebat, eam interficiebat eiusque bibebat sanguinem. Id cum comperisset sanctus, gladium manu arripiens, occidit et sororem, et filium eius, utpote Satanae prolem, et eiusdem maritum huiusque patrem, quia magiae dediti erant. Tum Nicomediam rediit ad illum sacerdotem *de quo supra*, eumque *rerum a se gestarum* certiorem fecit. Ad urbem patriam subinde reversum pater, postquam facta eius novit, necem ipsi molitus, apud imperatorem accusavit. Ingressus etiam erat sanctus in templum idolorum et his virtute Christi praeceperat ut in abyssum deorsum corruerent; quae a terra os aperiente et occludente absorpta sunt. Itaque tum rumore sparso de simulacris opera sancti pessumdatis, tum accusatione patris excandescens imperator iussit illum acerbissimis cruciari tormentis, ideoque sanctus flagris aculeatis verberatus est, prelo compressus ac tribulo contritus; dein per urbem pertractus est, Domino eum interea confirmante ac roborante et angelis ad eum ventitantibus; demum iussus capite sancto truncari, coronam laetitiae in regno aeterno consecutus est. Quo autem tempore hic sanctus torquebatur, mille centum et septuaginta *alii* sancti martyrium passi sunt.

(p. 92.)

Eorum preces atque intercessio nobis prosint. Amen.

MENSIS BARMŪDAH DIES VIGESIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Mār Victor. Patrem hic habuit cui nomen Romanus (Rūmānūs), Diocletiani imperatoris administrum; mater autem, nomine Martha, christiana erat. Postquam puer Victor adulevit, munere apud imperatorem ornatus, tertium obtinuit locum *in imperio*. Annos tunc viginti natus, mundum et gloriam eius nihili faciebat, a pane comedendo et vino bibendo abstinebat, perpetuo ieiunabat, orationibus continuis diu noctuque sine remissione vacabat, captivos, pauperes infirmosque visitabat. Cum sanctam Theodotam (Tāawẓādā) [1],

[1] B: Tāwudūrā; G: Tāwudūrah; cf. infra, ad diem 22um mensis Buwonah, ubi: Tāwuḍāḍā.

matrem sanctorum Cosmae (Qozmān) et Damiani, interfectam nemo, ex metu imperatoris, sepelire auderet, venit sanctus Victor corpusque illius abstulit et sepelivit, de imperatoris prohibitione haud sollicitus. Porro idololatriam patri suo saepe exprobrabat, isque eum apud imperatorem accusavit, a quo arcessitus, cingulum solvit et, ante faciem eius proiciens: « Recipe, inquit, munus istud, quo me donasti. » Tum imperatorem eiusque idola conviciis affecit. *Quare pater imperatori persuasit ut eum Alexandriam mitteret, ibi cruciandum; illumque eduxerunt freno ori imposito, et ipse matri cum fletu magno valedicenti pauperes, orphanos [1] et viduas commendavit. Ubi Alexandriam ad Armanium praefectum pervenit, ab hoc acerbis affectus est tormentis; sed ei apparuit angelus Domini, qui animam ad caelum sustulit ac, lucidis sedibus ostensis, ad corpus reduxit. Tum praefectus eum etiam pice et sulfure fervefactis cruciavit, lecto ferreo calefacto imposuit et balnearum hypocausto inclusit, alia *id genus* supplicia adiciens; Dominus vero eum confortabat, solabatur, et ad eum suum delegabat angelum qui eundem sanabat. Dein praefectus eum Arsinoen ('Anṣanā) misit, ubi cruciatus est, linguaque eius excisa et latera verubus candentibus adusta, Domino eum interim confortante. Postea arce diruta inclusus est, ibi moriturus; verum artis lignariae [2] gnarus, sedes conficiebat divendebatque, parte pretii victitans et partem reliquam eleemosynis expendens. Porro militum quidam venit ad locum arci vicinum, ac de praesentia sancti certior factus, audiensque eum filium esse Romani veziri, arcessito plurimum blanditus est; tum blanditias nihil curantem iussit venis eductis torqueri et super os verberari, item eum, postquam lapides graves manibus alligaverunt, in fornacem ignis inici, oleo et pice fervefactis perfundi, machina comprimi, aceto et calce in nares immissis cruciari; oculi quoque ei eruti, ipseque capite deorsum verso suspensus est, Domino eum confortante et corroborante, eique membra restituente. Fuit autem puella, annos quindecim nata, quae, eum fenestella considerans mediis in tormentis versantem, angelos vidit manibus afferentes coronas quas capiti sancti imposuerunt. Unde omnibus adstantibus palam enarranti quae vidisset et fidem coram praefecto confessae iussit

(p. 93.)

[1] Vel: derelictos. — [2] Ita B C G; A, littera perperam mutata: artis mercatoriae.

hic caput abscidi. Sanctus Victor quoque decollatus et coronam vitae in regno caelesti consecutus est.

Eius preces atque intercessio salvos nos praestent ac tutos ab universis inimicis nostris. Amen.

Mensis barmūdah dies vigesimus octavus.

Hodie martyrium passus est sanctus Mīlius. Hic pater, qui fuit vir Deo devotus et pugnae *spiritali* deditus, *totum vitae tempus in speluncis ac montibus egit, et cum duobus discipulis qui ei adhaeserant in monte Khorasani commoratus est. Exierunt autem duo filii regis Khorasani, servis comitantibus, et plagas tetenderunt quibus feras venarentur, easdem *dein* fustibus ligneis interfecturi; et quidem quadraginta millia processerunt, retia pandentes, et quando haec collegerunt, in iis sanctum hunc, eumque veste ex pilis contexta indutum, invenerunt, crinisque *corporis* magnopere creverat. Cuius aspectu perterriti, duo adulescentes eum interrogaverunt : « Homone tu, an spiritus ? » Iis respondit : « Homo peccator ego sum, qui in hoc monte habito [1] et vitam ago solitariam, Domino Iesu Christo, Dei vivi aeternique Filio, serviens. » Tum illi : « Nullus deus praeter solem et ignem ; ideoque accedens iis offer sacrificium, ne te occidamus. » At *sanctus* : « Ista, inquit, creata sunt, vosque, utpote errore laborantes, equidem oro ut Deum verum, illarum omnium rerum Creatorem, confiteamini. » Tum illi iterum : « Contendisne eum qui a Iudaeis crucifixus est Deum esse ? » — « Utique, ait, qui peccatum cruci affixit ac peccatum interfecit Deus est. » Itaque ipsum cum duobus discipulis comitantibus apprehenderunt et cruciarunt ; atque ambos quidem discipulos capite absciso interemerunt, senem vero torquere perseverarunt quandiu venationi dederunt operam, id est, duas hebdomadas continuas. Tum, die decimo quinto, illo in medium producto, adulescentium alter ante eum, post eum alter constiterunt, eundem sagittis configentes. Quibus ille dixit : « Quia ambo consensistis in nece virorum qui vobis nihil mali intulerant, idcirco crastina die, hac eadem hora, lugebit vos mater vestra, propriisque sagittis peribitis [2]. » Loquen-

[1] B C G ins. : Dominum adoro. — [2] Ita ex B et G ; A vero, haud dubie corruptus, nullum nisi hunc sensum fundere possit : vos et mater vestra et uxores vestrae repellent, et per uxores vestras peribitis.

tis verba nihil curarunt neque desierunt eum sagittis petere quoad exspiraret. Postero die, cum venatum de more exiissent, onagrum cursu simul persequentes, sagittas in eum miserunt ; verum, sagittis a Deo in duorum *sagittantium* corda retortis, mortui corruerunt, prout hic sanctus praedixerat. Huius sancti manibus Deus magna edidit miracula, ex quibus unum sic se habuit. Die quadam hominibus aliquot occurrit qui monachum a se *inventum et apud se* receptum opinabantur occisum ; et suis precibus mortuum suscitavit, atque is narravit pecuniam a se apud sacerdotem depositam, seque ab illo interfectum fuisse et huc proiectum ; sanctum dein rogavit ut pecuniam ipse a sacerdote reciperet et filiis suis transmitteret. *Cui sanctus : « Dormi in pace, inquit, quoad veniat Christus Dominus et te vivum restituat. »

Huius patris preces nobis adsint. Amen.

Mensis barmūdah dies vigesimus nonus.

Hodie requie donatus est sanctus pater Erastūs, apostolus. Fuit hic sanctus in numero septuaginta discipulorum ; gratiam Spiritus sancti accepit, coenaculo *montis* Sion cum discipulis inclusus ; cum iisdem locutus est variis linguis ; cum iis etiam praedicavit iisque famulatus est ; cum iis multoties passus est. Eum apostoli elegerunt ecclesiae hierosolymitanae oeconomum [1], quo in ministerio aliquandiu permansit ; dein eum consecrarunt episcopum urbis Bānāṭas. Christum ibi praedicavit atque hominum mentes cognitione sanctae Trinitatis illustravit ; multa idolorum delubra evertit atque in ecclesias Christi convertit ; plurima atque insignia patravit miracula ; aquas salsas mutavit in dulces ; effecit ut ligna arida germinarent et ex iis fructus eduxit ; graves sanavit morbos. Provectam senectutis aetatem assecutus, quievit in pace. Duabus in epistulis apostolus Paulus eius meminit eumque salutat [2].

Eodem die requie donatus est sanctus Decius (Dākyūs), episcopus hierosolymitanus. Is profecerat in iustitia, et diuturnis obnoxius fuit persecutionibus, eiusque manu Deus miracula patravit atque prodigia ; dein in pace quievit.

Preces eius nos custodiant. Amen.

[1] Vox e graeco deducta. — [2] Cf. *Rom.*, XVI, 23, et II *Tim.*, IV, 20.

MENSIS BARMŪDAH DIES TRIGESIMUS.

« Hodie martyrium passus est Marcus, evangelista et apostolus, patriarcharum Alexandriae primus. Patrem habuit Aristobulum nomine, et matrem cui nomen Maria, eandem quae in Actibus Apostolorum memoratur. Huius ipsius apostoli nomen prius erat Iohannes, prout testatur liber *Actuum*, apostolos *nempe* oravisse in domo Mariae, matris Iohannis, qui cognominatus est Marcus [1]. Haec mater, cum locuples esset, filium Marcum erudiendum curavit in lingua graeca, francica et hebraica; isque, postquam adulevit, comes assumptus a Barnaba *proficiscente cum Paulo ad *Evangelii* praedicationem, cum molestias vidisset et contumelias quibus afficiebantur, ab iis in Pamphylia discessit et Hierosolymam rediit. Ubi autem apostoli *Paulus et Barnabas,* Hierosolymam et ipsi reversi [2], conversionem gentium et miracula suis manibus a Deo patrata narraverunt, praepropere facti eum paenituit. Postea rogavit ut cum illis reverteretur, et Paulo recusante eius comitatum, utpote viri qui alios prius reliquisset, eum Barnabas, quoniam ipsi cognatus erat, accepit; et post Barnabae mortem, Romam se contulit ad Petrum, cuius factus est discipulus, ibique suum conscripsit evangelium, Petro idem dictante simul et Romae praedicante. Dein, iussu Christi Domini et apostolorum, Alexandriam traiecit, atque hic, in urbibus Africae, Barcae (Barqah) et in Pentapoli Christum annuntiavit. Quo autem tempore Alexandriam ingressus est, diruptam calcei corrigiam sarciendam dedit sutori ad portam urbis occurrenti, isque, dum subula ad perforandum utitur, digito vulnerato exclamavit: [3] « Unus Deus! » Cui tum sanctus Marcus: « Num Deum, ait, novistis? » At ille: « Eius nomen tantum invocamus, eum vero non novimus. » Tunc coepit sanctus *eum edocere et,* initio facto a Deo caelum et terras creante, exponere Adami rebellionem, casum diluvii, missionem Mosis, egressum filiorum Israel ex Aegypto, legem iis datam, captivitatem babylonicam, Christi incarnationem et prophetias quae de adventu eius testimonium suppeditant. Deinde spuit in terram et sutoris manum luto imposito illico sanavit. Ille, cui

[1] Cf. *Act.*, XII, 12, 25; XV, 37. — [2] Ex B C G; in A hoc incisum totum desideratur. — [3] B ins.: Εἷς θεός, id est.

nomen Aniānūs [1], domum Marco comite ascendit, liberosque ac propinquos convocavit; quos omnes a se *prius* edoctos apostolus baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Cum vero multi in Christi nomen credidissent et de sancto audivissent urbis incolae, consilium *hi* ceperunt eum occidendi. Quare Aniānum consecravit iis episcopum, eiusque filios ordinavit sacerdotes et diaconos; tum inde egressus, Barcen petiit et Pentapolim, ubi praedicavit, incolas in fide confirmavit et, apud eos biennium commoratus, *constitutis ibidem episcopis, sacerdotibus [2] et diaconis, Alexandriam reversus est. Hic invenit fideles numero crevisse et ecclesiam ab iis aedificatam in loco qui dicebatur Sedes Boum [3], haud procul a mari; et quamquam infideles eum ad necem avidissime quaerebant, ipse tamen illas urbes perpetuo visitabat et Alexandriam secreto [4] ingrediebatur. Porro factum est ut in ecclesia adesset, plebis multitudine circumstante, die festo Resurrectionis, qui erat *dies* vigesimus nonus mensis barmahāt. Tunc infideles irruentes eum funibus collo iniectis per totam urbem pertraxerunt, clamantes: « . . . . . [5] in Sede Boum »; et urbis solum sacro eius sanguine respersum est. Media autem nocte apparuit ei Christus Dominus ea specie qua cum discipulis fuerat et, pacem ei apprecatus, confortavit eum et promisit eum fratribus suis, discipulis, adaequatum iri: unde anima eius laetata est atque exsultavit. Postridie eum iterum funibus collo alligatis per totam urbem pertraxerunt, et sub vesperum animam exhalavit. Illi igni ingenti accenso corpus eius imposuerunt; verum terra mota est, pluviaque cecidit, fulguribus micantibus, ita ut aufugerent adstantes, illo relicto; et ita ansam invenerunt fidelium quidam corporis subripiendi, quod incolume et cuiusvis corruptionis expers sepelierunt et in loco secreto deposuerunt.

Preces eius nobis adsint, et Domino nostro perennis atque aeterna *sit* gloria. Amen.

Ad finem atque complementum perductus est mensis benedictus barmūdah in pace quae donum Domini est. Amen.

[1] Ita B C G; A: Anbā Yūnas, et infra: 'Atanānūs! — [2] Sacerdotum mentio ex B C G. — [3] Gr. Βουκόλιον. — [4] Adverbium ex B C F G. — [5] Duae hic occurrunt voculae quarum et genuina lectio me fugit et significatio.

* p. 98.

*MENSIS BAŠONS BENEDICTUS.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI,
DEI UNIUS, CUI SIT GLORIA.

HUIUS MENSIS DIES PRIMUS.

Hodie, commemoratio natalis celsissimae dominae Mariae, matris Dei, per quam salus generi humano obtigit. Huius pater, senex nobilis Ioachim, nulla adhuc progenie donatus, magna opprimebatur tristitia propterea quod, prole deficiente, sacrificium Deo nondum obtulerat, siquidem is vigebat mos apud sacerdotes ut sacrificia non offerrent qui steriles essent ; eodemque modo *afficiebatur* pura Virginis mater Anna. Sed conscientiam eorum et rectum vitae institutum respexit Dominus, resque ita moderatus est ipse, cuius nomen sit benedictum, ut salus ex eorum posteris oriretur. Itaque dum Ioachim stans in monte orat, ubi quadraginta iam exegerat dies, ei apparuit angelus Domini, praedixitque eum a Domino prole donatum iri, ex qua mundi salus proditura. Tum e monte descendit, de iis nequaquam dubitans quae ab angelo audierat, et visionem cum uxore communicavit. Quae, gratiis Deo actis, cum dictorum veritatem persuasam haberet, voto se obstrinxit ut partum a se edendum Deo offerret, huic ministraturum et in domo eius per totum vitae tempus commoraturum. Deinde concepit et peperit sanctam *puellam* eamque Mariam appellavit, cuius nominis significatio est « Domina » et etiam « gratia ». Et revera ipsa est universi orbis domina ac regina omnium mulierum, et per eam gratiam consequimur.

Intercessio eius nos custodiat. Amen.

99.

*MENSIS BAŠONS DIES SECUNDUS.

Hodie requie donatus est vir iustus Iob. Is fuit sanctus inter aequales et iustus sua aetate, quemadmodum de eo in libris suis testatur Deus, neminem fuisse in numero aequalium iustiorem. Cui diabolus invidens a Deo petiit ut ipse eiusque opes potestati suae permitterentur ; annuitque Deus, quia noverat viri sancti et iusti patientiam, atque eum exemplar fore atque formam imi-

tandam iis qui post ipsum venturi essent, prout in libro *sacro* legitur[1] : « Audistis patientiam Iob et finem illorum quae in eum Deus egit. » Hic ille est cui uno eodemque die perierunt filii, filiae, pecora, omnesque facultates ; neque haec tantum, sed et ipsum corpus, siquidem in hoc inimicus eum lepra a capite usque ad plantam percussit. Et ipse in his omnibus deo gratias agebat, neque ullo unquam die murmuravit aut blasphemavit in Creatorem suum, neque alia protulit verba nisi quibus malediceret diei in qua natus esset ; de amissione autem liberorum et opum suarum dixit[2] : « Dominus dedit, Dominus abstulit. » Ita permansit annos triginta, in sterquilinio proiectus, nec quicquam tanto dolori ei fuit quanto vituperationes cum trium amicorum tum uxoris, cui tamen suadenti ut blasphemaret morem non gessit. Fusus igitur est quemadmodum funditur aurum in camino ; sed Deus eum ex nube compellans a morbo sanavit ac quaecumque ei fuerant restituit ; et, liberis aliis progenitis, bonam degit senectutem et quievit in pace a Domino *collata*. Amen.

Eodem die requie donatus est sanctus Theodorus, patris Pachomii, patris *nempe* communitatis spiritalis, discipulus. Hic sanctus, vitam monasticam apud patrem Pachomium a teneris amplexus, paenitentia, luctamine et oboedientia perfectissima enituit, sancto *Pachomio* dicto audiens ut Deo ; ac propterea sanctus Pachomius eum diligebat, ipsique gratia inerat ac solatium universis communitatis fratribus, atque tanta excellebat sapientia et scientia ut pater Pachomius illi adhuc adulescenti munus commiserit fratribus praedicandi. Mortuo Pachomio, in eius locum suffectus est hic pater ad communitatem regendam, eratque *hic sanctus humilitate singulari, inanem fugiens gloriam ; et postquam cursum suum recte exegit ac ministerium complevit, ad Dominum migravit, corona sanctitatis redimitus.

* p. 100.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus sacerdos Philotheus, patria Darnacensis (Darnakah), qui, multis licet cruciatibus vexatus, a fide sua non declinavit ac postremo martyrium consecutus est, anno Martyrum millesimo nonagesimo sexto. Cuius preces nobis adsint. Amen.

[1] IAC., V, 11. — [2] IOB., I, 21.

MENSIS BAŠONS BENEDICTI DIES TERTIUS.

Hodie requie donatus est sanctus Iason (Yās) [1] apostolus. Fuit hic discipulus e numero septuaginta quos Dominus elegit, et ante passionem Salvatoris cum *reliquis* discipulis praedicavit, prodigiaque patravit ac miracula. Postea, die dominica Pentecostes, virtute ac gratia corroboratus, Evangelii praeconium exorsus est. Patria erat Tarsensis, et Tarsensium qui crediderint primus fuit; dein Paulum in praedicandi ministerio secutus est, eique comes adhaesit in multis regionibus peragrandis. Cum Paulo et Silano (Šīlānī) Thessalonicensi apprehensus, ad praefectum Thessalonicae pertractus est et coram eo constitutus. Postea, consecratus a Paulo episcopus urbis Tarsi, Ecclesiae Filii Dei optimum se praebuit pastorem, populares suos in fide roboravit et in operibus bonis confirmavit, atque, ad occidentem pergens, evangelio ibi annuntiando operam dedit; ad insulam pervenit cui nomen Cūrās [2], in qua praedicavit ecclesiamque aedificavit nomine apostoli Stephani archidiaconi dicatam. Quod ubi rescivit illius loci rex, apprehensum custodiae mandavit. Carcere inclusus, septem latrones ibidem repertos fidem docuit orthodoxam atque baptizavit. Qui cum conclamarent: « Christiani sumus », missi sunt omnes in ollas *picis et sulfuris plenas, in quibus martyrii coronam adepti sunt. Dein apostolum *Iasonem* eductum e carcere *tyrannus* multis affecit tormentis, ex quibus tamen ille nihil mali expertus est. Quare filia regis, quae eum per fenestellam viderat, credidit, et, vestes pretiosas atque ornamenta a se deponens, iis in pauperes erogatis, confessa est christianam se esse ac fide praeditam in Deum Iasonis discipuli. Quam ideo pater iratus in carcerem detrudi iussam anxit fumo desuper immisso; tum, sagittis confixa, animam in manus Domini exhalavit. Debinc sanctus Iason, cum *aliis* martyribus in insulam relegatus, navem conscendit, comitante quodam milite, qui traiciebat eos illic cruciaturus; hunc vero omnesque circumstantes Deus aqua demersit. Quamobrem, gratiis Domino actis, sanctus, qui incolumis servatus fuerat, per multos annos perseveravit praedicare ac docere. Verum alius

*p. 101.

[1] Sic A in hoc loco; infra, bis: Bās; B C D E F G: Yāson; H: Yāyisūn. — [2] B: Kazkūrās; C: Kūrakās.

successit praefectus, qui, sancto eiusque comitibus arcessitis apparavit pelvim ingentem, pice, sulfure ac cera impletam, et in eam, igne quoad res fusione liquefierent supposito, sanctum Iasonem iniecit; hunc autem [1] Christus incolumem praestitit et cuiusvis mali expertem. Quod cum vidisset princeps, in Christum ipse credidit cum tota familia et universis regionis incolis; iisque baptizatis ac praecepta Evangelii edoctis, ecclesiis etiam in eorum usum exstructis et plurimis inter eos miraculis atque prodigiis patratis, apostolus in senectute bona et post vitam *Deo* gratam decessit.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die requie donatus est sanctus Anbā 'Auṭāman sacerdos. Hic *vir* eximius, ex Fuah in dioecesi Maṣīl *oriundus* et factus urbis patriae sacerdos, dein in Balǧāt ex pagis et-Tabāyis, haud procul ab Antinoe (Anṣanā), translatus est. Quo autem tempore prodierunt Diocletiani decreta et ad Ariānam, Arsinoes praefectum, pervenerunt, apprehendit hic complures ex fidelibus eosque cruciatibus affecit. Tum, ubi de sancto Auṭāman sacerdote a referentibus audivit, arcessito idola veneranda proposuit, recusantemque variis affecit tormentis, Domino interim patienti adstante, patientiamque ac fortitudinem in omnibus molestiis suppeditante. Cum igitur *martyr* a proposito non descisceret, eum iussit ille vivum comburi. Porro vir timens Deum, sacerdos et episcopus, in eo loco aderat cum sanctus moriendo coronam consecutus est martyrii. Ille huius corpus accepit, linteis mundis involvit et alicubi deposuit quoad, fine persecutioni imposito, ei superstrueretur ecclesia, in qua multa edita sunt miracula *atque prodigia. Idem autem corpus nunc Calbatae (Kalbatā) [2] iacet.

*p. 102.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

MENSIS EIUSDEM DIES QUARTUS.

Hodie requie donatus est pater sanctus Iohannes, Alexandriae patriarcha. Hic pater, patria Alexandrinus, parentibus christianis progenitus, a teneris statum monasticum in monasterio Scetensi Abū Macarii amplexus, post patrem Athanasium ad *patriarchae*

[1] B ins.: et qui cum eo erant. — [2] Huius nominis lectio in cod. unico C dubia.

principatum consensu coetus episcoporum atque virorum doctorum electus est. Et vi quidem apprehensus est, quia eiusmodi rei repugnabat. Sed eum enixe rogaverunt ne sineret alium gregi praeesse ac nocere, et, audita episcoporum atque seniorum deprecatione, morem iis gessit, dicens : « Haec est forsan Christi voluntas. » Cum sedem conscendisset, gregis curam egit singularem quoad doctrinam, lectionem et confirmationem in fide orthodoxa, et episcopos atque sacerdotes constituit eruditos. Erat tunc temporis in urbe Constantinopoli [1] imperator fidelis et sanctus, qui huic patri sancto pioque auctor fuit ut manum in *vicinas* regiones extenderet, indeque fides orthodoxa in universas Aegypti partes diffusa est. Imperator autem ea aetate ad desertum sancti Macarii misit naves frumento, vino et oleo oneratas, itemque pecuniam in eas res expendendam quibus indigerent. Totum huius patris tempus, per eiusdem preces et doctrinam, tranquillitate, pace et Dei erga homines benevolentia faustum fuit. Illum dehinc Deus morbo haud diuturno invisit, et mortuus est postquam sedem annos octo tenuit.

Preces eius atque benedictiones nos custodiant. Amen.

Eiusdem mensis dies quintus.

Hodie requie donatus est pater sanctus Ieremias propheta, Helciae (Ḫāliqyā) filius, sacerdos et unus ex prophetis *maioribus, qui munere prophetico functus est temporibus Iosiae, filii Amon, regis Iuda, et filii eius Ioachim et Sedeciae. De hoc *viro* iusto dixit Deus [2] : « Priusquam ex utero egredereris sanctificavi te, et posui te prophetam gentibus. » Filiis Israel exprobravit quod cultum Dei dereliquissent eiusque legem reiecissent ; eos hortatus est ut caverent ab ira Domini *in se concitanda,* monuitque, nisi resipiscerent, Deum adversus eos suscitaturum Boḫtnaṣr regem, qui eos in captivitatem abducturus esset, quod revera factum. Vaticinium edidit de populo in captivitate annos septuaginta futuro, item de adventu Domini Salvatoris, cui sit gloria ! et de eodem passioni tradendo pro triginta drachmis. Praedixit etiam legis Christi promulgationem per Evangelium, resque *alias*

[1] B ins. : Zeno. — [2] Ierem., i, 5.

plurimas. Eum Iudaei saepius voluerunt occidere, multotiesque et verberarunt et custodiae mandarunt. Quae omnia non obstabant quominus in oratione pro illis diutius perseveraret. Porro Deus dixit illi [1] : « Noli preces pro isto populo fundere, nec quicquam iis a me petieris, neve iis deprecator accesseris, quia te de iisdem non exaudiam. » Cum Boḫtnaṣr rex Hierosolymam in captivitatem redegit, hunc *prophetam* non asportavit cum ceteris hierosolymitanis ; unde pars reliqua plebis eum secum in fines Aegypti abduxit, eiusque precibus feras quae in flumine Aegypti hominibus nocebant Deus interfecit, adeo ut Aegyptii eum diei festi honore donarint. In urbe Alexandria mortuus est.

Preces eius nos atque omnes adstantes custodiant. Amen.

Mensis eiusdem dies sextus.

Hodie martyrium passus est sanctus Abū Isaacus, patria Dafrensis (ex Dafra) [2]. Huic sancto angelus Domini apparuit in visione nocturna, eumque e somno excitavit, ut in urbem Tuah se conferret, coronam martyrii *ibi* consecuturus. Surrexit igitur ut parentibus suis valediceret. Hi vero flentes non fecerunt ei facultatem abeundi quoad angelus illum iterum convenit et ex civitate eduxit. Cum autem urbem Tuah ingressus est, comperit praefectum in balneis versari, et, eo ex balneis egrediente atque prope adstante, exclamavit : « Ego christianus, et in Christum credo. » Itaque praefectus eum uni ex militibus commisit dum ipse *ex urbe Niqyūs reverteretur. Eundem cum milite praetereuntem caecus qui in aggere viae sedebat rogavit ut sibi visum donaret, oravitque ille Christum Dominum, cui sit gloria ! et oculorum usum caecus recepit. Quod intuitus miles, Christum confessus est et christianus evasit, praefectoque reduce, Christum coram eo palam confessus, martyrii coronam obtinuit. Sanctus vero magnis cruciatibus affectus est et dein Behnesam missus, ubi *iterum* diversa tormentorum genera sustinuit. Porro dum navi *illuc* vehitur, potum aquae petiit, et, cum paululum aquae ei obtulisset unus nautarum qui cocles erat, aquam ei inspersit sanctus et altero quoque oculo ille vidit. Tum Behnesenses, iis

[1] Ierem., vii, 16. — [2] C D E H : Dafrā.

commoti rebus quas conspexerant, magno nempe numero tormentorum sancti et splendore miraculorum quae patraverat, instituerunt flagitare a praefecto ut eum vel dimitteret vel occideret. Quare sententiam scriptam emisit *praefectus*, et, sacro capite amputato, *Isaacus* coronam vitae adeptus est. Aderant ibi fideles, iique corpus purum a se sublatum bobusque [1] impositum Dafram, in urbem patriam, asportarunt, et flumine quidem traiecto, corpus sanctum deferentes ad ipsius domum venerunt, hanc everterunt et in eius loco ecclesiam aedificarunt sancti nomine dicatam, ubi corpus deposuerunt.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Eodem die requie donatus est pater eximius, sanctus Abū Macarius (Maqār) Alexandrinus, monachus et sacerdos. Hic pater, qui temporibus Macarii (Maqāryūs) Magni floruit, monachus [2] fuit montis cellarum et magnis enituit virtutibus. De eo, exempli gratia, narratur, a culice punctum, nece bestiolae illata, facti paenituisse et seipsum propter istam occisionem reprehendisse atque damnavisse, ideoque in vallem descendisse ac corpus nudatum culicibus per dies multos obiecisse, adeo ut evaserit corpori leprosi simile. — Alias, dies quinque totidemque noctes stans remansit, mente in caelum rapta, ita ut daemones *ira atque invidia* exardescerent, dicentes : « Difficilior haec virtus omnibus aliis virtutibus quas exercuit. » — Alias, cum vellet hortum invisere *qui inde ab aetate gigantum exstitit, in desertum ingressus, progredi perseveravit per dies plurimos, viam, reditus gratia, arundinibus signans. Verum, signis a daemone ablatis, dum, hortum [3] contemplatus, revertitur, sitienti in itinere misit Dominus vaccam silvestrem cuius lac potavit donec, siti restincta, cellam suam repeteret. — Alias, eum adiit hyaena coepitque veste attrahere, adeo ut *attrahentem et* ad speluncam redeuntem sequeretur, ubi illa ei tres catulos suos exhibuit, quorum corpora invenit vitiis deformata. Itaque, animalis sagacitatem admiratus, pro deformibus oravit, et vitiis liberati sunt. Ad eum postea rediit hyaena, stratum ei afferens pelliceum, quod sibi subiacens usque ad mortem servavit. — Die quadam, mutato habitu, sub specie

[1] B C D G ins. : quoniam navem non reppererunt. — [2] Vox inseritur ex B, ubi ad litt. : pater fuit montis. — [3] Ita ex B ; A : Satanam.

viri saecularis in monasterium Pachomii se contulit, et tempus ieiunii quadragesimae exegit neque comedens quicquam, neque bibens, neque sedens unquam, sed stans et palmarum ramos contexens. Unde fratres patri *Pachomio* dixerunt : « Virum istum a nobis amove, quia nullum ei corpus. » Respondit ille : « Exspectate dum nobis quae ad eum attinent Deus revelet » ; et Dominum de eo interroganti divinitus revelatum est hunc esse Macarium Alexandrinum. Magnum igitur ex eo gaudium perceperunt, eius benedictionem petierunt, et qui inter eos superbiebant demissius de se senserunt ; ipseque ad cellam suam reversus est. Cum Alexandria pluviae inopia laboraret, a duce exercitus arcessitus fuit ; et eo ipso tempore quo in urbem ingrediebatur, pluvia cecidit, neque cadendi finem fecit quoad illum ea de re rogaverunt ; ipso autem Dominum orante ut desineret, desiit. Exercuit hic pater virtutes plurimas [1] ; sed si quam exerceret hominibus eiusdem consciis, istam non aestimabat virtutem. Quod si audiret ab homine quodam virtutem quampiam exerceri, somnum non capiebat priusquam eam ipse exercuisset. Vitam produxit usque ad honestam laudandamque senectutem et dein in pace quievit.

Eodem die martyrium passus est sanctus Babnudah [2], ex Bandarah oriundus. Omnium preces nos custodiant. Amen.

*EIUSDEM MENSIS DIES SEPTIMUS.

Hodie ad requiem admissus est pater Athanasius apostolicus, Alexandriae patriarcha. Hic pater, parentibus ethnicis natus, dum in ludo litterario versatur, christianorum puerulos vidit qui Ecclesiae caerimonias *iocandi gratia* imitabantur, ita ut ab iis alii constituerentur sacerdotes, alii diaconi, alius episcopus ; voluitque se iis adiungere, sed eum repulerunt, dicentes : « Tu paganus, neque ullam tecum inimus societatem. » At ille : « Equidem, ait, christianus fiam, non secus ac vos. » Qua promissione gaudentes, ei responderunt : « Tu patriarcha noster eris. » Tum sedi altae imposito coeperunt obsequii atque oboedientiae

[1] B C G ins. : et Deus per manum eius mira patravit prodigia. — [2] Ita D E F G ; A : Binūdah.

signa exhibere. Ea ipsa hora illac forte transiit episcopus Alexander; qui, illos intuitus, circumstantibus dixit: « Haud dubium quin hic adulescens altum honoris gradum adepturus sit. » Parente mortuo, *Athanasius* cum matre patrem Alexandrum patriarcham convenit, a quo ambo baptizati apud eum manserunt, omnibus facultatibus in pauperes erogatis. Ab eodem patre *adulescens* Ecclesiae disciplinas edoctus et diaconus ordinatus, factus est ei filius peculiaris et Spiritum sanctum sibi duplo infusum expertus est. Mortuo patre Alexandro, Athanasius patriarcha constitutus est. Sed postquam Constantino defuncto successit filius [1] Constantius, qui arianus erat, Arii secta accrevit et Constantius imperator Athanasium eiecit eique suffecit virum nomine Georgium, qui sex annos permansit, patre *Athanasio* a sede sua in Occidentis regionibus exsulante. Porro ibi delubrum erat ad quod homines plurimi confluebant et in quo multa edebantur daemonum opera; et ille oratione haud intermissa Christum precabatur ut et delubrum everteret et illius tractus incolas ad cognitionem Dei reduceret. Alexandriam deinde reversus, septem annos hic degit, Georgio expulso. Tum vero Ariani eum falso accusarunt apud imperatorem; *qui, duce exercitus adlegato, illum apprehensum custodiae mandavit una cum patriarcha Romae et Antiochiae patriarcha. Sed Dominus, misso angelo suo, salvos eos praestitit, et imperatori vita functo suffecit Deus huius filium, qui orthodoxus [2] erat, isque sanctum ad sedem remisit, quam annos duos et viginti in tranquillitate ac pace tenuit. Verum Iulianus Apostata, qui Iusto (Yūsṭos) defuncto successit, *animo infenso* hunc sanctum quaesivit; qui in Aegyptum superiorem, in urbem Aḫmīm, aufugit. Sed ubi Iulianus interemptus est, Athanasium plebs fidelis requisivit, eoque non *statim* invento, Antonium magnum convenerunt, a quo certiores facti illum in urbe Aḫmīm latere, eundem adeuntes ad sedem cum ingenti gaudio adduxerunt; sedeque usque ad mortem tranquille ac secure potitus est. Totum quo principatum tenuit tempus sex et quadraginta annorum fuit, ac propter molestias atque persecutiones quas sustinuit, apostolicus

*p. 107.

[1] Ita ex B C F G, cod. A omittente et factum successionis et successoris nomen. — [2] Ex B C G, cod. A duas voculas ineptas sufficiente.

nuncupatus est. Porro dixit moriens: « Si gratiam coram Domino invenerim, perpetua adorationis obsequia ipsi exhibebo quoad delubrum Zazābīl [1] destruat »; et post eius mortem, virum misit imperator qui delubrum Zazābīl evertit, huius sancti precibus id efficientibus.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bašons dies octavus.

Hodie martyrium passus est sanctus Abū Iohannes, patria Sanhutensis [2]. Huic, cui pater erat Maqārah appellatus et mater nomine Ḥannah, dum gregem paternum pascit, angelus Domini apparuit et, splendentem ostendens coronam, dixit: « Cur sedes tu otiosus, certamine iam inito? Surge et, Athribim ingrediens, pro nomine Christi decerta. » Et *angelus*, pacem ei apprecatus, ab eo avolans discessit. *Iohannes* vero, cum parentibus valedixisset, Athribim se contulit comperitque praefectum in balneis versari; quo egrediente, fidem Christi confessus, *ab illo uni militum commissus est, cui praescriptum erat ut captivo blandiretur, tentaturus num praeceptis oboediret. Dein, *praefecto* iter suscipiente, sanctus miracula coram milite patravit, ita ut hic in Christum crederet et, coram praefecto reduce ex itinere *fidem* confessus, coronam martyrii consequeretur. Iussu autem praefecti sanctus Iohannes omnibus tormentorum generibus acerbe cruciatus est, Domino tamen eum confortante ac corroborante et per angelum adlegatum sanante. Antinoen postea missus, ibi iterum plurimum cruciatus est, ac postremo sacrum eius caput acie gladii amputatum fuit. *Corpus* Iulianus Aqfaṣensis accepit, sepelivit et asportandum curavit ad urbem patriam Sanhūt, atque eius adventu gestientes *incolae* obviam ei processerunt, psallentes et tus adolentes, idque in ecclesia loco excelso conspicuum deposuerunt.

Preces eius nos custodiant. — Corpus vero illius nunc in Šubrā-'lḫaymah asservatur, et relatio huic praesenti diei assignata ipso die translationis eius legenda est.

*p. 108.

[1] C: Zarbābel; G: Zarābīl. — [2] D C H: Sahnutensis.

Die huic respondente, Dominus noster Iesus Christus, in corpore, quocum unitus erat, a nobis adscendit ad altissimas caelorum arces, ad locum ubi nunquam desierat praesens adesse cum Patre et Spiritu sancto ; et hoc quidem *factum est* postquam dispensationis suae opus in terris per passionem, mortem et resurrectionem complevit. Exactis post resurrectionem diebus quadraginta, ad caelum super alas cherubim[1] adscendit, atque hac *sua* adscensione iis qui in ipsum credunt pollicitus est adscensum ad sedes supernas, siquidem ubi caput, ibi necesse est sint et membra, et quemadmodum Adamus prior terram occupando et inferos habitando praecessit, ita Adamus alter praecessit, regnum caeleste occupando atque ad dexteram maiestatis divinae in excelsis sedendo. Neque permisit *Christus*, cui sit laus ! ut adscensio sua resurrectionem continuo sequeretur, ne resurrectionem negaremus, existimantes eam esse phantasiae fetum ; sed per dies quadraginta remansit, discipulorum infirmitatem exercendo confortans et resurrectionem suam eorum sensibus obiciens atque confirmans. Illa adscensione adimpleta est haec Danielis prophetae *praedictio[2] : « Vidi quasi filium hominis in nubibus caeli venientem quoad pervenit ad antiquum dierum ; ad quem postquam accessit, dedit ille ei potestatem, et regnum, et honorem, et ut ipsi serviant omnes populi, gentes et linguae ; potestas eius potestas aeterna, et regni eius non erit finis. »

Ipsi igitur sit gloria cum Patre eius optimo et Spiritu sancto in aeternum. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater Anbā Daniel, archipresbyter Scetensis (Šīhāt). Hic sanctus fuit vas purum atque perfectum ; et cum eius fama late percrebruisset, ad eum venit sancta Anastasia[3] habitu virili et, statum monasticum amplexa, in spelunca haud procul ab illo annos duodetriginta habitavit, nemine doli ipsius conscio. Idem, quadam die, virum invenit, nomine Eulogium, qui, cum lapides excideret accepta mercede diurna ceratii aurei, parum quid insumebat in proprium victum, reliquam partem ad egenos pauperesque alendos erogans, quae

[1] B : seraphim ; tum subdit idem cod. : iuxta effatum prophetae magni Davidis, testantis eum sedere super seraphim et volare supra pennas ventorum. C et G eadem quae B inserunt, sed utrobique legendo : cherubim. — [2] DAN., VII, 13. — [3] C G ins. : patricia.

his superessent obiciens canibus, nec quicquam sibi in crastinum servans. Hunc postquam vidit sanctus, agendi rationem admiratus, Deum oravit ut eidem huius mundi divitias largiretur, quibus virtutis et misericordiae opera adaugeret, seque ipse sponsorem exhibuit. Ille igitur in iis lapidibus thesaurum repperit, quo assumpto Constantinopolim se contulit et, factus magnus rei publicae administer, opera bona quae agere consueverat dereliquit. Sanctus, de iis quae ad illum attinebant certior factus, Constantinopolim et ipse veniens, illius mores vitamque et quam egenus virtutum evasisset optime novit. Dein visionem habuit in qua Christus, sedens hominum iudicandorum gratia, videbatur iubere ipsum sanctum suspendi, rationemque ab eo exigebat animae Eulogii, diva tamen Virgine pro illo intercedente. Quare, expergefactus, ad monasterium reversus est, Deumque oravit pro Eulogio, ut nempe ad prius vitae institutum reduceretur. Ei autem apparuit angelus Domini, qui eum deterruit ab obsistendo divinis de creatura consiliis. Postea, imperatore constantinopolitano mortuo, alius solio potitus est, qui in Eulogium saeviit, opibus eius ablatis ; Eulogiusque, aufugiens ut vitam in tuto poneret, in patriam rediit coepitque lapides ut antea excidere. Tum Anbā Daniel eum adiit eique narravit *quaecumque sibi illius causa evenissent. — Fuit hic sanctus Spiritu sancto plenus ac prophetiae dono praeditus, et Deus multa miracula manibus eius patravit. Cum autem tentarent eum a fide vera abducere, restitit, et librum quo doctrina heterodoxa continebatur respuit ; quare minis et cruciatibus plurimis a militibus affectus est. Postea, quando voluit Dominus eum liberare, ad eum misit angelum qui egressum ex hoc mundo ei praenuntiavit. Quare convocatos monachos hortatus est atque consolatus, animoque iis addito, in pace quievit.

Mensis Bašons dies nonus.

Hodie requie donata est sancta Helena. Ex urbe Edessa oriunda, parentes habuit christianos qui eam et arte scribendi et disciplinis ecclesiasticis educaverunt atque erudierunt. Forma erat eleganti, singularique eminebat animae et corporis pulchritudine. Forte

evenit ut Constantius (Qūnsṭā), Britanniae[1] rex, Edessae deversaretur, ubi, fama virtutum et venustate formae huius sanctae ad se delata, eam exoptavit sibique duxit uxorem. Quae ex eo genuit Constantinum imperatorem, qui primus fuit imperatorum christianorum, eundemque sollicitissime educavit atque *omni* cultu et scientia instituit. Is iam regno potitus erat cum vidit *mater* in somnis quendam sibi dicentem : « Perge Hierosolymam, crucem retectura et loca sacra » ; tum, re cum filio communicata, stipata militibus ab eo missis, Hierosolymam petiit, ubi lignum crucis quoad inveniret inquisivit. Inventis autem cum eo duabus aliis crucibus, quibus affixi fuerant duo latrones, cum quaenam inter eas esset crux Christi dignoscere vellet, sanctus Macarius, Hierosolymorum episcopus, admonuit, eam esse crucem in cuius summa parte tabula lignea cui haec inscripta verba : « Hic est Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum. » Ipsa tamen *imperatrice* postulante, plenae securitatis animae gratia, ut miraculum ex ligno prodiens videret, contigit Christi dispositione ut tunc temporis mortuum afferrent, qui, duabus crucibus ei impositis non suscitatus est, sed cruce Salvatoris ei admota, resurrexit ; unde aucta omnium fides et completa Helenae laetitia. Porro aedificandas haec curavit eas ecclesias quae die decimo septimo mensis tūt memoratae fuerunt[2], *ingentesque patri Macario commisit pecunias, ut ipse aedificationi praesset. Tum, ad filium Constantinum reversa, allatam crucem pretiosam cum clavis ei tradidit. Qui cruci *susceptae* reverentiam adhibuit atque honorem, eique confectam voluit thecam auream, gemmis ornatam ; clavorum autem quos acceperat alios galeae suae inseruit, habenis equi alios infixit, ut adimpleretur quod sic dixerat propheta : « In freno regis erit salus nostra. » Vitam degit haec sancta Deo omnibus partibus gratam, ac legata pia plurima condidit in usum ecclesiarum et monasteriorum, itemque victus et vestitus pauperum atque egenorum gratia. Postquam aetatem ad annos octoginta produxit, quievit in pace a Domino *concessa*. Amen.

Hodie, martyrium Arsenii, genere Aethiopis, qui multis cruciatibus fuerat affectus et, promissione donorum pretiosorum tentatus, in fide immotus permanserat. Sacrum ipsius caput amputatum est anno sanctorum Martyrum millesimo nonagesimo sexto.

Preces eius nobis adsint. Amen.

[1] Sic sane legendum, corrigendo codd., in quibus : « el-Barantiyyah », et neglegendo coniecturam quam in editionis arab. margine apposui. — [2] Cf. tom. XVIII, p. 30.

EIUSDEM MENSIS DIES DECIMUS.

Hodie, commemoratio trium iuvenum piorum atque nobilium, sanctorum nempe Ḥananiae, Azariae et Mīṣaelis. Patrem habuerunt hi sancti Ioachim, regem Iuda, et Daniel erat eorum ex sorore nepos. Fuerant Ioachim eiusque filii captivi in Babyloniam adducti ; rex autem Babylonis ex filiis Israel captivis adulescentes elegerat formosos, quos a se esca et potu donatos ac nutritos militibus suis aggregaturus esset ; et in selectorum numero erant hi egregii *iuvenes*, itemque Daniel. Qui *omnes* noluerunt quicquam comedere ex victimis alienigenarum, sed praefectum ministrorum rogaverunt ut se sineret ab esu carnium abstinere sibique olera largiretur. Is vero dixit[1] : « Timeo ne aspectu vultuum vestrorum immutato rex me neci tradat. » At illi : « Tenta nos, inquiunt, et si se minus bene habuerint vultus nostri, non perseverabis; sin aliter, id facies quod libuerit. » Et oleribus quidem vesci coeperunt, et, quia eorum facies, Dei beneficio, pulchritudine splendescebant ac venustate, caros eos habuit rex iudicesque omnibus Babyloniae provinciis praefecit. At cum *erectam a rege Boḫtnaṣr statuam auream non adorarent, apud eum accusati sunt ; cui ipsos arcessenti et ea de re interroganti *quod verum erat* confessi sunt. Itaque in fornacem ab eo sunt proiecti ; sed Dominus angelum suum misit, qui, ignis vi ab iis depulsa, in fornace media auram roscidam frigidamque excitavit ; tum flamma se attollens eos combussit qui fornacem circumstabant. Quod ubi vidit rex, in Deum caeli credidit atque *tres adulescentes* honoribus auxit, et ad altiorem provexit gradum[2]. Die autem decimo octavo mensis bašons, dum in aedibus suis preces fundunt, inter adorandum animas suas in manus Domini exhalarunt ; eademque hora terraemotus in urbe factus est, quo rex

[1] DAN., I, 10. — [2] Quae hic subiciuntur de trium sanctorum morte et sepultura, cum in cod. A omnia desiderentur, inserta sunt ex B, cui, paucis voculis exceptis, consonant C F G.

perterritus rei causam a Daniele propheta sciscitatus est. Qui respondit, sanctos supremum obiisse diem. Quare ad locum *mortis* veniens rex, magna ex eorum obitu tristitia affectus, iussit iis lectos eburneos apparari et *corpora* vestibus sericis involuta iisdem lectis imponi ; tum praecepit et sibi lectum apparari aureum, ut huic, vita functus, inter illorum corpora imponeretur ; quod revera factum. *Postea,* quo tempore Theophilus munus obtinuit patriarchae alexandrini, ecclesiam illis *sanctis* aedificavit, in animo habens eorum corpora *huc* afferre. Itaque *illuc* sanctum Abū Iohannem misit. Is, cum ad locum pervenisset, urbemque atque huius flumina vidisset, nullo iam homine ibi superstite, sed statua aurea adhuc stante, ab angelo ad sanctorum corpora, inter quae corpus regis erat, adductus, ante illa corpora se prostravit, lacrimas fundens, et dixit : « O patres mei, patriarcha Anbā Theophilus ecclesiam aedificavit, eique in animo est corpora vestra in illam adsportare. » Tum e corporibus vox exiit, dicens : « Det tibi Dominus laboris tui mercedem. Patri autem fidei Anbā Theophilo haec refer : Decrevit Dominus corpora nostra a loco, hoc, in quo rex iacet, ante diem iudicii non discessura. Nec tamen ipsi *in incepto* haesitandum. Eum admone ut iubeat nocte consecrationis *ecclesiae* lampades apparari oleo atque ellychnio instructas, et in illas descendemus perque easdem nostram ostendemus virtutem. » *Iohannes,* ad patriarcham redux, rem cum eo communicavit, isque quod iussus erat fecit nocte diei decimi mensis bašons ; et sancti apparuerunt, et universae lampades accensae fuerunt, et patriarcha omnesque qui *ea re* digni erant sanctos, eosdemque consecrationis ergo circumeuntes, viderunt. Multi autem eorum qui diversis laborabant morborum generibus sanitatem a sanctis receperunt.

Intercessio eorum nos custodiat. Amen.

* p. 113.

*Mensis bašons dies undecimus.

Hodie, commemoratio sanctae Theocliae (Tāawklyā)[1] uxor Titi principis. Postquam enim alterum ab altera praefectus Alexandriae separavit, prout refertur die decimo mensis amšīr[2], sanctam ad

[1] C G : Tāwuklyah ; E : Nāwuklyā.— [2] Cf. t. XVIII, p. 488.

urbem Ṣā abduxerunt, ubi, epistula comitis praefecto *urbis* Ṣā perlecta, mirati sunt regnum ab iis derelictum esse et mortem electam. Theocliae autem praefectus multum blanditus est atque ingentia bona promisit. Quae respondit : « Regnum meum dimisi, nullo eiusdem respectu habito ; ab eo me passa sum seiungi qui meus est ab adulescentia coniux ; filium meum, quasi ipsius oblita, propter Christum reliqui ; et tu quid mihi dare posses ? » Quare eam iussit ille verberari quoad pellis discerperetur, tum custodiae mandavit. Ei vero apparuit angelus Domini, eamque sanavit. Quod cum vidissent multi ex captivis aliique, admiratione commoti, martyres occubuerunt. Porro Theocliae, instante mortis tempore, se praesentem praestitit angelus Domini, qui eam confortavit, plurimis adiectis pollicitationibus. Tum praefecto iubente caput eius abscidi, martyrii coronam consecuta est ; et fideles quidam convenientes, pecunia militibus data, corpus abstulerunt atque honorifice conditum et arca inclusum deposuerunt donec tempus persecutionis finem acciperet. Benedictiones eius nobis adsint.

Eodem die, commemoratio sancti Paphnutii[1] episcopi. Vitam monasticam hic pater a teneris amplexus fuerat in Scetensi ('Isqīṭ) patris Macarii (Maqāryūṣ) coenobio, operamque dederat magnis virtutibus *acquirendis*. Perpetuum servabat ieiunium, nihil cocti, sed tantum olera sicca comedens. Cum in deserto artem scribendi canonesque ecclesiasticos didicisset, sacerdos ordinatus, ibidem annos triginta quinque commoratus est, et fama virtutum eius percrebruit. Eum idcirco arcessitum Philotheus, papa Alexandriae, consecravit episcopum ; neque, eiusmodi principatum gerens, habitum unquam mutavit, nisi quod, die quo *sacrum facturus esset, vestes induebat sacerdotales ; sed, sacro absoluto, vestimenta ex pilis sibi imponebat, vitae ac paenitentiae religiosae morem ita exercens, quippe qui regulae suae monasticae inhaerebat fidelis. Corpore *quondam* aegrotans, Deum his oravit verbis : « O Domine mi Iesu Christe, num propter episcopatum *susceptum* gratiam tuam a me abstulisti ? » Tunc eum angelus Domini convenit et sic affatus est : « Scito, tibi, quo tempore in deserto versabaris, neminem adfuisse qui aegrotantis curam ageret neque

* p. 114.

[1] B D : Nīqūnyūs ; F : Bīfyūnyūs.

ullum praesto fuisse medicamentum quo utereris, ideoque Deum tibi auxiliatum esse, morbos a corpore et casus adversos avertendo; nunc vero et hoc loco, in medio mundo constitutus, ad manum habes et qui te curent et quicquid in morbo tuo tibi necessarium, ac proin tibi ipse consule. » Hic pater in episcopatu permansit annos duos et triginta, et, tempore mortis imminente, convocatis sacerdotibus, senioribus populi ac diaconis vasa ecclesiae ipsorum et quaecumque eorum propria essent commisit, dixitque: « Scitote me ad Christum commigrare; nostis quomodo inter vos degerim, et Christus, in cuius conspectu iamiam stabo, testatur ne unam quidem drachmam mihi a me reservatam ex iis omnibus quae episcopatu fungens sortitus sum. » Itaque ei flentes valedixerunt, eumque rogaverunt ut ipsis benediceret atque auxilium memor suppeditaret. Tum in pace quievit.

Eiusdem mensis dies duodecimus.

Hodie festum agimus archangeli Michaelis, qui pro genere humano perpetuo intercedit. Ille est qui, quattuor sanctis Evangeliis narrantibus, Salvatoris resurrectionem mulieribus nuntiavit, veraci testimonio affirmans : « Dominus surrexit a mortuis. »

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Eodem ipso hodierno die requie donatus est sanctus Iohannes Chrysostomus. Hic pater, patria antiochenus, parentem habuit ex divitibus civitatis, cui nomen Sīfanidūs[1]; mater autem Anūsyah[2] vocabatur. Uterque, cum maximae suppeterent facultates, filium omni cultu educandum erudiendumque curaverunt. Qui, Athenas se conferens, philosophiam *graecam in scientiarum gymnasio didicit, plurimisque sapientia, eruditione et virtute antecelluit. Voluptatibus mundi a se abdicatis, vitam monasticam a teneris amplexus est. In eodem autem coenobio monachus ante ipsum factus fuerat sanctus Epiphanius[3], et ambo pari et concordi conatu egregias exhibuerunt virtutes. Mortuis parentibus, *Iohannes*, nihil sibi reservans ex iis quae reliquerant, omnia pauperibus ac miseris distribuit, seseque paenitentiis multis atque acri certamini *spirituali* addixit. Porro aderat in monasterio vir Deo

[1] B : Sīfānidros ; (corruptum e Secundus). — [2] B : Ītūsyah ; G : Natūsyah ; (corruptum ex Anthusa). — [3] B C G : Basilius.

devotus, solitariam degens vitam, natione syrus, Īsūsnūs[1] nomine, visionibus a Spiritu sancto donatus ; et is nocte quadam vidit apostolos Petrum et Iohannem ad sanctum *Chrysostomum* accedentes, et Petrum quidem claves ei, Iohannem vero evangelium tradentem, atque utrumque huiusmodi verba proferentem : « Noli timere ; quemcumque ligaveris, ille ligatus erit, et si quem solveris, erit idem solutus. » Unde intellexit eremita, illum fore pastorem fidelem. Hic igitur, gratia Dei in eum effusa, sermones conscripsit et homilias, librosque multos adhuc diaconus explanavit. Postea angelus Domini sancto Flaviano[2] apparuit praecepitque ut sanctum *Iohannem* sacerdotem ordinaret. Mortuo dein patriarcha Constantinopolitano, Arcadius imperator hunc sanctum ad se misso nuntio arcessitum adductumque patriarcham constituit. Qui in patriarchae munere vitam egit apostolicam, perpetuam navans operam disciplinae tradendae, praedicationi et librorum ecclesiasticorum omnium, tum antiquorum, tum recentium, expositioni. Conciones multas habuit, peccatoresque reprehendebat nullo respectu habito sive regis, sive praepositi. Porro Eudoxia imperatrix, Arcadii uxor, omnium possessionum percupida erat. Quae hortum pauperis viduae vi sibi vindicavit ; et, cum haec eam rem apud sanctum conquesta esset, is imperatricem datis ad eam litteris dehortatus est atque instantissime deprecatus, et admonenti non parentem prohibuit ab ingressu ecclesiae, eique sacra communione interdixit. Quare illa, furore succensa, adversus eum coegit concilium episcoporum quos ipse propter vitia sceleraque excommunicaverat, et isti pronuntiaverunt eum eiciendum esse et in insulam Thracum ('Atrākī) relegandum. Ad quos transvectus, eos repperit pessimis erroribus in vitae instituto laborantes, et praedicationibus ac miraculis quae inter illos patravit ad Dei cognitionem reduxit. At vero cum audissent *Honorius, Romae imperator, et Qūṭīfānūs[3] papa sanctum *Iohannem* exsulare, litteras ad Arcadium dederunt, quibus eum vituperabant et ab istiusmodi facinore deterrebant ; litterisque perlectis, ille, magno oppressus maerore, easdem cum imperatrice communicavit et misso nuntio sanctum ab exsilio

[1] B : 'Ansūsnūs ; D : 'Ansūsyūs — [2] Correxi. A : Flatyānūs ; B : Qalābyānūs ; G : Fīlātyānūs. — [3] Sic in A ; B : Fūnīqānyūs ; C : Fūnīqānūs ; G : Fūnīfānyūs.

revocavit, huiusque reditus gaudio fuit civitati. Sed eum imperatrix iterum in exsilium eiecit, quo durante mortuus est. Porro Honorius et papa, de altero exsilio certiores facti, rem gravissime tulerunt, deditque *papa* epistulam qua imperatrici sacra communione interdicebat quoad sanctum reduxisset. Verum cum ad hunc *viros* miserunt qui eum ad sedem reducerent, mortuum repperérunt. Quare corpus eius Constantinopolim attulerunt et papam per legatos certiorem fecerunt. Qui imperatricem per octo menses regno privavit[1]; dein tamen, precibus multis exoratus, eam absolvit. Verum eandem dominus morbo percussit, cuius causa plurimas expendit pecunias, donec, ad corpus sancti se conferens, in id provoluta et eo perfricata, veniam flens ab eo imploravit et *sic* sanationem a Deo consecuta est.

Eius intercessio nobis adsit.

Eodem die, in urbe Hierosolyma, supra *montem* Golgotha, crux e medio caelo apparuit, principatum exercente patre nostro sancto Cyrillo, episcopo hierosolymitano, et regnum obtinente Constantio (Qosṭanṭūnyūs), filio Constantini (Qosṭanṭīn) Magni. Contigit autem apparitio hora diei tertia, isque erat eius fulgor qui solis splendorem superaret, et permansit crux visibilis atque manifesta fere usque ad horam nonam, hominibus undique ad eam contemplandam concurrentibus. Unde pater Cyrillus ad Constantium imperatorem epistulam dedit, qua dicebat : « Temporibus beati patris tui, huic in medio caelo ostensa est crux stellis constans ; tuis vero temporibus, o imperator, supra Calvariam apparuit crux ignea, solis luce splendidior, quae usque ad sacrum *Christi* sepulcrum protendebatur et ad montem Olivarum transiit. » In eadem epistula *Constantium* monebat *Cyrillus* ne doctrinae Arii adhaereret neve quemquam ex eius sequacibus susciperet. Festum hoc *hodiernum* sanctus Cyrillus ipsi diei quo crux apparuerat assignavit *in catalogis hierosolymitanis, idque ab eo reliquus orbis accepit. Et *sane* nos oportet quovis tempore crucis agere festum, cum in ea stet et salus nostra et nostra contra omnes inimicos corporeos atque spiritales armatura, modo illa cum fide sincera armemur.

* p. 117.

Domino nostro, cum Patre eius optimo et Spiritu sancto, gloria in aeternum !

[1] B, melius : per octo menses excommunicavit.

Eodem die, ecclesiae martyris praeclarae atque eximiae sanctae Damianae consecratio in Ezza'farānah, qui locus[1] ad hanc usque aetatem miraculis atque apparitionibus illustris est. Intercessio incolarum eiusdem loci nos usque ad extremum halitum custodiat. Amen.

MENSIS BAŠONS DIES DECIMUS TERTIUS.

Hodie requie donatus est pater devotus et luctator sapiens Arsenius. Hic pater, patria romanus, parentibus generis nobilitate atque opulentia conspicuis natus erat. Qui eum disciplinis Ecclesiae eruditum diaconum ordinarunt. Dein, ad urbem Athenas profectus, universarum scientiarum studio[2] se addixit, easque apprime calluit, aequalium plurimis antecellens. In philosophia graeca versatissimus erat, virtutisque christianae et cultor et doctor. Postquam autem Theodosius Magnus Romae solium conscendit, virum probum ac sapientem quaesivit, qui duos filios Honorium et Arcadium erudiret. Hunc igitur sanctum sibi commendatum arcessivit rogavitque ut filiis suis praeceptoris loco esset, tum in aedes suas introducto filios commisit. Eos *Arsenius* educavit atque edocuit modo qui et suam et amborum discipulorum conditionem decebat, ac studio eos erudiendi eo saepe adactus est ut in eosdem dure verberando animadverteret. At cum, Theodosio imperatore mortuo, filius eius Honorius regnum in urbe Roma, et Constantinopoli Arcadius, obtinuit, amborum timorem, propter *scilicet* verbera *olim* inflicta, Deus animae huius sancti indidit eumque ad mundum relinquendum impulit, *ut, faculae instar, iis omnibus praeluceret qui animae suae salutem prosequerentur. Itaque, dum secum cogitat quid sit facturus, ecce vox ad eum a Domino emissa est, dicens: « O Arseni, ex mundo aufuge, et salvus eris. » Nec moram interposuit post vocem *auditam* ; sed, veste mutata, ad urbem Alexandriam venit et inde desertum petiit sancti Macarii, seque exercuit ieiuniis multis ac diuturnis vigiliis, et *ceteris* virtutibus suis silentii virtutem adiunxit. Quodam die interroganti de ipsius silentio respondit : « Saepe

* p. 118.

[1] Vel : quae ecclesia. — [2] Ad litt. : « gyri *seu* orbis universalis scientiae ; » qua appellatione quid significetur mihi non plane liquet.

ita locutus sum ut *dictorum postea* me paeniteret, tacuisse vero me non paenituit unquam. » Interius exteriusque humilis [1] et labori manuum perpetuo vacans, quod sibi reliquum erat eleemosynae in modum largiebatur. Iis qui animarum suarum salutem velint consequi praecepta utilia atque eximia exaravit. Quoties ecclesiam ingrediebatur, post columnam se abscondebat, ne quis eum videret. Fecit hic sanctus multa miracula, et Deus ei quorundam hominum vitam haud semel revelavit. Pulcher erat aspectu et eleganti *membrorum* compositione [2]; vultus eius amoenus atque suavis; barba ad ventrem usque promissa. Propter fletum et paenitentiae sensus pili palpebrarum deciderant. Statura procera, nisi quod senectute facta est pronior. Aetatem assecutus est annorum quinque et nonaginta, ex quibus quadraginta Romae degit, quadraginta item in Scetensi solitudine, decem in monte Aegypti et tres in Alexandriae monasteriis; ad montem aegyptiacum dein reversus et biennium in eo commoratus, ibidem in pace quievit.

* p. 119.

*Mensis Bašons dies decimus quartus.

Hodie ad requiem vocatus est pater Pachomius (Baḫūmyūs), societatis spiritalis parens. Hic sanctus vitam monasticam a teneris amplexus est apud patrem Palamonem (Bālāmūn), sub cuius auctoritate multos annos permansit, instituti monachici regulas apprime addiscens. Postea angelus Domini ei apparuit praecepitque ut monachos congregaret et apostolicam conderet communitatem. Itaque multos coegit coetus, iisque multa apparavit monasteria, et omnes, ad laborem manuum et alimenta quod attinet, in unam coagmentavit societatem. Iisdem regulas praescripsit quas in orando sequerentur, et, cum esset universorum pater, singulis monasteriis praefectum assignavit; ipse autem circuibat, omnia visitans ab extremis finibus Syenae ('Aswān), 'Atfah [3], Aḫmīm et Dūnāsah usque ad regionis maritimae terminos. Vanae gloriae *excludendae* causa, itemque ne simultates inter filios de sacerdotio orirentur, nullum ex iis sacerdotem ordinari

[1] Ita ex B; A: infirmus. — [2] Vel: lineamentorum oris convenientia. — [3] B: 'Atfū.

sinebat; sed in singulis coenobiis sacerdos e saecularium numero sacrum faciebat. Quo tempore sanctus Athanasius in Aegyptum superiorem adscendit, in animo habens hunc patrem ad sacerdotium promovere, Pachomius aufugit. Unde ille, filios eius alloquens: « Haec, ait, patri vestro dicite: O qui domum tuam supra immotam petram aedificasti et a vana gloria fugisti, beatus es tu, et beati filii tui. » — Quadam die, optavit *Pachomius* ut gehennam cerneret. Quare eum rapuit angelus Domini, eique tum beatorum, et quidem singulorum, sedes, tum etiam loca tormentorum ostendit. Societati praefuit annos quadraginta, monachos confirmavit, iisque praescripsit quis post se eorum praefecturam gereret; dein in pace quievit.

Preces eius atque benedictiones nos custodiant.

Eodem die martyr obiit Epimachus ('Abīmāḫos), ex incolis el-Farma, temporibus Būlāmīs [1], praefecti Aegypti. Hic sanctus artem textrinam exercebat [2] et vestes magnificas conficiebat. *Erant ei duo amici, Theodorus et Clinax (Klīnakos); et cum audisset Bulamem praefectum adventare et christianos ab eo torqueri, coepit amicos compellare atque hortari ad divitiarum huius mundi contemptum; tum iis valedicens et egressus ad el-Bakruǧ, qui locus est haud procul distans a Danurah, ad praefectum perrexit, eumque invenit occupatum in femina torquenda: hanc in fornacem inieceral, ubi mortua est, postquam tamen fornax facta est, sancto rem intuente, rori frigido similis. Ad praefectum igitur accessit *Epimachus* et ab eo, Christum palam confessus, acerba sustinuit tormenta, annos tunc septem et viginti natus; iussus est cruci affigi, in equuleum proici et machina constringi atque comprimi. Guttula autem sanguinis e corpore eius eiecta oculos puellae caecae tetigit, et haec illico facultate videndi donata est. Tum in ligno crucifixus fuit, Christum interea multum orans atque deprecans. Dein praefecto praecipiente ut caput eius absciderelur, eductum e vagina gladium satelles in eum strinxit, sed stringentis vis dissoluta fuit et *conatus irritus factus*; idemque experti sunt quattuordecim satellites, qui, omni vi destituti, in terram corruerunt. Quare *sanctus*, fune ad collum alligato, in montem excelsum pertractus est et, spiritu in manus Domini

* p. 120.

[1] B: Nulamis. — [2] Ita ex B; A: artis suae peritissimus erat.

emisso, immarcescibilem coronam obtinuit. Unus autem militum, qui surdus erat, dum corpus sancti defert, auditum recepit. Et quidam ex urbe Atko[1] venerunt atque idem corpus abstulerunt, et ex eo miracula prodierunt ac sanationes. Princeps vero, timore perculsus, fugit. *Tum* convenerunt incolae ambarum urbium quibus nomen Damīrah[2] ac parentes martyris consolati sunt; et, cum miracula ex corpore prodeuntia vidissent, baptismum receperunt. Quorum numerus, virorum scilicet, mulierum atque adulescentium, fuit mille septingenti et quinquaginta. Porro accedentes cives illius sancti eum e loco in quo iacebat adsportarunt in El-Barmūn eique ecclesiam superstruxerunt.

Eius intercessio atque preces eos omnes custodiant qui baptismo renati sunt. Amen.

*p. 121.

*MENSIS BAŠONS DIES DECIMUS QUINTUS.

Hodie martyrio affectus est sanctus Simon Zelotes, qui et Nathanael vocabatur. Is, ex Cana Galilaeae oriundus, eruditus erat in Lege et Prophetarum libris, atque ardore et zelo flagrabat, unde cognomen accepit. Iustus erat et aequus in iudicio *ferendo*, nulli personarum respectui indulgens. Quare Philippo nuntianti: « Invenimus Messiam de quo scripsit Moyses et quem prophetae memorant, Iesum nempe, Iosephi filium, qui ortum ducit ex Nazareth », non assensit, sed dixit: « Num potest a Nazareth quidquam boni prodire ? » Tum, postquam Philippus respondit: « Veni et vide », Domino ipsum sic alloquente: « Hic est verus Israelita, in quo dolus non est », neque *propriae* laudi assensum praebuit, verum huius laudis probationem postulavit, interrogando: « Unde me nosti ? » Tum, Domino respondente: « Priusquam Philippus vocaret te, cum esses sub ficu, vidi te», persuasum tandem habuit, illi rerum secretarum cognitionem inesse, et exclamavit: « Dominus meus et Deus meus » ; neque pervicax restitit, sicut Iudaeorum seniores, qui, cum his majora pluraque et vidissent et audivissent, veritati non oboediverunt. Fertur autem, ab illo adhuc adulescente, iurgio in deserto ipsum inter et virum

[1] Ex C G ; A : Īlū ; B : 'Ablū. — [2] Altera quippe erat « Damīrah septentrionalis », altera « Damīrah australis ». Cf. AMÉLINEAU, *op. cit.*, pp. 118, 119.

quendam ex gentilibus exorto, adversarium vulnere lethali percussum mortuumque esse, et sub ficu sepultum, nemine rei conscio praeter Salvatorem. Dicunt etiam, eum tempore stragis infantium a matre absconditum esse in fiscella, quam illa ita a ficu suspenderit ut ipsa, domi manens, infantem demitteret lactaretque ac dein iterum suspenderet, et in eo artificio perseveraret quoad sedata esset persecutio ; rem vero a genitrice proli suae timente ipsi filio nonnisi iam adulto, et ab hoc nemini unquam revelatam esse. Quamobrem, Salvatore factum commemorante, Nathanaeli persuasum fuit illum esse Dei Filium, quem neque res secretae lateant ; et tunc Salvatori se dicto audientem praebuit, et, eum secutus, inter duodecim discipulos connumeratus est. Dein, Paracleti gratia accepta, itemque facultate linguis universi orbis loquendi et mysteriorum divinorum cognitione, in medium prodiens mundum, regionem sibi assignatam *fidei luce* collustravit, doctos ignarosque plurimos convertit et, lumine iis affuso, eosdem qui fuerant lupi rapaces agnos effecit mansuetos. Fines Aethiopum[1] et fines en-Nağat[2] petiit, in insulam Barṭānah[3] ingressus est, et *in singulis illis locis ab incredulis comprehensus est, contumeliisque et tormentis multis affectus, quibus animi virtus et fortitudo ei adaucta est. Eius manibus Deus magna patravit miracula, in quorum numero fuit suscitatio mortuorum, et talium quidem qui iam putredine contabuerant ; qui, ipsum precati ut se baptizaret, ab eo *revera* baptizati, complures annos vixerunt. Leprosum quoque inter baptizandum sanavit. Postremo increduli eum cruci affixerunt, in qua spiritum exhalavit.

*p. 122.

Eodem die, commemoratio Minae, diaconi et eremitae. Cuius preces nos custodiant. Amen.

Eodem die martyrium passi sunt martyres quadraginta et immarcescibilem coronam martyrii propriam obtinuerunt. Acerbis tormentis cruciati sunt regnante Diocletiano, imperatore admodum maledicto, et, sacris capitibus amputatis, certamen consummarunt ac cum Christo rege in regione vivorum festum egerunt.

Quorum intercessio nos custodiat. Amen.

[1] G' : Francorum. — [2] Quaenam sit gens vel regio illa, quae in A en-Nağāt. in B et C el-Bağāt appellatur, cum ex nullo fonte expiscari contigerit, doctioribus investigandum relinquo. — [3] Ex B C G' ; A : Barṭātah.

Eodem item die. martyrium Sidraci et Fadlallāhi unguentarii, ex incolis Qanṭarat ed-Dakah ; quorum, postquam tormentis affecti sunt, capita abscisa, anno Martyrum millesimo nonagesimo nono.

Eorum preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bašons dies decimus sextus.

Hodie, commemoratio sancti Iohannis evangelistae et praedicationis eius in urbibus[1] Asiae, atque Ephesi, et in omnibus regionibus huic *civitati* circumiacentibus ; item molestiarum horrendarum quas sustinuit, in mari submersus *et ab hominibus scelestis, idolorum cultoribus, vexatus, antequam eos ad cognitionem Dei revocaret et ex propria impietate tum doctrina tradita, tum miraculis quae Deus manibus eius patrabat, educeret. Postquam senuit, Evangelium ipsius nomini inscriptum illis exaravit, eum movente Spiritu sancto ut ea conscriberet quae *ceteri* tres evangelistae variis de causis omiserant ; atque ideo exposuit Filii unici aeternitatem, eius incarnationem, partem etiam miraculorum eius, quae, ut ipse *Iohannes* in sacro suo Evangelio testatur, innumera sunt. Deinde, spiritu in caelum raptus, caelestes hierarchias harumque ordines vidit, earundem hymnos audivit, et de iis rebus librum edidit cui nomen Apocalypsis. Hoc festum *hodiernum* Aegyptii in memoriam praedicationis eius evangelicae instituerunt, et eodem die illi Alexandriae consecrata est ecclesia.

Preces eius nos custodiant. Amen.

Mensis Bašons dies decimus septimus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus et illustris Epiphanius, Cypri episcopus. Hic sanctus, ex pago qui a Bait-Ǧibrīl[2] haud procul distat oriundus, parentes habuit iudaeos, oeconomiae antiquae lucem sectantes, pauperes quidem et egenos, patre agriculturam exercente, sed pios et legis iudaicae praecepta diligenter observantes. Mortuus est pater hoc sancto et sorore una

[1] B C G′ : in urbe. — [2] Ita B F G ; A C : Bait-Ǧibrāyīl.

superstitibus, ambosque mater cultu legis iudaicae erudivit. Porro reliquerat pater asinam admodum calcitrosam, et hortata est filium mater ad asinam istam vendendam, tum ut ab eius noxis tuti fierent, tum ut ex pretio utititatem caperent. Ei igitur iumentum venale adducenti occurrit vir christianus et sanctus, cui nomen Philotheus,[1] et hoc prope consistente ac pretium sciscitante, Epiphanius, pede asinae percussus, concidit stupore semianimis et morti proximus ; sed, cum Philotheus femori eius benedixisset his orans verbis : « In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius », vulnere statim sanato, *surrexit ille ac si nullum prorsus dolorem experiretur. Dein, sancto asinam sic inclamante : « In nomine Iesu cruci affixi intereas ! » ista illico cecidit mortua. Quae duo miracula ubi vidit Epiphanius, sanctum Philotheum interrogavit : « Quisnam est Iesus crucifixus, in cuius nomine eiusmodi miracula edis ? » Respondit ille : « Ipse est Filius Dei, quem Iudaei Hierosolymis crucifixerunt. » Haec igitur in mente sancti Epiphanii reposita manserunt. Porro evenit ut quidam ex Iudaeis divitibus eum in domum suam admissum lege *mosaica* educaret atque erudiret et, morte imminente, cum sibi haeres *ex lege* non esset, eundem omnium facultatum suarum haeredem constitueret. Idcirco Epiphanius scientiis operam dedit et Legem edoctus est. Postea, quadam die, eum forte convenit monachus sanctus, Lucianus nomine, doctus et *speciali* Dei gratia donatus, qui se ei itineris comitem adiunxit ; et simul incedentibus obvius fuit pauper, qui eleemosynam a monacho petiit. Hic autem, quia nulla ipsi erat pecunia quam largiretur, vestem qua induebatur exuit deditque mendicanti ; et, dum eam pauper accipit, vidit Epiphanius stolam albam caelitus in illum monachum demitti, remque admiratus, sese ad monachi pedes proiecit, sciscitans quis esset et cuius religionis. Tum affirmantem se christianum esse rogavit Epiphanius ut et se christianis annumeraret. Ab illo igitur assumptus est et ad patrem episcopum adductus, qui eum baptizavit ac praecepta religionis christianae edocuit. Dixit autem Epiphanius : « Mihi in animo est vitam monasticam amplecti. » Cui episcopus : « Opes multae tibi sunt, et monachus fieri posses ! [2] » At ille abiens sororem suam ad eum adduxit.

[1] B C G : Filūnyūs. — [2] B : neque oportet te monachum fieri.

quae et ipsa baptizata est. Partem autem ex memoratis divitiis pauperibus et egenis, monasteriis atque ecclesiis distribuit; iisdem etiam multos libros acquisivit. Dein una cum sorore vitam iniit monasticam, ingressus in coenobium Luciani, qui ipsi baptismi causa fuerat; agebatque tunc temporis aetatis annum decimumseptimum. In coenobio sanctum Hilarionem (Iblāryūs) magnum repperit, specie adhuc iuvenem, moribus seniorem, qui sanctum Epiphanium sibi commissum suscepit et in monastica vita et disciplinis regularibus erudivit. Hic vero, cui gratia Dei infusa, scientias ecclesiasticas et institutum monasticum brevi calluit tempore; tum, morum perfectionem adeptus, coepit magna patrare miracula, mortuos suscitavit et daemones eiecit, aquam eduxit *ex locis in quibus non erat aqua, pluviam dedit. Quare, cum late celebraretur eius fama, virtus, labor et scientia, ad eum confluxerunt Iudaei multi, cum ipso disputaturi; quos baptizavit, postquam iis proprium errorem manifestum fecit. Neque aliter *se gessit* quoad Graecorum sapientes, quorum plurimos ad Christum adduxit. Sanctus Hilario, magister eius, praedixit eum fore Cypri episcopum, eique praecepit ut illuc transmigraret et ibi habitaret, ipso commorationis loco assignato, ac prohibuit ne *episcopatum,* si rogaretur, detrectaret, rem quippe Deo volente eventuram. Profectus igitur illuc est, et in loco sibi assignato habitavit. Mortuo autem *urbis* episcopo [1], cum sanctus, duobus monachis comitantibus, civitatem ingrederetur ea empturus quibus corpus curaret, Christus sanctum quendam episcopum senem his admonuit verbis: « Ad forum perge, et qui ibi occurret tibi monachus, nomine Epiphanius, manu tenens duos uvae racemos quos vendere velit, eum praepone Cypro episcopum. » Itaque ille surgens ad forum se contulit, invenitque Epiphanium cum duobus monachis stantem ac manu binos uvae racemos tenentem. Quem interrogavit quo nomine vocaretur. Respondit: « Nomen meum Epiphanius miser. » At ille: « Hosce racemos e manu proice. » Tunc sanctus, intellegens Hilarionis [2] praedictionem adimpletam esse, uvis e manu proiectis, cum admonente ad ecclesiam perrexit et ab eodem diaconus, tum sacerdos, tum episcopus ordinatus est. Dein, ut suum ipsius et totius multitudinis animos quietaret,

[1] B C G: Cypri episcopo. — [2] A: Ellāryūn; B: Iblāryūs; D: Iblāryūn.

episcopus *ille prior* notam omnibus fecit visionem quam habuerat [1]. In episcopatu sanctus instituit eam vitae rationem quae Deo placeret. Libros multos de variis disciplinis et plurimas homilias concinnavit. Quod si quem audiret immisericordem esse, eum adhortari non desistebat quoad eum ad misericordiae sensus adduxisset. Erga Iohannem, episcopum Hierosolymitanum, quem audierat parum misericordem esse, dolo usus est: mutuatus enim ab eo vasa argentea, quae in mensa ad comedendum adhibebat, haec vendidit atque eleemosynas inde largitus est. Et cum Iohannes vasa ab ipso expostulans atque eum apprehensa veste detinens repeteret, illum Deus subito caecitate percussit; *verum *Epiphanius,* sibi instanter supplicantis misertus, oravit Deum, qui unum ei aperuit oculum. — Acceptis ab Eudoxia imperatrice litteris, quas dederat illa ut ab ipso adiuvaretur ad deponendum sanctum Iohannem Chrysostomum, Constantinopolim se contulit eo consilio ut alterum alteri reconciliaret; at noluit *imperatrix* ei consentire de oboedientia Iohanni *praestanda,* imo respondit ei: « Nisi Iohannem deieceris, idolorum delubra aperiam, ecclesiis clausis. » Quare ab ea discessit tristis et secum reputans quid futurum esset. Proceres autem regni dictitarunt Iohannem ab Epiphanio detrusum esse, et hic rumor per *urbem* Constantinopolim sparsus est. Qui cum ad Iohannem perlatus esset, dedit is ad Epiphanium epistulam, qua, factum ei exprobrans, subiungebat: « Scito te ad sedem tuam non perventurum. » Rescriptum vero ad eum misit Epiphanius, quo et certiorem eum faciebat se nulli sententiae istiusmodi subscripsisse, et subdebat: « Scito nec te ad locum exsilii perventurum. » Tum sanctus Constantinopoli profectus est ut Cyprum peteret; sed, Domino volente, in navi mortuus est, priusquam iter complevisset, ut manifestaretur virtus sancti Iohannis Chrysostomi; et pari modo Chrysostomus quoque in itinere obiit, ut manifesta fieret virtus Epiphanii. Praescivit autem hic sanctus mortem suam, et surgens oravit, duosque discipulos adhortatus, iis praenuntiavit eos fore episcopos, tum iisdem valedixit et decumbens quievit in pace.

Eius intercessio nos custodiat. Amen.

[1] A: quam habuerat pater. Sed vox « pater » abundat, ut liquet ex comparatione cum B C G.

Eodem die, Spiritus sancti in cenaculum montis Sion descensus, *vi cuius apostoli* omnibus linguis locuti sunt; quod festum vocatur Pentecostes.

Preces eorum atque benedictiones nobis adsint. Amen.

MENSIS BAŠONS DIES DECIMUS OCTAVUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus pater Georgius (Ǧāriǧah)[1], sancti Aframi[2] socius. Hic sanctus, parentibus christianis sanctisque progenitus, ab iis, ubi adulevit, ovium pastor constitutus est; sed animum eius perpetua lacessebat de vita monastica cogitatio. Quare, postquam annum aetatis decimum quartum complevit, gratia Dei motus, grege relicto, *viam deserti pedes iniit, et, igneam procul columnam adspiciens, ad eam tetendit quoad, ipso fluminis ripam attingente, illa ab oculis evanuit. Flumine vero traiecto, Satanas ei sub specie senis apparuit, affirmans patrem illius a se visum scissis vestibus de filio dolentem et lacrimas fundentem, adeo ut se lugentis misereret; tum subiunxit: « Necesse est ut ad patrem revertaris et cor eius consoleris, siquidem opinatur te a fera devoratum esse; ad desertum postea redi. » Unde sanctus aliquantisper obstupuit; dein vero dixit: « In sacro Evangelio scriptum: Si quis amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. » Dum autem haec dicit, Satanas, in speciem fumi conversus, aufugit ab eo, et inde manifestum inspicienti fuit, Satanam eum esse. Confestim columna lucis *Georgio denuo* apparuit et angelus sub specie monachi sese ei socium adiunxit, neque eum comitari destitit donec ad monasterium Anbā Aurionis ('Auryūn)[3] perveniretur. *Ibi*, apud virum sanctum annos decem commoratus est, nec quicquam cocti comedebat, neque vino utebatur, neque ullo vescebatur pomo, nec somno indulgebat nisi sedens. Postquam mortificationem plurimam exercuit, ei apparuit angelus Domini dixitque: « Te iubet Dominus via incedere media, ne corpus tuum debilitetur. » Tum hanc regulam proposuit ei praescripsitque, ut cotidie, usque ad vesperam ieiunans, dein aliquan-

[1] D: Ǧāwārǧah. — [2] A, hoc loco: 'Afrām, infra vero: 'Abrām; et: 'Abrāam; B F G: 'Afrāhām; D C E: 'Abrāhām. — [3] B: 'Aurinūn; C: Hauryūn.

tulum panis comederet et ad mediam usque noctem dormiret, quietis corpori necessariae causa, alteram vero dimidiam partem noctis vigilaret atque oraret. Quam regulam ille aliquandiu secutus, voluit solitariam in deserto interiore vitam agere, coeperatque illuc duorum dierum itinere progredi cum visione donatus est *admonente* ut in locum suum reverteretur; versabatur autem tunc prope Graecorum monasterium. In proprium coenobium reversus, sanctum Abramum ('Abrām), qui forte ad idem coenobium se contulerat, repperit, et ambo consentientibus animis ad monasterium venerunt sancti Abū Macarii (Maqār) et habitaverunt apud patrem Anbā Iohannem, archipresbyterum scetensem (Šīhāt), qui locum iis dedit suo vicinum. Locus ille celebris, et ad nostram usque aetatem permanet in cella quae nomine Ǧajjih insignis est. Ibi ad duos *amicos* descendit Christus Dominus, eum adoraverunt, et, pacem iis apprecatus, ab iisdem sursum versus recessit; remanetque usque adhuc fenestella per quam lux ad eos demissa erat. Illi multos libros conscripserunt, itemque homilias monachis, in quibus oboedientiam laudaverunt. Mortuus est pater Georgius post Anbā Abrahamum ('Abrāam); annos duos et septuaginta, *et quidem ex his quattuordecim in mundo et quinquaginta octo in statu monastico, vixerat.

Benedictio precum eius nos custodiat. Amen.

MENSIS BAŠONS DIES DECIMUS NONUS.

Hodie requie donatus est pater luctator Anbā Isaacus, Cellarum presbyter. Hic sanctus, e quodam tenuium Aegypti pagorum oriundus, parentibus pauperibus[1] natus est; verum operibus bonis dives evasit et regionem vivorum haereditate acquisivit. Idem sanctus, cum die quadam seniores ad arva Nilo adiacentia venissent, ea venumdaturi quae labore manuum confecerant, illos in desertum secutus, iis famulatus est, iugum oboedientiae subiit et in mortificatione monastica et carentia possessionum caducarum summopere excelluit. Tempore vitae suae monasticae nunquam duas habuit vestes. Quod si qui ei suaderent ut duas vestes sibi compararet, hoc iis reponebat: « Equidem adhuc vir

[1] A, mendo manifesto, cuius B C G expertes: fidei egenis.

sum saecularis, siquidem nec in mundo duae mihi vestes suppetebant. » Dixit etiam : « Patres nostri vestimento ex fibris palmaribus utebantur, et nobis una vestis non satis esset ! » Lacrimas iugiter fundebat, et causam fletus sciscitantibus respondebat : « Patres mei mortui sunt et me reliquerunt orphanum. » Per annos complures, hunc servavit morem ut cinerem thuribuli quod usui erat in templo misceret cum pane quo vescebatur. Cum gravi quondam morbo laboraret eique unus fratrum obsonium apparasset, ex eo nec parum quid gustare voluit, ac fratri instanter roganti et cibi utilitatem praedicanti : « Crede mihi, ait, pater ac frater mi, equidem opto ut hac infirmitate annos triginta langueam. » Postquam senescentis virtus excelluit enituitque, convenerunt seniores et unanimi consilio statuerunt eum sacerdotem ordinare ; verum, ab iis aufugiens, in agri cuiusdam satis se abscondit, et illi, cum latitantem multum circumeundo requisivissent neque, licet iuxta eum agrum transeuntes, invenissent, in extremo agro consederunt requiescendi gratia. Iis autem erat asina, quae evasit et in agrum medium irrumpens, prope patrem constitit. *Quo progressi ut eam apprehenderent, Isaacum reppererunt et ligare voluerunt, ne *iterum* aufugeret. Qui dixit eis : « Non iam fugiam, quia novi haec Deo volente fieri. » Quare, cum iis abiens, ordinatus sacerdos, studiosiorem se praebuit et oboediendi senioribus et virtutes imprimisque oboedientiam iuvenibus inculcandi. Tempore mortis suae imminente, deserti iuvenibus rogantibus ut ipsis praescriberet quid post eius obitum agerent respondit : « Quae a me fieri vidistis, eadem facite, si velitis in deserto perseverare ; nos enim ex patrum nostrorum morte maerorem concepimus, verum, agendo quemadmodum ipsi egerant, post eos stabiles permansimus. » Dein in pace quievit et coronam vitae consecutus est.

* p. 129.

Preces eius nos custodiant. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Isidorus ('Īsīdārūs). Is, patria antiochenus, patrem habuit virum ex regni proceribus, multis militum copiis praefectum, Bandīlāwum nomine, et matrem Sophiam, sororem vero quae Euphemia vocabatur. Quo tempore Diocletianus a fide defecit, sanctus Bandīlāwus et filius Isidorus, rebus suis omnibus relictis, ad montem quendam clam egressi, commorati sunt apud virum sanctum cui nomen Abū Samuel.

Imperator vero, certior factus de iis quae egerant, eos misso nuntio arcessivit coepitque blande alloqui ; tum Bandīlāwum verbis minarum plenis compellavit, quorum cum nulla haberetur ratio, iussit caput eius abscidi, quo facto ille coronam vitae adeptus est. Ad sanctum Isidorum quod attinet, in eo cruciando aliquandiu perseveratum est, isque tunc natus erat annos duodecim. Aderant autem mater eius et soror, ipsum ad patientiam hortantes, confortantes consolantesque in tormentis ; quae dein imperatorem atque eius idola conviciis impetentes decollari iussae sunt. Sanctus vero plurimis cruciatibus per dies complures affectus est, Deo haud pauca miracula manibus eius patrante, ita ut multi crederent et martyrium obirent, iis moti quae ab ipso edita viderant. At imperator, timens ne propter sanctum milites ceterique ad fidem pertraherentur, praecepit ut capite plecteretur ; atque is coronam vitae perpetuae consecutus est.

*Mensis Bašons dies vigesimus.

* p. 130.

Hodie requie donatus est sanctus Anbā Amānī[1], qui erat ex monte Tunah. Hic sanctus adhuc puer visionem habuit, qua eum sanctus Antonius ad vitam monasticam invitabat. Quare, expergefactus, confestim surrexit et sanctum Isidorum adiit, a quo *sacro* schemate indutus et apud quem commoratus est. Dein, ad montem Tunah profectus, sibi in eo loco speluncam exstruxit et se multis religionis operibus diu noctuque addixit. Unde Satanas ei invidens eum sub specie monachae convenit ; sed cum, ostio cellae[2] pulsato et pulsanti aperto, Amānī, Satanae praesentiam nec suspicans nec timens, advenientem ad orandum secum invitavit, non assensit ille, verum, malitiam suam prodens, specie mutata, flammae ardenti similis apparuit et dixit sancto : « Equidem acre tibi inferam bellum. » Tum abiens cor puellae invasit et huic persuasit ut sanctum ad peccatum secum pertraheret. Quae idcirco, pretiosissimis vestibus ornata, ad eum sub vesperum se contulit, coepitque cellae ostium pulsare, dicens : « Ego mulier peregrina, quam a via deerrantem ingruens nox oppressit ; noli igitur me sub dio relinquere, ne me fera devoret fiasque tu necis

[1] G : 'Amūnī. — [2] B C G : speluncae.

meae reus. » Itaque, ostio illi aperto, artium daemonis, qui eam miserat, probe conscius, statim coepit eam ex libris divinis adhortari, eique timorem incutere tormentorum gehennae, quae peccatores manent, ac gaudium praedicare atque laetitiam iustis praeparatam. Tunc, Domino lumen menti affundente ut ea quae dicebantur intellegeret, mulier vestimenta illa a se abiecit et, ad pedes *sancti* provoluta flensque, eum rogavit ut se susciperet atque animam suam salvam faceret. Quare eam, crinibus detonsis, veste induit ex pilis contexta, et illa deinceps plurimas exseruit virtutes, magnorum sanctorum virtutibus praestantiores, siquidem de die et nocte mille et ducentas fundebat orationes, ieiuniaque binorum et ternorum dierum, imo hebdomadae, tolerabat. Diabolus autem, spe deiectus ea in re, *alio se vertit; habitu nimirum monachi assumpto, singula coepit circuire monasteria et haec flens ubique enarrare: « Anbā Amānī, monachus eremita, feminam duxit uxorem, quae apud eum in spelunca commoratur, et ita monachos et *sacrum* schema ignominia affecit. » Quae postquam audiit Anbā Apollo, ille *nempe* qui angelis similis erat, adscitis sibi Anbā Yūsāb et Anbā Tūhī, montem Tunah petiit atque ad sanctum Anbā Amānī se contulit, et cum speluncae ianuam pulsantibus obviam venisset mulier illa, quam sanctus es-Sādiğ appellaverat, rem pro explorata habuerunt. Ingressi *tamen* oraverant et consederant, de magnis Dei virtutibus atque perfectionibus colloquentes, cum Anbā Amānī adstantibus dixit: « Venite, invisamus es-Sādiğ, quae nobis panem coquit, ut parum quid comedamus. » Itaque illuc pergentes, eam intra furnum accensum ardentemque invenerunt, duabus manibus protensis inibi orantem, et rem vehementer admirati sunt. Dein panem sibi appositum comederunt, et eodem tempore manifestavit angelus Anbā Apolloni [1] modum quo es-Sādiğ et Anbā Amānī se alter ad alterum habebant, subiungens illos ea die non aliam ob causam *huc* missos esse, nisi ut morti es-Sādig interessent. Haec igitur, tertia hora noctis vehementi febre correpta, Dominum genibus flexis adoravit et *ita* efflavit animam. Mortuam rite sepelierunt humaruntque; tum coepit Anbā Amānī virtutes eius exponere, eam *scilicet* secum duodeviginti annos commoratam, nunquam oculos sursum sustulisse ut ipsius vultum adspi-

[1] Codd.: 'Abū vel 'Abolū.

ceret, ipso *vicissim* illius faciem non vidente, eamque pane et sale vesci solitam esse. Paulo post obiit Anbā Amānī.

Universorum preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

Mensis Bašons dies vigesimus primus.

Hodie commemoratio Dominae celsissimae, purae et intemeratae virginis Mariae, Genitricis Salvatoris [1] mundi, matris misericordiae, advocatae omnium christianorum, per quam homo a lapsu gehenna digno [2] salvus factus est. Cuius intercessio nos omnes custodiat. Amen.

*Hoc eodem die requie donatus est sanctus Marṭiānūs [3], qui et Mardārī *nuncupatur* [4]. Hic sanctus statum monasticum a teneris apud senem sanctum amplexus est; dein ad montem se contulit qui Caesareae Palaestinae adiacet et mons es-Safīnah vocatur, *ubi* multis religionis operibus addictus habitavit. Et postquam annos sexaginta sex ibidem commoratus est, fama eius late sparsa, de eo audivit mulier quae erat peccatrix famosa, et cuidam ex iis qui virtutes eius praedicabant dixit: « Quantis laudibus illum extollitis, qui, in deserto commorans, ne unius quidem feminae vultum intuetur! Quod si me videret, austeram eius virtutem corrumperem et virginitatem pessumdarem. » Cui alii propter viri sanctitatem sibi perspectam contradixerunt. Quare sponsione eos *illa* provocavit, ituram se esse et eum in peccatum secum pertracturam. Confestim igitur surrexit, secum assumens vestes, ornamenta et aromata multa; sed, cum esset ipsa formosissima, ad cellam monachi perrexit, pannis detritis cooperta, facie velata, vestiumque et ornatus supellectilem in sarcina colligatam gestans, et sese in loco cellae vicino abscondit quoad advesperasceret. Tunc, ianua pulsata, petiit ut apud illum usque ad mane hospitaretur; et anceps haesit sanctus ea de re, utrum feminam foris relinqueret, a feris devorandam, an eam introduceret, quamvis acre propter eam certamen reformidaret. Tandem ianuam ei aperuit et in alium secessit locum. Illa vero vestibus *pretiosis* se induit ornavitque, et corpus inunxit, tum in eum irruit, rogans ut secum concumberet, coepit-

[1] Ad litt. salutis. — [2] Vel: a lapsu in gehennam. — [3] D: Markyānūs. — [4] B C E G alterius appellationis mentionem omittunt.

que, eius concupiscentia ardens, dicere : « Nemo est qui nos videat. » Qua in re ipse perspiciens inimici laqueum, respondit ei : « Exspecta, quaeso, dum viam inspiciam, quoniam homines ad me venire solent. » Egressus igitur, ignem accendit et coepit se ipse in illum iterum atque iterum impellere, dicens : « Eia ! 5 si gehennam sustinere possis, peccatum admitte » ; et *sic* pedes atque digiti adusti sunt. Cum autem absens diu moraretur, *p. 133. *exivit *mulier* rei investigandae causa, et illum intuita ita se habentem ut se in ignem ipse protruderet, timore attonita est atque perturbata ; dein, ad sensum sui rediens, vestes exuit et, 10 ad pedes sancti provoluta, ab eo petiit ut salutem animae suae afferret. Qui aggressus est eam hortari atque ei ob oculos ponere quam caducus sit mundus et quam fluxae eius cupidines, dixitque ei : « Non decet nos in eodem versari loco. » Itaque ad quoddam virginum monasterium perductam praepositae commendavit ; et 15 illa, quamdiu superstes fuit, Domino servivit altumque *perfectionis* gradum assecuta est : gratia curationum donata, aegrotos multos sanavit. At vero Anbā Marṭiānūs (Marṭiānā), timens ne inimicus mulierem aliam sibi obtruderet, ad insulam in medio mari sitam traiecit, ibique habitavit ; et praesto ei erat vir qui 20 cibum afferret et res labore manuum eius partas venderet. Postquam ibi aliquandiu mansit, accidit ut, nave naufragium passa, mulier quaedam tabula sustentante salva evaderet et a fluctibus in illam insulam iniceretur. Quam videns ille anceps et dubius haesit utrum cum ea remaneret ; tum, veste monastica eidem 25 imposita et victu apparato, eam monuit non posse se cum ea commorari, insulam ei reliquit, et, in mare se proiciens, a delphino ad terram devectus est. Ab eo tempore non uni adhaesit loco, sed montes, deserta urbesque circuivit quoad urbes centum sexaginta quinque lustravit, in singulis nonnisi diem unum habitans. 30 Postremo se ipse *cella* inclusit, et ubi praesensit se e mundo iamiam migraturum, episcopo in ecclesiam arcessito enarravit ab initio usque ad finem quaecumque expertus esset ; atque casus eius et imprimis corporis adustionem mirati sunt. Episcopus autem antea angelum Domini viderat sibi apparentem ac dicen- 35 tem : « Descende, corpus sancti Marṭiani curaturus. » Cum igitur spiritum emisisset in manus Domini *sanctus*, eum sepelierunt atque humarunt. Ad mulierem in insula relictam quod spectat,

non destitit nauta ille[1] eam invisere quoad defuncta est ; et *tunc* ad eam veniens, mortuam repperit, corpusque nivis instar candidum in patriam detulit.

Omnium preces nos custodiant. Amen.

5 *Mensis Bašons dies vigesimus secundus. *p. 134.

Hodie requie donatus est sanctus apostolus Andronicus. Fuerat hic sanctus a Domino nostro Iesu Christo cooptatus in numerum septuaginta discipulorum quos ante passionem suam misit ad praedicandum regnum Dei ; et postquam Spiritum sanctum in 10 cenaculo accepit, regnum Dei cum *ceteris* discipulis annuntiavit et in locis multis evangelii praeconem egit. Dein apostoli eum manibus impositis episcopum urbis Yūnyās[2] consecrarunt, in qua praedicans plurimos qui in tenebris infidelitatis iacuerant ad fidem adduxit. Tum Iuliam (Yūlyās)[3] secum assumpsit, et regiones 15 multas perlustrarunt, praedicantes, baptizantes et convertentes populos innumeros, inter quos plurima patrarunt miracula, daemones eiecerunt ex hominibus, morbos gravesque infirmitates sanarunt, et dirutis idolorum domibus ac delubris templa suffecerunt atque ecclesias Christo Domino dicatas. Cum autem, 20 eorum cursu consummato, Domino visum est eosdem ex hoc mundo aerumnoso in mundum gaudii et laetitiae plenum transferre, aegrotavit apostolus Andronicus et die huic respondente requievit. Quem ubi sepelivit et, exsequias funeris prosecutus, in spelunca deposuit, precesque ad Dominum fudit apostolus Iulias, 25 ipse postero die defunctus est.

Eorum preces nos custodiant. Amen.

Mensis Bašons dies vigesimus tertius.

Hodie requie donatus est sanctus apostolus Iulias (Yūlyās)[1]. Hic vir insignis, in Beīt Gibrāyīl natus, ex filiis Israel et tribu Iuda 30 oriundus, a Domino in numerum septuaginta *discipulorum* coop-

[1] Idem scilicet, ut videtur, qui cibum Martiano antea attulerat. — [2] B : Banūnyās ; C : Banūtyās ; G : Nūnyās. — [3] Qui apud Paulum, *Rom.*, XVI, 7, Iunias vocatur.

tatus, accepto Spiritu sancto Paracleto, *evangelium* cum discipulis praedicavit et cum iis etiam cruciatibus multis affectus est *et eiectus. Postea apostoli eum manibus impositis episcopum consecrarunt miseruntque ad annuntiandum regnum Dei, et in multis urbibus praedicavit. Dein comitem se adiunxit apostolo Andronico, quocum praedicatoris munere functus est, ut pridie commemoratum. Postquam autem apostolum Andronicum defunctum sepelivit hic sanctus atque humavit, Dominum precatus ne ab eo seiungeretur, postridie obiit. Ambos istos apostolos memoravit Paulus apostolus in epistula ad Romanos, ubi, circa finem [1] scribit : « Salutate Andronicum et Iuliam. » Huius autem mater in urbe Alexandria *degebat.*

Omnium preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Iulianus [2] cum matre, in urbe Alexandria. Omnium preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

MENSIS BAŠONS DIES VIGESIMUS QUARTUS.

Hodierno die benedicto, Christus Dominus noster, puerulus adhuc, bimulus scilicet, ad terram Aegypti venit, ut in sacro Evangelio narratur, angelum nempe Domini Iosepho in somnis apparuisse et dixisse : « Accipe puerum et matrem eius, et fuge in regionem Aegypti. [3] » *Quod* duas ob causas *factum* : primum quidem, ne, si incidisset *puer* in manus Herodis neque ab hoc necari potuisset, putaretur corpus eius phantasma esse atque speciem inanem ; dein vero ne carerent Aegyptii ea gratia quam inter illos transiens allaturus erat, utque, Aegypti idolis confractis, haec prophetia adimpleretur : « Ecce Dominus adscendet super nubem celerem, et ingredietur Aegyptum, et concident simulacra Aegypti a facie eius. [4] » Dominus igitur fugiendo prudenti consilio usus est, non ex timore fugit. Prima autem civitas ad quam devenerint *fugientes*, *Iosephus nimirum, Virgo Maria, Salome et Dominus Iesus Christus, pagus fuit cui nomen Basṭah et *cuius*

[1] *Rom.*, XVI, 7. — [2] Suspicari licet, a Iulia, seu, melius, Iunia, de quo supra, Iulianum hunc revera alium non esse. Unde in cod. D, quo tamen utraque relatio continetur, et alter Yūlyās vocatur. — [3] MATTH., II, 13. — [4] Is., XIX, 1.

incolae illos non receperunt ; quare *viatores* ex eo loco fontem aquae eduxerunt, quae facta est omnibus *aegrotis*, praeter urbis istius cives, remedium. Inde ad urbem Samannūd venerunt et, *Nilo* flumine traiecto, occidentem versus perrexerunt, ac Christus Dominus talum suum lapidi impressit, ita indicans locum ubi constiterit, qui locus cognominatus est Bīḥā Īsūs, id est, Iesu talus. Inde ad flumen occidentale progressi, montem Nitri (en-Naṭrūn) procul adspexerunt ; cui benedixit diva Virgo, ministerii angelici in eo quondam exercendi praescia. Dein, el-Ešmūeīn asseculi, ibidem aliquandiu deversati sunt apud virum cui nomen Qalūn [1]. Erant autem in eodem loco arbores lebaḫ [2], quae Dominum adoraverunt et *ideo* incurvatae usque nunc permanserunt. Iis transactis diebus quos in Aegypto transigere visum erat et Herode mortuo, angelus Domini Iosepho in somnis apparuit dixitque : « Surgens accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel. [3] » Porro, ab urbe el-Ešmūeīn revertentes, petierunt el-Maḥraqah ; tum, Miṣrum devenientes, in eam deverterunt speluncam quae hodie Miṣri intra ecclesiam Abū Sergii est. Dein, Miṣro profecti, per el-Maṭariah iter fecerunt, ubi, cum lavissent, ex illa hora fons eiusdem loci sanctus ac benedictus evasit, indeque effluit balsami oleum, quo et baptismus confertur, et ecclesiae, altaria atque vasa consecrantur, et morbis multis medicamenta ac remedia apparantur, ex quo etiam aliquid ad imperatores defertur, qui id sibi honori ducunt. Ex eo loco ad el-Maḥmah se contulerunt *viatores*, et reditu *Christi* adimpletum est hoc Oseae prophetae vaticinium : « Ex Aegypto vocavi filium meum. [4] » Quare nos oportet hodierno die spiritale festum agere ac psallere, dictum prophetae usurpando : « Fecit Dominus miracula in Aegypto et prodigia magna in terra Taneos *(Ṣāġān) [5] », itemque hoc alterum : « Miracula fecit in te, Aegypte. [6] » Itaque hoc est proprium Aegyptiorum festum [7].

Sancto nomini eius gloria in aeternum. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est Habacuc propheta, unus

[1] B : Falūn ; C : Falūl ; G : Fanūn. — [2] De hoc nomine cf. tom. XVIII, pag. 21, 242, 336, cum notulis subiunctis. — [3] MATTH., II, 20. — [4] Os., XI, 1. — [5] C : Ṣanāʿān. Cf. *Ps.*, LXXVIII, 43. — [6] Cf. *Ps.* CXXXIV, 9. — [7] Ita ex G, cum lectio cod. A alicui interpretationi congruae vix pervia videatur.

ex duodecim prophetis minoribus. Huic die quadam, cum lenticulas coxisset quas ad messores cum pane afferret, apparuit angelus Domini et dixit : « Cibum istum defer Babylonem, ad Danielem prophetam, lacu leonum inclusum.[1] » Qui respondit : « Babylonem non vidi unquam neque lacum novi.[2] » Tunc eum cibos secum servantem angelus antiis apprehendit et Babylonem in lacum *leonum*, quamvis clausum, asportavit ; atque, alimentis prophetae suppeditatis, illum angelus in terram Iuda rettulit. Senuit autem atque aetatem admodum provectam assecutus est ; et quo tempore reversi sunt *Iudaei* a captivitate et templum aedificarunt, Habacuc Hierosolymam ingredienti occurrerunt magnopere gestientes, altaribusque exornatis, convenerunt ut prophetiam eius audirent. Qui, Spiritu sancto afflante aperiens os suum, dixit : « O Domine, audivi vocem tuam, et timui ; iudicia tua meditatus sum, et obstupui.[3] » In prophetia sua memoravit et Christi incarnationem et eius nativitatem in Bethlehem, dixitque : « Venit Dominus a Bāmān[4] et sanctus Domini e monte Fārān.[5] » Dein vaticinium suum ad finem usque recitavit ; quod scripto exceperunt et *ceterorum* prophetarum vaticiniis adiunxerunt. Eum Hierosolymae commorantem adiit mulier israelitica, flens narransque sibi duos fuisse filios, quos ad idola colenda adactos et recusantes occiderant et in plateam proiecerant ; et, cum illa egressus ad locum in quo iacebant *mortui*, Deum oravit ut vitam iis restitueret, ac Deus, ipsius oratione exaudita, ambos adulescentulos suscitavit. Tempore mortis suae imminente, propinquos convocatos admonuit sese ad Dominum commigrare ; tum aliquandiu haesit attente suspiciens, et ecce brachium ingens, brachio hominis simile, aperta superiore cubiculi parte, ab alto demissum et ad os *moribundi* protensum, spiritum eius accepit. Quo autem tempore regnavit Anastasius, imperator christianus, is, cum vitam *prophetae* legisset, ei in Qarasṭā[6], in territorio el-Boḥairah, aedificavit ecclesiam, quae die vigesimo quarto mensis bošons consecrata fuit.

Preces eius nos custodiant.

[1] Cf. DAN., XIV, 33. — [2] *Ibid.*, 34. — [3] HAB., III, 1. — [4] Ex archetypo hebr. legendum erat : a Theman, scil. ab austro. — [5] HAB., III, 3. — [6] B C : Qaraṭsā.

*MENSIS BAŠONS [1] DIES VIGESIMUS QUINTUS. * p. 138.

Hodie martyrium passus est sanctus Coluthus (Kūlūtoš[2]) medicus, ex Antinoe oriundus. Patrem habuit hic sanctus timoris Dei plenum, neque dissimilem matrem. Pater, qui erat Antinoes praefectus, cum prole careret, Christum Dominum rogare non destitit quoad hoc sancto donaretur, eumque *rite* educavit, in scribendi arte erudivit atque curavit ut multos ex Ecclesiae libris memoriter addisceret. Fuit autem puer a teneris castus, operibus abnegationis et pietatis addictus, precesque fundebat plurimas. Haec erat ipsius quoad orationem regula, ut centies de nocte totiesque de die oraret. Postquam aliquantulum adulevit, nuptias a parentibus propositas detrectavit. Porro patri erat filia post sanctum nata, quam in matrimonium collocavit Arianae, qui praefecturam post illum obtinuit. Imperator namque, ab ipso senescente exoratus, eum onere praefecturae levavit, et haec dein ad Arianam, generum eius, transmissa est. Parentibus autem mortuis, aedificavit *Coluthus* deversorium, quod in usum peregrinorum dicavit ; tum medicinae addiscendae operam dedit et, medicus factus, aegris gratuito medebatur. Quo tempore Diocletianus apostatavit, ei, praefecturae suae causa, consensit Ariana et coepit martyres tormentis afficere. Tunc sanctus, martyrii cupidine flagrans, in coetum publicum prodiit atque imperatorem, itemque Arianam sibi affinem et eorum idola conviciis prosecutus est. Ariana vero, qui nihil mali ei propter eius sororem inferre poterat, illum Behnesam misit, ubi, post trium annorum captivitatem, sororis mandato liberatus est. Postea Arianae alius successit princeps, qui, de iis quae ad sanctum attinebant certior factus, eum misso nuntio arcessivit eique minatus est ; et, cum is nullam minarum rationem haberet, ira excandescens, iussit eum torqueri, ac *revera* variis tormentorum generibus cruciatus est. Sed eundem angelus Domini cotidie conveniebat ac solabatur, Deusque per manus eius magna patravit miracula, et cum a sententia nihil moveretur, princeps, de eo *diutius* torquendo dubius haerens, scripto decre-

[1] Correxi ; A : kībak. — [2] De hoc nomine mira codd. dissensio : C : Kūlyūs ; D : Kulūtomis ; E : Kūlūtos ; F : Kūlos ; G : Kulutyūs ; H : Kūlūnos.

vit caput eius ampulandum. A familiaribus sepultus fuit atque in loco decenti depositus, et ex corpore eius prodierunt miracula et prodigia.

Preces eius nos custodiant. Amen.

* p. 139.

*Mensis Bašons dies vigesimus sextus.

Hodie apostolus Thomas, qui dicitur Didymus, ex tribu Iuda et ex Hierosolymae incolis oriundus, natus Diūnāsio patre et matre cui nomen Dawās, martyrium passus est. Antea *evangelium* praedicaverat in urbibus Indiae[1] et servus fuerat Lucii (Lūkyūs)[2], qui amicus erat regis. Ipsum autem interrogavit herus quamnam exerceret artem. Cui Thomas : « Ego architectus, arces aedificans ac templa; item faber materiarius, aratra, sedes et alia *huiusmodi* ascia conficiens; tum *etiam* medicus, ad medendum infirmitatibus molestissimis. » Porro hero erat uxor, quam coepit *Thomas* legem Dei edocere, eam adhortans ad puritatem eique mysteria Filii Dei exponens, ita ut verbis eius cum compluribus ex familia sua fidem adhiberet. Herus vero, ab aedibus regiis domum reversus, ubi ea vidit quae discipulus fecerat, hunc sic compellavit : « Ubinam illae artes quas a te dixeras exerceri ? » Respondit ille : « O domine, nequaquam mentitus sum : arces ac templa a me constructa animae sunt quae domicilium Regi gloriae evaserunt ; aratra a me confecta sunt sancta evangelia, quibus evelluntur cardui et spinae peccati propriae ; medicina atque medicamenta sunt sacra mysteria corporis et sanguinis Christi, quibus a mortifero peccati veneno sanamur. » Postquam haec edisserentem audivit *herus*, eum iussit ad quattuor palos extensum alligari, tum corpus, pelle detracta, sale, aceto et calce confricari ; quae et facta sunt et ab illo patienter tolerata. Hera autem, dum eum e fenestra domus suae intuetur, tortoribus pellem ei detrahentibus, subito corruit et spiritum exhalavit. De ea re certior factus, Lūkyās maximum de uxoris obitu dolorem expertus est ; tum vero sanctum Thomam, cuius vulnera a Domino in cicatricem

[1] B ins. : atque Qanṭuriae (Qanṭuryah), et quidem postquam in Indiam intravit, servus factus est... — [2] G : Lūkyās ; quam lectionem deinceps exhibebit ipse cod. A.

obducta fuerant et corpus sanatum, sic allocutus est : « En uxor mea propter te mortua est ; quam si suscitaveris, in Deum tuum credam. » Itaque ad illam accedens apostolus Thomas, pelle ei imposita, dixit : « O Arsābūnā[1], in nomine Christi Domini surge. » *Et *mulier* oculos confestim aperuit, surgensque discipulum adoravit. * p. 140. Quod ubi vidit, Lūkyās princeps in Christum credidit, universis urbis incolis eius exemplum imitantibus. Eos baptizavit Thomas in nomine sanctae Trinitatis, episcopum iis consecravit atque sacerdotes, et ecclesiam aedificavit, ipseque apud eos mensem commoratus est, eosdem in fide confirmans et aegris quibuscumque pelle sua imposita sanitatem illico restituens. Deinde, ab illis digressus, ad urbem Qanṭūryah venit, in quam ingrediens senem vidit flentem, qui ei enarravit, idcirco se flere quod sex filios suos, aere alieno gravatos et calumnia a delatore impetitos rex interfecerit ; et haec subiunxit : « Utinam unus ex iis remansisset, qui mihi tempore adverso auxiliaretur ! » Quare pellem suam sanctus ei commodavit, cuius impositione filios suos ille suscitavit ; et miraculum hoc per totam urbem percrebruit. Rem tamen aegre tulerunt ; sed, cum vellent sanctum lapidare, eorum manus lapidum instar deriguerunt ; unde omnes discipuli opera crediderunt. Posthac *sanctus*, corpore divinitus per pellem succrescentem in integritatem restituto, ad urbem Barkyās et in Macedoniam profectus est, ubi nomen Christi annuntiavit, rexque et magistratus, de ea re certiores facti, illum carceri mandarunt. Verum regis uxorem et multos alios ad se secreto venientes edocebat viam Dei, plurimique ex urbis civibus verbis eius crediderunt. Itaque rex, uxoris ergo iratus, quia sanctum propter multitudinem occidere ipse non poterat, iussit foras eductum lanceis a quattuor militibus confodi ; qui eum confoderunt, regis filio adstante atque inspectante quoad ille efflaret animam. Incolae autem urbis, ubi rem resciverant, egressi erant ut Thomam e manibus satellitum eriperent; sed, cum iam mortuum repperissent, corpus eius ablatum sepelierunt atque in uno ex sepulcris regis deposuerunt. Filium vero regis Satanas invasit atque exagitare coepit ; quem ad apostoli corpus adduxerunt, ut aliquid exinde desumptum *ei imponerent ; at sepulcrum patefactum reppererunt * p. 141.

[1] G : O Asābūnā.

atque vacuum, siquidem corpus Dominus abstulerat, et ideo aliquantulum pulveris sepulcri cum fide collegerunt et puero imposuerunt, isque statim sanatus est. Sanctus compluribus ex incolis urbis apparuit, quibus testatus est vivum se esse et a Christo receptum, addita exhortatione ut in sincera fide christiana perseverarent.

Intercessio huius apostoli Thomae nobis adsit nosque ab universis inimicis nostris tueatur. Amen.

Mensis Bašons dies vigesimus septimus.

Hodie requie donatus est pater sanctus, patriarcha Anbā Iohannes. Hic sanctus, patriarcha alexandrinus, christianus fuit et fide et moribus. Statum monasticum a teneris amplexus fuerat et se addixerat omni certaminis *spiritalis* generi. Dein se ipse *cella* inclusit, et, fama scientiae eius ac virtutum percrebrescente, electus patriarcha alexandrinus, temporibus suis multas conscripsit commentationes; huiusque patris aetate exaltavit Deus cornu Ecclesiae, siquidem imperator tunc erat Anastasius fidelis ac pius, et pater Anbā Severus sedem patriarchalem Antiochiae obtinebat. Ad hunc patrem Iohannem dedit pater Severus de unitate fidei epistulam synodicam, qua illi edisserebat Christum Deum nostrum post unionem naturam esse unam propriam absque separatione; quod consonum erat fidei patris Cyrilli et patris Dioscori. Epistulam susceperunt Iohannes et episcopi eius, Deoque gratias egerunt ac dederunt laudem de membris *Ecclesiae prius* dispersis, *nunc vero* ad loca sua reductis. Dein pater Anbā Iohannes rescriptum dedit verbis gratiae fidei plenis, quibus et affirmabatur unitas essentiae Dei ac trinitas proprietatum eius, itemque incarnatio Filii aeterni in natura humana atque amborum per unionem transitus in unum, non in duo, et respuebantur quicumque *Christum dividunt vel naturam eius commiscent, quicumque etiam docent, eum qui pro genere humano passus est, crucifixus ac mortuus, merum esse hominem, qui per passionem et mortem in naturam divinitatis ingressus sit; cum ea sit fides recta ut confiteamur Deum Verbum pro nobis passum esse in corpore quod ex nobis assumptum sibi univit; et *denique* haec est via regia, quam qui sequitur neque errat neque offendit. Perlectas

* p. 142.

autem huius patris litteras pater Severus libentissime accepit atque in dioecesi antiochena publicavit. Inter ambos *patriarchas* pax viguit atque concordia. Permansit autem hic pater gregem suum erudiens custodiensque per tempus duodecim annorum; dein in pace quievit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem vocatus est sanctus Lazarus, Marthae et Mariae frater, qui fuerat Cypri episcopus. Hic scilicet sanctus, postquam Dominus eum ex mortuis suscitavit et eadem hebdomada passus est, discipulis deinceps adhaesit [1]. Porro, gratia Paracleti accepta, illum discipuli manibus impositis consecrarunt episcopum, et gregem optimo regimine moderatus est, atque, vita ad quadraginta annos producta, in pace quievit.

Benedictio eius atque preces nobis in aeternum adsint. Amen.

Mensis Bašons dies vigesimus octavus.

Hodie contigit corporis patris sancti eximiique Epiphanii, episcopi cyprii, adventus in urbem Cypri. Mortuus nimirum est sanctus, ut in ipsius vita refertur [2], die mensis bašons decimo septimo, dum navi vehitur, antequam ad Cyprum appelleretur; quod de eo praedixerat *sanctus Iohannes Chrysostomus, his usus verbis: « Ad sedem tuam non pervenies. » Tum advecto ipsa navi ad Cyprum obviam venerunt sacerdotes universusque populus cum crucibus, evangeliis, cereis et thuribulis corpusque purum detulerunt alta voce orantes, psalmos decantantes, ipsum *defunctum* laudibus extollentes, donec illud intra ecclesiam maiorem deponerent. Cum autem in animo haberent sacerdotes *sepulcrum* ei fodere in *illa* ecclesia maiore, quae catholicum est, iis obstiterunt duo diaconi perversi, qui a sancto propter mores pravos excommunicati fuerant. His igitur prohibentibus eos qui fodere volebant, remansit *corpus* dies quattuor in ecclesia iacens, nullo interim odore inde manante, sed *defuncto* dormientis speciem prae se ferente. Tunc surrexit diaconus quidam sanctus, qui, ad sacrum corpus accedens, *mortuum* sic allocutus est: « Equidem novi, o sancte Dei, magna te apud Deum gratia pollere ac posse

* p. 143.

[1] Ex F G', textu cod. A vix sensum quemquam praebente. — [2] Cf. supra. p. 122.

eos qui maligne et pervicaciter nobis adversantur repellere »; dein securim manu arripuit eaque terram percussit, et ecce duo diaconi perversi in facies, sensu destituti, prociderunt, atque in domos suas adsportati die tertio mortui sunt. Corpus vero sancti unguentis multis delibutum, linteis pretiosis involutum atque marmorea inclusum urna sacerdotes in ecclesia humarunt; et ex eo magna prodierunt miracula, qualia adhuc vivens ediderat.

Eius benedictio atque preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bašons dies vigesimus nonus.

Hodie ad requiem vocatus est pater Simeon [1], qui ex monte Antiochiae *prodiit*. Natus est hic sanctus, in urbe Antiochia, patre cui nomen Iohannes et matre quae Martha appellabatur. Qui ipsius causa res miras experti sunt, e quarum numero haec fuit: antequam conciperetur, matri eius Iohannes Baptista sese praesentem in somnis exhibuit, eique filium nasciturum praenuntians, revelavit quae de eo eventura essent. In lucem igitur editus et aetatem sex annorum iam assecutus *puer*, ad montem Antiochiae vicinum pergens, se instituti monastici iugo submisit et mortificationi atque devotioni addixit; et angeli ei in somnis saepius apparuerunt, eum disciplinam monasticam edocentes, sicut patrem Pachomium docuerant, *ea etiam edisserentes quibus vita religiosa vel corrumpatur vel confirmetur. Itaque incessit sanctus viis quae natura corporea sublimiores sunt, angelis ei plerumque cibum spiritalem afferentibus. Ipsius autem certamen huiusmodi fuit: in columnae basi sex annos erectus stetit; tum magnam adiit columnam supra quam annos octo permansit; dein ad montem se contulit, in quo annos viginti commoratus est, intra lapidum circulum a se confectum, ex hoc usque ad annos viginti exactos nunquam egressus; postea, in ingentis columnae summitatem ascendens, ibi per annos quinque et quadraginta constitit. Vitae eius anni omnes fuerunt octoginta quinque, ex quibus sex in domo patris et septuaginta novem in religione transegit. Prodigia vero eius quis enarrare posset? Vita namque illius multis inclaruit miraculis. Conscripsit hic sanctus commen-

* p. 144.

[1] D ins.: Stylites syrus.

tationes et disputationes utiles, quae in exhortando atque in virtutibus asceticis extollendis versantur, et complures librorum Ecclesiae partes explanavit. Postea in pace quievit.

Preces eius atque benedictiones nos ab hoste custodiant. Amen.

Mensis Bašons dies trigesimus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Michael, Alexandriae patriarcha. Fuit hic pater egregie doctus, quippe qui in libris Ecclesiae a teneris eruditus fuerat ac plerosque eorum memoriter didicerat. Cum animae propensionibus ad puritatem ac pietatem divinam inclinaretur, eoque adhuc puer tenderet ut Deo militaret, ad desertum egressus, in coenobio sancti Macarii (Maqāryūs) per biennium habitavit et ad ordinem sacerdotalem evectus est. Dein Singār [1] petiit, qui locus est in regione Aegypti situs, et se ibi cella inclusit annos plures quam viginti, graveque ibidem sustinuit certamen. Fama autem virtutum eius, pietatis ac scientiae percrebrescente, suffragio unanimi urbi Alexandriae praepositus est, et vitam degit in patriarchatu honestam atque abstinentia conspicuam, animum gerens a divitiis avulsum, *cum neque drachmam neque denarium tunc possideret, redituum vero qui ad se ex praediis sibi assignatis deferebantur partem exiguam victus causa absumeret, quidquid reliquum erat pauperibus miserisque sustentandis ac vectigalibus egenorum *solvendis* expenderet, multa etiam ecclesiarum vasa et libros innovaret atque instauraret. Nullo unquam die intermittebat aliquid plebi nunc ex Scriptura, nunc marte suo praelegere vel praedicare. Postquam cursum consummavit, coronam gloriae promeritus, in eum immisit Dominus morbum uno die et nocte una haud diuturniorem, quo tempore non iam sermocinatus est, et, morte imminente, laudes Christo dedit, se ipse gloriosae crucis signo armavit atque accinxit; dein spiritum emisit in manus Domini, cui sit gloria semper et in perpetuum. Patriarchae sedem annos novem et anni partem obtinuerat.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die requie donatus est apostolus Qarnos [2], unus ex

* p. 145.

[1] G: Sinhār. — [2] B C D E F: Fūros; G H: Qūros.

septuaginta. Is annos tres Christo Domino famulatus est.; post cuius ascensionem, famulatus est discipulis ; tum, gratia Paracleti repletus, famulum se Paulo apostolo addixit, huius epistulas in diversas regiones deferens. Plurimos ex gentilibus et ex Iudaeis erudivit ac baptizavit [1], et Orientis atque Occidentis regionibus 5 peragratis, multis calamitatibus atque molestiis obnoxius fuit. Dein in pace quievit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Explicit mensis benedictus bašons.

[1] Baptismi mentio in B C G.

*In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Dei unius, cui sit gloria. * p. 146.

Mensis benedictus bawūnah.

Eiusdem dies primus [1].

5 Hodie contigit consecratio ecclesiae sancti Leontii (Lāwuntyūs) [2] syri, et maximum ab eo editum est miraculum. Sancto namque martyrium passo in urbe Tripoli, die vigesimo secundo mensis abīb, quemadmodum ipsius Vita testatur, venit mulier christiana, unius ex praecipuis imperatoribus uxor, et corpus sancti, erogatis 10 eam in rem magnis pecuniis, abstulit, ac sepultum in veste deaurata, quae mariti sui erat, capsaque inclusum deposuit in cella domus suae ; tum lampadem ante illud suspendit eiusque imaginem depingendam curavit. Maritus autem eius, dux exercitus, iram in se concitaverat Diocletiani, qui eum carcere clausum 15 Antiochiae detinuit. At, uxore tam pie de corpore sancti martyris curam agente, noluit martyr et eques Christi se feminae beneficio superari, verum eam in hoc mundo remuneratus est, maritum liberando, eandem et in mundo futuro remuneraturus, ubi ei apud Christum patrocinabitur. *Itaque nocte illa, marito, duci * p. 147. 20 exercitus, in carcere apparens, magnam ei affudit lucem, qua carcer *totus* collustratus ; viditque ille equitem iuvenem fulgentemque, sibi in custodia adstantem atque ea veste deaurata indutum quam suam esse agnoscebat. Tum *eques* : « Noli, inquit, tristitia confici et maerore ; cras enim, libertate donatus, mensae 25 regiae cum rege accumbes et in domum tuam reverteris. » Et restitit vir obstupefactus multaque admirans : equitem scilicet sibi apparere, sibi affulgere lumen, illum in carcerem clausum ingressum esse, vestem *sibi exhiberi* deauratam, quam in arca sua ipse reliquerat. Dein sanctus, ab eo discedens, ad regem

[1] Exorditur D novum mensem brevi de « Carbo (Qarbos) apostolo » relatione, quae eadem prorsus est cum ea quam, alii nomini (Qarno, vel Furo, vel Qūro) inscriptam, omnes codd., ipso D non excepto, supra, ad diem 30um mensis bašons, exhibuerunt. — [2] C : Lawunyūs ; F : Lāntyūs ; G' : Aulāntyūs.

eadem ipsa nocte se contulit. Quem pede impulsum expergefecit et visione tremefactum ac perterritum sic allocutus est : « Ubi illuxerit, ducem exercitus — nomenque subiunxit — educ e carcere, honorem ei habe, eumque sine domum redire, ne in interitum incurras. » Ille contremiscens respondit : « Quaecumque iubes, domine mi, equidem faciam. » Et mane misso nuntio ducem eduxit, magnum ei habuit honorem, eum veste honorifica donavit et ad propriam mensam invitato enarravit equitem sibi apparuisse ; unde admiratio duci accrevit. Cum autem putaret rex magiam huic rei subesse, dixit ei dux : « Equidem nihil quidquam magiae calleo, nec novi quisnam tibi apparuerit. » Rex igitur, neque ausus ea memorare quae cordi suo gravia acciderant [1], illum honorifice habitum in patriam dimisit. Et ubi dux se itineri commisit, sanctus ei adstitit comes, nec destitit urbane comitari atque alloqui donec ad urbem Tripolim perventum est, quo tempore subito se subduxit. Domum autem ingressus vir, domesticis consalutatis, coepit omnibus enarrare quomodo sibi in carcere eques apparuerit, veste deaurata indutus, et liberationem promiserit ; quomodo mane *revera* liberatus fuerit et sibi in itinere idem iterum apparuerit, et quidem veste deaurata contectus. *Exinde* cum sanctum agnosceret uxor, maritum compellans : « Illum si videres, inquit, agnosceresne ? » Tum affirmantem introduxit in locum ubi erat imago sancti ; quam statim ac vidit, dixit : « Hic illi similis. » Dein arcam *mulier* aperuit, qua *corpus continebatur, idque intuitus, eiusdem facie dehinc retecta, certo scivit dux hunc eum ipsum esse qui sibi apparuerat seque liberaverat. Quare uxorem interroganti quisnam esset et quae ad eum attinerent vitam sancti illa enarravit. Gratias egit *uxori maritus* ob ea quae fecerat, Deo — qui exaltetur ! — et sanctis eius multas persolvit laudes, atque coniugem monuit ne unquam lampadem et tus coram sancto apponere desineret ; amboque in ea re perseverarunt quoad, Diocletiano mortuo, ecclesiam aedificarent, in quam corpus sancti translatum et quae die huic respondente consecrata est.

Preces eius nobis omnibus adsint. Amen.

Eodem die festum agimus Qosmān martyris, ex urbis Taḥā civibus, et sociorum eius.

[1] Vel, quod tamen minus verisimile : non ausus quidquam ei exprobare.

[1] Eodem die martyrium passus est sanctus Bifām, miles. Universorum intercessio nobis adsit. Amen [2].

Mensis bawūnah dies secundus.

Hodie, ostentatio corporis sancti Iohannis Baptistae et corporis quoque Elisaei prophetae, discipuli Eliae zelotae. Quod sic evenit. Iulianus Apostata praesumpsit hierosolymitanum Iudaeorum templum, antea a Vespasiano et filio eius Tito dirutum, aedificare ; idque ea perversa mente moliebatur ut inane efficeret falsumque quod a Domino in evangelio praenuntiatum fuerat, non remansurum hic lapidem super lapidem qui non destruatur. Itaque cum aedificium, semel et iterum et tertio instaurari coeptum [3], eversum fuisset, Iulianum admonuerunt Iudaei, hoc loco reposita esse corpora virorum inter christianos principum, quae nisi inde auferret, nihil aedificari posse. Tum iussit ille sanctorum corpora tolli ac comburi. At dum hoc sibi proponunt ut sublata sancti Iohannis Baptistae et Elisaei corpora concrement, venerunt fideles et eadem magnis pecuniis a militibus redempta abstulerunt, postquam se iureiurando militibus obstrinxerunt, illa non in eadem regione asservatum iri, ne scilicet, re audita, *rex venditores neci daret. Quod vero spectat ad fata Iuliani imperatoris, eo circumdato in bello ab hostibus, sanctus Mercuriūs, qui martyr obierat, in spiritu [4] missus est et eius guttur lancea transfixit. Qui, antequam animam exhalaret, acceptum sanguinis sui pugillum in altum proiecit, dicens : « O Iesu, spiritum recipe quem mihi dederas » ; et ita infaustam obiit mortem. Sacra autem corpora ad urbem Alexandriam allata sunt, ad sanctum Athanasium, isque ea et laetus accepit et occultavit quoad aedem iis exstrueret. Porro die quadam, dum in horto parentum suorum versatur, adstante sibi Theophilo, qui ipsi erat ab epistulis, huic dixit : « Si tempus concesserit mihi Dominus, hoc ipso loco ecclesiam aedificabo nominibus sancti Iohannis Baptistae et Elisaei prophetae dicatam, in quam eorum transferam corpora. » Quare sanctus Theophilus,

[1] Haec memoria in 2 tantum codd. A et G. — [2] Hic inserunt codd. B E F : « Eodem die martyrium subiit sanctus Zukām (F : Rukām). Universorum intercessio etc. » — [3] Ex cod. B, qui شرع pro شرح merito legit. — [4] Vel : a Spiritu.

postquam *patriarcha* promotus est, recordatus verba quae protulerat Athanasius, ecclesiam aedificavit; tum, stipante sacerdotum et plebis multitudine, ad locum venit ubi duo corpora iacebant, eaque magno cum honore transtulerunt. Et dum eadem deferentes prope domum quandam transeunt, mulier ex Sabaeorum secta, quae quatriduum iam partus doloribus cruciabatur, audito tumultu, per fenestellam prospexit, et, rei causam edocta, votum cum fide emisit, dicens: « O sancte Dei, o Iohannes, si ex his angustiis evasero incolumis, christianismum amplectar »; necdum verba haec absolverat cum puerum edidit vivum. Huic nomen imposuit Iohannis, et ipsa cum omnibus domesticis suis baptizata est. Corporibus vero in ecclesia depositis, prodigia ex iis atque miracula prodierunt. Ita sanctus Theophilus atque *alii* sancti complures viderunt duos sanctos Iohannem et Elisaeum in ecclesia cum patriarcha eandem consecrante circumeuntes; et Iohannes quidem adspectum praeferebat viri pilosi, cui barba ad pectus promissa, Elisaei autem statura magna et vultus non ita pilosus. Postea, cum sanctus Abū Macarius (Maqār) episcopus martyrio affectus fuisset, huius corpus cum illorum corporibus deposuerunt.

Quorum omnium preces atque benedictiones nobis adsint. Amen.

*p. 150.

*Mensis Bawūnah dies tertius.

Hodie ad requiem admissa est sancta bellatrix et monacha Martha. Haec sancta, in Aegypto parentibus ditissimis progenita, foedam iniit vitam, filiis procerum atque nobilium ad eam clam convenientibus; et postquam res innotuit, missa dissimulatione, palam ac data opera scortatui se dedidit. Die autem natali glorioso Domini nostri Iesu Christi, ecclesiam adiit; at volentem in eam ingredi prohibuit famulus ostiarius, dixitque ei: « Indigna es, utpote immunda, quae in sanctam Dei domum introeas. » Et cum illa instaret, ingressum expostulans, et obsisteret ostiarius, orto inter ambos iurgio, episcopus de re certior factus, surrexit et ad ianuam venit, ut videret quid agendum; et, puellam intuitus, pater episcopus eam sic compellavit: « Num ignoras domum Dei domum esse sanctam, te autem immundam esse atque idcirco in eam admitti non posse? » Quae flens respondit: « Non iam

peccabo, sed paenitentiam deinceps agam; immo, si me receperis, vitam monasticam paenitens amplectar. » Tum episcopus: « Non cognoscam, ait, veracem te esse ac sinceram, nisi divitias atque ornamenta tua huc attuleris, a nobis te praesente comburenda. Quare domum properans *mulier* omnia sua ornamenta et vestimenta pretiosissima attulit, inter manus episcopi deposuit et ad pedes eius proiecit; praecepitque episcopus ut igne coram ea absumerentur. Dein crines eius totondit et vestibus *pretiosis* exutae lanea imposuit vestimenta, eamque in virginum asceterium misit, ubi forte sustinuit certamen, haec secum perpetuo reputans: « Si mihi non licet in huiusmodi domos ex lateribus constructas ingredi, quomodo ad domum illam *futuram* me habebo? Et quis mihi illic aderit patronus? » Inter orandum vero dicebat: « O Domine, si contumeliam a famulo ecclesiae tuae ferre non potui, noli, quaeso, me ignominia coram angelis et sanctis tuis afficere. » Annos viginti quinque perseveravit haec sancta *in pugna et victoria *spiritali*, neque *toto* illo tempore extra ianuam monasterii egressa est quoad in pace quievit.

*p. 151.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Alādiūs episcopus. Idololatriam hic sanctus Nulicno (Nūlīknūs)[1] imperatori impio exprobravit, eique respondit Nulicnus imperator: « Si te iudice impie ago quia adorationem denego Crucifixo, vi tormentorum efficiam ut et tu illius cultum deseras. » Tum eum uni ex vicariis suis tradidit, praecipiens ut torqueretur tormentaque absque ulla misericordia ingeminarentur. Eundem igitur apprehensum ille omni tormentorum genere cruciavit, et in tormentis infligendis per annum integrum, ne uno quidem die omisso, perseveravit. Proiectus est *sanctus* in ignem, et inibi stetit Deum laudans et eius sanctitatem praedicans, adeo ut hoc miraculo homines multi ad fidem et ad martyrium subeundum adducerentur; dein ex igne exivit haud secus ac qui e medio horto egreditur. Cum autem vicarius de tormentis ei adhibendis anceps haereret neque sciret quid facto ei opus, eum decollari iussit. Qui *ita* spiritum in manus Christi commendavit.

Eius benedictio atque intercessio nobis adsit. Amen.

[1] De hoc nomine, quod e «Iulianus» corruptum videtur, mira codd. dissensio. B: Lūlīkyūs; C: Yūlīkyūs; G: Yūlīkūs.

MENSIS BAWŪNAH DIES QUARTUS.

Hodie martyrio affectus est martyr illustris Iohannes Heracleensis. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Sustius (Sūstī)[1], ex Balkīm *oriundus*. Hic sanctus a teneris ovium pastor fuit, et panem suum cotidie pastoribus adulescentulis distribuebat, ipseque diem totum ieiunabat, parentibus insciis. Aegrotos et captivos visitabat. Quadam autem nocte ei apparuit angelus Domini dixitque : « Surge, Susti, praefectum adi et Deum tuum confitere, ut martyrii coronam consequaris. » Itaque, ex somno expergefactus, rem cum matre communicavit. Quae id moleste tulit et flevit. *Verum* non passus est se ab ea detineri ; et, quia audierat de muliere sancta et pia, in Šabrā commorante, cui nomen Maria et quae peregrinos hospitio excipiebat *ac multa opera bona adimplebat, ad eam se contulit, atque ambo, de martyrio *obeundo* consentientes, praepositum nomine Urasanum (Ūrasānūs)[2] convenerunt, eoque in navi ad ripam Nili fluminis appulsa reperto, coram eo conclamarunt : « Nos christiani, fidem palam profitentes. » Quare iussit utrumque cruciari et, diversis tormentorum generibus utrique adhibitis, sancta Maria spiritum mediis in cruciatibus emisit, caelestemque adepta est coronam ; sanctus autem Sustius virtute Christi ipsi indita patientem se exhibuit, et, postquam tormentorum ei adhibendorum pertaesum est, cum *aliis* martyribus ad praefectum Antinoes missus est, eumque Antinoes praefectus acerbe cruciavit : praecepit enim ut, ossium pedum compagibus perforatis, per totam urbem traheretur, quod factum est corpore eius illaeso. Quare magus ex Aḫmīm arcessitus illuc est, qui poculum sancto incantavit et, veneno admixto, ab eo sorberi iussit ; illeque, signo crucis desuper delineato, id absorbuit nec quicquam mali inde expertus est. Itaque cum se impares sentirent tormentis ei infligendis, scripta *a praefecto* damnationis sententia, caput eius acie gladii abscisum est. Similiter autem magus, qui *et ipse* crediderat, martyrium subiit, et ambo coronam gloriae adepti sunt.

* p. 152.

[1] B et F : Senusī ; C : Senūsī ; D : Šenūšī. — [2] Vel : Awrasānūs ; B : Ūrasānūs vel Awrasānūs.

Utriusque preces et intercessio nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passi sunt sanctus Abāmūn[1] et sancta Sophia. Utriusque benedictio nos servet custodiatque ad extremum usque halitum. Amen.

MENSIS BAWŪNAH DIES QUINTUS.

Hodie requie donatus est sanctus Iacobus Orientalis, confessor. Hic sanctus sese servitio Dei in quodam monasterio Orientis annos complures addixerat Constantio (Qosṭanṭīnūs), Constantini (Qosṭanṭīn) filio, imperatore, itemque aetate Iuliani Apostatae et Litii (Lītyūs[2]), *principis* fidelis. Huic interfecto successit frater Valens, arianus, qui et Arianis permisit ut ecclesias suas aperirent, et orthodoxorum ecclesias clausit *quoad ipsius fidem amplecterentur. Itaque cum edictum ea de re per totum eius imperium promulgatum fuisset, hic sanctus, *Dei* gratia *motus*, efferbuit et, Constantinopolim profectus, imperatori obvius fuit exeunti ad bellum gerendum cum viro ambitioso, qui ex occidente[3] adversus eum insurrexerat ; illumque coram his compellavit verbis : « Aperi, quaeso, ecclesias fidelium, ut pro te preces fundant, tibique Deus contra hostes tuos veniat auxilio : quod si non feceris, Deus a te discedet et ab hostibus superaberis. » Imperator autem, ira percitus, iussit eum verberari et in carcerem detrudi. Cui sanctus : « Scio te ab hostibus tuis devictum iri et igne periturum esse. » Tum eum tradidit imperator viro cui fidebat *custodiendum* donec ipse, ut opinabatur, incolumis rediret. Dixitque ei sanctus : « Si reversus fueris incolumis, Dominus per os meum non est locutus. » Et sanctus quidem apprehensus est, verberibus affectus et in vincula coniectus ; imperator vero ad pugnandum cum hostibus profectus est ; sed, pugna inter duos exercitus commissa, illum deseruit Filius Dei, Creator et Deo Patri suo aequalis, quem ipse negabat, et, licet precibus Arianorum adiutus, fugatus est ab hostibus, qui eum fidei suae inanitatem expertum persecuti sunt donec in quendam pagum ingrederetur. Huc enim iidem insecuti, pagumque circumcingentes, ignem undique accenderunt, et, inco-

* p. 153.

[1] B : Abafun. — [2] B : Lyuṭus ; D : Ūliṭyus vel Awlṭyus (variae « Valentiniani » depravationes ?). — [3] Ita ex codd. A et G' ; C : ex Arabibus.

lis diffugientibus, remansit ille cum paucis familiaribus et fidei suae participibus, atque universi flammis absumpti sunt. Reliqua autem exercitus pars, ad urbem Constantinopolim catervatim aufugiens, fidelibus attulerunt laetum illum nuntium, quo sancti praedictio adimplebatur. Quare eum fideles convenientes e carcere magno 5 cum honore eduxerunt; et cum fideles infidelesque pro certo haberent atque explorato magnam ei inesse gratiam divinam, ad fidem redierunt Ariani complures, qui, ad pedes illius prostrati, confessi sunt Filium Dei esse Patri suo in essentia aequalem. * p. 154. *Posthac vixit hic pater sicut prius consueverat, mortificationi 10 addictus et certamini *spiritali*. Dein in pace obdormivit et perpetuam consecutus est felicitatem.

Eius benedictio precesque nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium in aqua [1] passus est sanctus Macarius (Maqāryūs). Cuius preces nobis adsint. Amen. 15

MENSIS BAWŪNAH DIES SEXTUS.

Hodie martyrium passus est sanctus et illustris Theodorus monachus, ex urbe Alexandria oriundus. Hic sanctus erat fidelis, pius, via incedens divina, et in quodam Alexandriae monasterio commorabatur. Factum est autem ut Constantius, Constantini 20 filius, ad urbem Alexandriam mitteret patriarcham Georgium nomine, arianum, et cum eo milites multos mitteret. Qui, sancto Athanasio expulso, Georgium istum impium Alexandriae patriarcham constituerunt, non *tamen* absque praemisso inter urbis incolas et exercitum certamine, quo cives alexandrini complures 25 occisi sunt. Georgius vero, illa sede potitus qua indignus erat, cum audisset ab hoc sancto Theodoro Arii asseclas impugnari ac pudore suffundi eorumque impietatem redargui, iussit illum apprehendi et torqueri. Praecepit etiam pseudopatriarcha ut sanctus, manibus ac pedibus vinctis, ad pedes equi indomiti in 30 hippodromum emittendi alligaretur. Quod cum factum esset, discerptis omnibus illius membris capiteque minutatim dirupto, animam exhalavit in manus Filii Dei, cuius causa martyrium

[1] Vox in C omissa; in G' legitur nomen loci (?) : Almah; in D nulla huius martyrii mentio.

obibat, et tres consecutus est coronas : primam, propter fidem in Christum, in qua quidem socios habet christianos omnes; alteram, propter vitae monasticae ac religiosae quam degerat certamen; tertiam, propter martyrium et membrorum verae fidei ergo 5 discissionem. Posthac fideles sacra membra collegerunt, tum in capsa honorifice reverenterque depositis hodierno die festo cultum adhibuerunt, et Theodoro inter orandum contexuerunt atque persolverunt laudes spiritales, quales in honorem sanctorum usurpantur, easque orationum *publicarum* libro inseruerunt.

10 Eius preces atque benedictiones nobis adsint. Amen. Et Domino nostro *sit* gloria semper et in perpetuum.

*MENSIS BAWŪNAH DIES SEPTIMUS. * p. 155.

Hodie martyrium passus est *vir* sanctus et illustris Abā Saḫīrūn [1], ex Qallīn oriundus. Is fuit in numero militum Ariani 15 ('Ariānā), praefecti Antinoes (Anṣanā); et ubi prodierunt Diocletiani decreta de cultu idolis adhibendo, exsiliit hic sanctus in mediam multitudinem, imperatori et diis eius convicians; neque eum, utpote militem, ausus fuit quisquam male habere, sed praefecti carcere incluserunt et ad Antinoes praefectum se forte in 20 urbem Siuṭ ('Assyūṭ) conferentem adduxerunt, adiunctis illi quinque militibus, quorum haec sunt nomina : Wālifyūs, Armāsyūs, Arkanās, Petrus et Qibrānyūn [2]. Isti cum Anbā Saḫīrūn consenserant ut sanguinem pro nomine Christi profunderent. Quare ad se adductos iussit praefectus cingulis privari et cruciatibus affici; 25 et alii quidem ex illis quinque crucifixi sunt, alii capite truncati; sanctus Abā Saḫīrūn vero, principis iussu, acerbis verberibus caesus est, tum pellis capitis ei usque ad collum detracta, dein ad caudam equi alligatum per totam urbem pertraxerunt. Postea in dolium plumbeum missus est, huiusque os obturatum; deni- 30 que *machina* constrictus est et compressus atque in balnei hypocaustum proiectus, angelo Domini ipsum in singulis huiusmodi tormentis conveniente, exhortante, salvum praestante atque

[1] De hoc nomine nec codd. omnes inter se nec singuli secum consentiunt. Alicubi : Abū Saḫīrūn; alibi : Ab Saḫīrūn; al. : Īsaḫīrūn; al. : Abū Sīḫīrūn. — [2] Nominum quinque primum in G' legitur : Wālifyūdus; tertium, in B : Arkyās; postremum, in B : Qīrāyiyūn, in C : Qīrānyūn, in G' : Qirānyūn.

incolumem, insuper autem *patienti* solamen ac robur subministrante. Praefectus autem, cum de illo cruciando dubius haereret atque anceps, magum arcessivit famosum, Alexandrum nomine, qui contendebat solem et lunam a se incantari seque in caelum volatu efferri atque orbes caelestes alloqui. Is praecepit ut balnei ianua clauderetur eique liquidum [1] inspergeretur; tum serpentem apprehendit, huiusque in duas partes verbis ad eum directis disrupti venenum et iecur accepit atque in aheno [2] concocta attulit *ad sanctum, cui in balneum introducto venenum illud concoctum edendum dedit, dein exclamavit : « O summe daemonum princeps, virtutem tuam in isto christiano ostende. » Sed sanctus, cum nihil mali expertus esset, mago, qui mirabundus adstabat, dixit : « Virtute Domini Iesu Christi fiat ut daemon, quem invocas patronum et qui tibi non est auxiliatus, te torqueat. » Et confestim *magus* a daemone invadente exagitari coeptus est donec, Christum Dominum confessus, praefecti iussu capite truncatus est. Sanctus vero a praefecto, qui maiore adhuc ira in ipsum excanduerat, plurimis affectus cruciatibus, virilibus etiam exsectis, Christo Domino gratias agebat, ac *postremo*, iussus acie gladii decollari, coronam perfectae beatitudinis consecutus est.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Bawūnah dies octavus.

Hodie commemoratio sanctae ecclesiae quae, divae Virgini Dei Genitrici sacra, nomen habet el-Maḥammah, in eo loco ubi fons aquae est profluentis ex stagno quod elicuit Mater Dei ex terra Aegypti rediens. Iosephus scilicet, cum angelus Domini ei in somnis apparuisset, dicens : « Surge, accipe puerum et matrem eius, et abi in terram Aegypti » [3], surrexit ac, diva Virgine, Domino et Salome, Virginis consobrina, secum assumptis, in fines Aegypti se contulit, et quidem ad primam adscendit Aegypti superioris oram. Mortuo autem Herode et angelo Domini ipsi iterum apparente et praecipiente ut in Syriam rediret, per el-Maḥraqah,

[1] Ad litt. : effusio. — [2] Occurrit hic vox lexicographis incognita : زنجلة, cuius tamen significatio ex contextu vix dubia. — [3] Matth., II, 13.

tum per Miṣrum, inde per el-Maṭariyyah reversus est, et hinc el-Maḥammah petiit, atque *hic* elicitus est fons qui ad nostra usque tempora permanet et ad quem omnium regionum et nationum homines confluunt, patrocinii divae Virginis sibi conciliandi cupidi, benedictionemque sibi cum ex loco tum ex fonte aucupantes.

Intercessio Virginis Dei Matris nos custodiat. Amen.

Eodem die, commemoratio Amamādae [1] et filiorum eius, itemque Armānii [2] et matris ipsius. Quorum intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Bawūnah dies nonus.

Hodie, commemoratio prophetae magni Samuelis. Habuit hic *vir* iustus [3] matrem cui nomen Ḥannah, *et quae, cum sterilis esset, id perpetuis ad Deum fusis precibus obtinuit ut hoc propheta donaretur. Quem domi suae usque ad tres *aetatis* annos completos educavit ; dein eum templo Domini obtulit, ut voto promiserat antequam eo gravida fieret. Ille igitur Heli sacerdoti famulatus est quoad adulevit. Filii autem Heli ministerio suo prave defuncti erant et inique egerant in filios Israel. Quare ad Heli misit Deus prophetam, qui haec edixit : « Equidem filios tuos et totam tuam progeniem a sacerdotio reppuli, mihique sacerdotem fidelem constituam, qui omnibus diebus vitae suae ad nutum cordis mei se gerat. » Et *revera* prophetam hunc magnum *sibi* constituit. Postquam enim Heli senuit, nocte quadam Dominus Samuelem dormientem vocavit. Qui, utpote revelationes Domini nondum expertus, existimans ab Heli se vocari, surrexit et venit ad Heli, cui dixit : « Vocasti me, domine mi. » At ille : « Nequaquam, ait ; abi et dormi. » Egressum vero vocavit Dominus iterum et tertio ; et ipse surgens ad Heli se contulit. Unde intellegens Heli a Domino eum vocari, dixit ei : « Abi, requiesce ; et si quis te vocaverit, responde : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Et cum digressus esset Samuel, ad eum vox venit

[1] Sic A et B ; C : Qamādah ; F et G' : Mamādah. — [2] F et G' : Armānūs. — [3] B, C et G' ins. : patrem nomine Helcanam ex tribu Levi atque ex familia Aaronis, et...

a Domino, dicens: « Samuel! Samuel! » Qui respondit: « Loquere, Domine, quia te audit servus tuus. » Tunc a Domino se alloquente didicit et quid cum Heli communicaturus esset, et quid huius filii fecissent, et quomodo Deus agere vellet cum filiis Heli et cum filiis Israel. Deinde praecepit ei Deus ut Saulem, filium Cis, ungeret et filiis Israel praeponeret. Sed ubi Saul praeceptum Domini transgressus est, hic propheta Domino iubente Davidem, filium Iesse, unxit regem. Prophetae et iudicis filiorum Israel munere functus est *Samuel* annos viginti, quibus transactis in pace quievit. Festum eius alterum agitur die vigesimo mensis mesrī, quo die eum Dominus vocavit et allocutus est. Incarnationem dominicam annis mille triginta quinque praecessit.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Lucillianus (Lūkīllyānūs)[1], et quattuor *alii* cum eo. Erat is idolorum sacrificulus; verum cum vidisset quae sustinerent martyres tormenta, corpora scilicet igne combusta, membra discerpta, verbera inflicta, itemque vidisset hominum multitudines ab imperatore Aureliano (Awrīllīnūs)[2] in fornacem ignis coniectas et ab igne intactas, imo stantes atque ambulantes in medio igne, laudes Dei, trium puerorum in babylonica ignis fornace instar, decantando, *rem admiratus est hic sanctus, et pro explorato habuit idola quorum sacerdos erat nihil huiusmodi efficere posse, sed ea, si in ignem proicerentur, combustum iri, Deum vero qui illa miracula patrabat verum Deum esse. Quare exclamavit se christianum esse, et manus ei iniecerunt eumque ad imperatorem adduxerunt, qui reprehenso *primum* ob desertum idolorum cultum dein plurima, si converteretur, dona promisit. At ille neque ullam habuit promissorum rationem neque minas reformidavit, ideoque acerbis tormentis ab imperatore cruciatus est durisque verberibus affectus, et, maxilla[3] lapidibus contusa, capite deorsum verso suspensus est. Dein eum in carcerem coniecerunt, ubi aliquandiu mansit. Tum eum imperator *denuo* arcessivit, et cum eo quattuor ex christianis qui custodiae mandati fuerant, universosque, quia impia eius iussa recusabant, in fornacem ignis immisit. Deus vero imbre copioso in eos demisso ignem exstinxit. Quamobrem, praecipiente imperatore impio ut sanctus, eo quod cultum crucifixo adhiberet, crucifigeretur, e cruce lignea suspensus est, tumque, corpore clavis longis affixo, animam Domino exhalavit. Quattuor autem virorum *ceterorum* capita abscisa sunt.

[1] C et G : Lūkyānūs. — [2] B : Awralyānūs ; C : Awlyānūs ; G : Awrakyānūs. — [3] Ita ex B ; A : corde (!).

Eorum preces nobis adsint. Amen.

Eodem die[1] corpus martyris illustris Mercurii in ecclesiam Miṣri via Nili fluminis[2] pervenit. Cuius rei haec fuit causa. Populus universus a Christo Domino postulabant ut digni ab eo haberentur qui corpus martyris Mercurii, Miṣri, in sacra ipsius ecclesia, viderent, eorumque petitionem Deus acceptam habuit. Quo tempore enim Domino — cui sit laus! — visum est patrem venerandum et sacerdotum principem, inter patriarchas illustrem, Anbā Iohannem, constituere in sede s. Marci, factum est, Deo res ita disponente, ut Miṣrum, in civitatem apprime custoditam, prope caput sinus fluminis sitam, *et quidem* ad ecclesiam praeclari angeli Michaelis, huius die festo observando, adveniret Makrūnos, metropolita coenobii armenii patris sancti Mar Iacobi in urbe nobili Hierosolyma; quem comitabantur Armenii complures, ex quibus Artābīdḥošrū et vir alius nomine Constantinus. Iustis autem festi ecclesiastici officiis rite defuncti sunt canticis spiritalibus psalmisque davidicis, et metropolitae memorato, antequam in ecclesiam ingrederetur, obviam cum cereis et cantibus processerunt ex licentia et ad praescriptum domini patris patriarchae ea de re. Et postquam, sacro in pace absoluto, mensae accubuerunt et cibum benedictum festi[3] comederunt, in ecclesia consederunt pater *patriarcha, pater metropolita et qui hunc circumstabant, itemque plebis adstantis multitudo, colloquentes de magnificis Dei rebus ac dotibus, de iis etiam rebus quae ad regiones attinebant; et eo productus est inter eos sermo ut de Caesarea Cappadociae ac de corpore illustris martyris Mercurii interrogarent. Respondit metropolita corpus martyris Mercurii revera in urbe Caesarea asservari et hanc in ditione esse Ibn Ḥasan Bek; eiusque testimonium confirmarunt[4] tum quicumque ex fratribus armeniis aderant, apud quos certior quam apud alios

[1] Non prostat haec relatio nisi in uno cod. A, cuius textus passim corruptus vel dubius. — [2] «Nili» nomen e contextu suppletur. — [3] Ad litt. : benedictionem festi. — [4] Textus arab. ita emendandus ut صادقة pro صادفة legatur.

illarum regionum cognitio propter frequentia itinera quae ad easdem fecerant, tum imprimis vir iam memoratus, sermonem cum patre patriarcha et cum plebe conserens, Constantinus scilicet, de quo supra mentio. Itaque mutuo sese obstrinxerunt promisso dominus pater patriarcha, pater venerandus metropolita, cum iis qui eum circumstabant, et Constantinus, operam se daturos ut aliquid ex membris martyris Miṣrum, in ipsius ecclesiam, afferretur, utque illarum reliquiarum pia in perpetuum instituerelur commemoratio. Dein omnes in pace discesserunt. *Mentione* vero *dignum* quod in Constantino evenit. Huic enim, qui, ardore animi et vi promissi pactique *motus*, aliquanto post ad regionem Ḥasan Bek Arz Lubnān[1] proficiscebatur ut negotia quaedam componeret, Armenii nonnulli adiunxerunt commiseruntque duas mulieres iter cum ipso facturas donec eas deduxisset in fines urbis nobilis Hierosolymorum. Quas secum ex obedientia et ex amore Christi Domini assumpsit, atque iis comitantibus Caesaream Cappadociae ingressus est. Duos autem ex metropolitis Caesareae adiit, quorum alter Karākūs, alter Andryās vocabatur, certioresque eos fecit de re cuius gratia advenerat, desiderii nempe alicuius ex membris martyris praeclari Mercurii. Tunc ambo[2] metropolitae, cum Constantino et ambabus quoque mulieribus profecti domum petierunt pictoris[3] monachi, quem precibus adduxerunt, ut, equum secum conscendens, pergentes ad quendam ex pagis *vicinis* comitaretur. Hoc loco deversati sunt in aedibus presbyteri pagi illius, cui nomen Iacobus, eumque rogaverunt ut in honorem fratris Constantini, defatigationis et molestiarum quas octo mensium itinere expertus erat, beneficiorum quoque et officiorum quibus ipsos cumulaverat, sibi quiddam elargiretur ex membris martyris. Ei insuper exposuerunt[4] *hanc esse etiam* Macruni metropolitae et Artābīdḥošrū petitionem. Porro nonnisi post preces et obsecrationes plurimas, aegre tandem partem quandam ex sacris membris iis concessit, in honorem primum patris patriarchae sedem sancti Marci obtinentis, dein fratrum coptitarum,

[1] Duabus voculis ارز لبنان, quarum vis propria est « Cedrus Libani », vel viri cognomen, vel fortasse nomen loci continetur. — [2] In textu arab. vocula على abundat. — [3] Vel : sculptoris ; utraque enim significatio eidem vocabulo نقاش subest. — [4] Textus, mendose : exposuit.

utque morem gereret petitioni Macruni metropolitae et Artābīdḥošrū, fratrem quoque Constantinum honorandi causa. Et huius quidem *partis* adventus in fines aegyptios, invectione in ecclesiam prior, contigit die nono mensis bawūnah anni millesimi ducentesimi quarti sanctorum Martyrum ; adimpletumque est effatum propheticum quod est huiusmodi : « Haec dies *quam fecit Dominus ; agite, exsultemus et laetemur in ea.[1] Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere nobiscum, et facti sumus laetantes.[2] » Gemmae illae pretiosae ex corpore martyris Mercurii allatae sunt opera fratris Constantini, et praepositi eximii, sacerdotis venerandi Siti[3], fratrisque Simeonis.

Eius preces atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis bawūnah dies decimus.

Hodie martyrium passa est sancta Dābāmūn[4]. Fuit nimirum vir nomine Warašnūfah quem ipsius cives voluerunt constituere sibi episcopum ; verum ille surgens aufugit ad regionem Ṭaḥmūn, dioecesis Banā, et hospitio exceptus est apud duos fratres Dābāmūn et Yaṣṭāmūn[5] horumque matrem Sophiam. Ea autem ipsa nocte ei apparuit angelus Domini, luce circumfulgens, dixitque : « O Warašnūfah, quare, certamine iam inito et coronis praeparatis, dormis tu ? Praefectum adi in Nīlīl[6] et Christum confitere, ut coronam consequaris. » Qui ubi expergefactus visionem duobus fratribus exposuit, omnes de martyrio *capessendo* consentientes ad praefectum se contulerunt et Christum Dominum confessi sunt. Quamobrem eos ille cruciavit et in carcerem coniecit, dein secum assumpsit, a Tablil[7] discedens ut Šenhūr peteret. Huius autem *urbis* cives, praefectum convenientes, virum cui nomen Macadīus (Makādī) accusarunt quod, cum christianus esset, magnas largiretur eleemosynas *captivis, Dominum Iesum Christum confiteretur et deos conviciis impeteret. Itaque eum adduci iussum iniecerunt in ahenum picis et resinae plenum, et hoc quinque dies

[1] Cf. *Ps.* CXVIII, 24. — [2] Cf. *Ps.* CXXVI, 2. — [3] Nisi forte legendum sit صيت pro سيت, ita ut voculae significatio « famae » subsit. — [4] C, F et G add. : et Baṭāmūn, atque utriusque mater Sūfiah (C : Sāfiah). — [5] Sic in A ; B : Basṭāmūn. Nomen autem « Dābāmūn », quo alibi mulier semper significatur, hoc loco erronee positum fuerit pro Ūdāmūn vel Awdāmūn (Eudaemon ?). — [6] Nomen loci B C G omittunt. — [7] Sic A, hoc loco. B : Nablīl ; F : Bīlīl ; G : Banšīl.

continuos calefecerunt; verum Dominus misso angelo Macadium praestitit ita incolumem ut nihil mali ex igne expertus sit. Diebus quinque transactis, ex aheno eductus et capite truncatus, immarcescibilem consecutus est coronam. Tum advocavit *praefectus* Warašnūfam et socios, quibus ipsorum mater animum addebat, iisque proposuit tus idolis offerendum ac recusantes cruciari iussit, Domino eos *interea* confortante et angelo eius eosdem custodiente. Dein a Senhūr[1] ad Ṣā migravit, iisdem comitantibus, et idolorum sacerdotes, qui in Dīqū morabantur, certiorem eum fecerunt, sanctam Dābāmūnem diis maledicere. Erat autem sancta Dābāmūn mulier vidua quae multas eleemosynas largiebatur et quingentas orationes de die totidemque de nocte fundebat, et cui filia Yūnā nomine. Porro in earum domo et mulier alia morabatur, omnesque *telam* texentes[2] atque acu pingentes, eleemosynas pauperibus erogabant, sanctosque visitabant et captivos. Dābāmūnis fama ad se perlata, praefectus carnificem cui nomen Eulogius (Ūlāgī) misit ad caput eius amputandum. Is vero, ubi ad eam venit eiusque vitae honestatem vidit, gratia Dei motus, eam non interfecit, sed ad praefectum adduxit. Itaque illa familiaribus suis valedixit et ex Daqyu[3] egressa ad Ṣā pervenit, ubi, postquam sancto Warašnūfae et sociis occurrit seseque invicem consalutarunt, Eulogius carnifex Christum Dominum confitens ad praefectum accessit, a quo decollari iussus, coronam vitae adeptus * p. 162. est. *Sancta Dābāmūn vero[4], Warašnufah et socii eius Alexandriam ad Armanium ducti sunt, et sibi adstantibus Armanius imperatoris decretum praelegit. Quod sanctus Warašnūfah exsiliens e manu eius ereptum discerpsit. Quare ille ira excandescens praecepit ut in fornacem sarmentis et palmarum spathis cale-

[1] Sic A hoc loco, non sibi constans. — [2] Ita, corrigendo cum codd. B et D errorem cod. A, qui ينجس pro ينسج legit. — [3] Sic, secus scil. ac supra. — [4] Reliquam huius narrationis partem sic contrahit B, quocum C F G fere consentiunt: « Sanctam Dābāmūnem equuleo suspendit *tyrannus* et compressit, diesque complures eam cruciavit, Domino eandem confortante eique patientiam subministrante. Tum carceri mandatam iterum arcessivit ac nolentem oboedire decollari iussit. Quae extra urbem educta est et, cum mulieres eam flentes circumstarent, gaudebat ipsa atque exsultabat. Itaque caput ei acie gladii amputatum. Eius protectio nobis adsit. Amen. — Sanctus Warašnūfah certamen suum consummavit die mensis abīb 29°. Duo autem fratres Abaṣṭāmūn *(sic)* et Awdāmūn *(sic)* certamen consummarunt die 13° mensis amšīr. Universorum preces nos custodiant. Amen. »

factam sanctus iniceretur, isque ita certamen suum consummavit, die vigesimo nono mensis abīb. Ad Udāmūnem et Yaṣṭāmūnem quod attinet, ambo, cruci ligneae affixi, certamen suum absolverunt die vigesimo tertio mensis amšīr. Dein sanctam Dābāmūnem arcessiverunt, cui iteratae exhortationes ad tus adolendum; at, tyrannum atque idola eius convitiis lacessens, illius iussu equuleo suspensa est et compressa, Domino interim ei auxiliante atque angelo vulnera sanante; et postquam complures dies in tormentis permansit, carceri mandata est. Porro ossa sancti Warašnufa secum allata Sophiae Basṭāmunis matri tradidit; quae vocem audivit dicentem: « Depositum tibi commissum diligenter custodi »; et ossibus illis morbi plurimi sanati fuere. Posthac, iubente Armanio, sancta et pura *femina* extra urbem ducta est et capite truncata, atque ita immarcescibilem obtinuit coronam.

Eorum preces atque intercessio nobis adsint. Amen.

Eodem die, commemoratio ingentis gaudii quod universum pervasit orbem, cuius et angeli caelestes participes fuerunt, quia nimirum hoc ipso die prodierunt fidelis et sancti imperatoris Constantini decreta, per omnes regiones et provincias ditionis eius promulgata, quibus et delubra idolorum clausa fuerunt et sacrae ecclesiae apertae. Et hodierno quidem die ad urbem Alexandriam pervenerunt sanctae illae litterae, quibus inerat tam perfecti gaudii causa. Iisdem dein missis ad universas Aegypti partes, fideles laetati sunt et exsultaverunt erecto *cornu legis Christi et * p. 163. honore cruci vivificae exhibito. Tunc clausae fuerunt fores domuum idolorum et ecclesiae christianae reseratae. Festum autem solemne *eam ob rem* egit hic sanctus *Constantinus*, anno regni sui undecimo et initio regiminis Alexandri, patriarchae alexandrini.

Preces eius atque benedictiones nobis adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies undecimus.

Hodie martyrium passus est vir sanctus, imago angelica, formosum imperii decus et miles invictus, Claudius ('Aklūdyūs). Is ille est qui nobile sustinuit certamen coronamque immarcescibilem nactus est et, repudiata huius mundi gloria, gloriam inexstinguibilem ac gratias caelestes haereditate obtinuit. Erat hic

sanctus consobrinus Iusti, filii Numerii (Nūmāryūs) imperatoris; patrem habuit cui nomen Ptolemaeus, imperatoris Numeriani (Nūmāriānūs) fratrem. Eminebat idem sanctus eximia formae pulchritudine, velut Iosephus Iacobi filius, eratque pugnator strenuus, ita ut omnibus Antiochiae civibus praecelleret. Cum 5 omnibus propter formam et propter fortitudinem carus esset, ex amore quo eum homines prosequebantur imaginem eius in porta Antiochiae depinxerunt, hostibus ante eum diffugientibus et prostratis [1]. Multos ex libris Ecclesiae legerat. Porro Romae imperator, fama eius ad se perlata, eiusdem videndi cupidus, nuntio 10 ad patrem misso ab hoc eum expetivit, eique ad locum illum advenienti obviam egressus est imperator ipse cum exercitu suo et urbis civibus. Tum exorto ea aetate bello cum Armeniis, *Claudius adversus eos* profectus, eosdem devicit contrivitque, et regno eorum everso, Antiochiam dein se contulit, ubi Diocletianum 15 imperatorem repperit, qui a vera religione desciverat, idololatriam amplexus. Erat autem ei amicus nomine Victor, Romani (Rūmānūs) filius, quocum libros sacros et quaecumque utriusque saluti prodessent assidue recordabatur, et consenserunt alter cum altero de sanguine pro nomine Christi profundendo. Satanas vero, iis 20 *p. 164. sub specie *senis apparens, eosdem miserari coepit, dicens : « O filioli, iuniores estis et imperii proceribus nati, vobisque istius imperatoris impii consilia pertimesco. Si quid igitur vobis dixerit ille, morem ei gerite de ture adolendo, Christum intra aedes vestras secreto adoraturi, quia hic imperator oppressor est, mise- 25 ricordiae expers. » At *adulescentes* Christo revelante perspexerunt eum *qui adstabat* Satanam esse, eique responderunt : « O plene omnis malitiae, o pater mendacii, recede a nobis, quia viis Domini tu nunquam non adversaris. » Unde ille, mutata illico forma, speciem servi nigri prae se ferens, haec subiunxit : « En 30 proficiscor ego, vos apud imperatorem praevertens, eumque incitabo ut sanguinem vestrum fundat. » Tunc imperator sanctum Claudium arcessitum invitavit ad cultum secum idolis adhibendum, ei promittens eum se in locum patris eius suffecturum. Verum ille, verbis istiusmodi nihil motus, iubenti parere renuit. Quem 35

[1] Forsitan posset ultima propositio sic etiam verti : quam (imaginem) conspicientes, hostes aufugiebant.

tamen *Diocletianus* ausus non est in media *urbe* Antiochia increpare, quamvis ipsum sanctus libere atque audacter [1] compellaret eique conviciaretur ; sed persuasit Romanus vezirus imperatori ut *pervicacem* in Aegypti fines ablegaret, ibi interficiendum, quia, 5 *inquiebat*, hypocrita est, non secus ac filius meus Victor. Quare litteris ad praefectum Antinoes datis, haec ei mandavit *Diocletianus*: « Claudius se nobis dicto audientem non praestitit neque iussis paruit. Ei igitur omni industria blandire, ut eum ad meliorem frugem reducas ; sin minus, caput eius abscinde. » Ubi 10 sanctus de sententia in se lata certior factus est, Ṣādrīḥnaso, sororis suae marito, advocato consilia dedit atque valedixit, dein cum *imperatoris* nuntiis in Aegyptum profectus est. Quem statim ac ad se advenientem vidit Arianus, Antinoes praefectus, ei adsurrexit, eiusque manus osculatus, his eum verbis rogavit : 15 « Noli, domine mi Claudi, id committere ut imperatori resistas. » Cui sanctus : « Non idcirco ad te missus sum ut me sermonibus seducas [2], sed ut imperatoris iussa in me perficias. » Et productus est reciprocus inter ambos sermo donec Arianus, ira incensus, lancea quam manu tenebat sanctum percussit, atque is, anima 20 illico exhalata, martyrii accepit coronam. Accesserunt autem fideles complures et acceptum sancti corpus sepelierunt et cum corpore sancti Victoris deposuerunt ; amboque ibidem remanserunt usque ad finem temporis persecutionis. *Tunc vero* mater Victoris Antinoen venit et duo *corpora sollicitius* involuta Antio- 25 chiam adsportavit.

Amborum preces nobis adsint. Amen.

Eodem die festum agimus consecrationis altaris Quadraginta *martyrum* intra ecclesiam Soteris, in confinio Alexandriae. Quorum intercessio nobis adsit. Amen.

30 *Mensis Bawūnah dies duodecimus. *p. 165.

Hodie ad requiem admissus est pater Iustus, urbis Alexandriae patriarcha. Hic pater fuit vir eximius et doctus, patria alexandrinus. Eum cum patre, matre et multis aliis baptizaverat sanctus apostolus Marcus, et dein diaconum minorem ordinaverat. Idem,

[1] Ex B. — [2] B : ad oboediendum adducas.

a sancto Anbā Nūs[1] ordinatus diaconus perfectus, tum, tempore alio, presbyter, in libris Ecclesiae profecit, et sancto Anbā Nūs convivens, plebem erudiebat atque confirmabat. Post patrem Primum ('Abrīmiyū)[2] ad principatum electus, Ecclesiam Dei quae in finibus Aegypti sapientissimo regimine moderatus est et gregi suo optimum se praebuit pastorem. Sedem *patriarchae* annos duodecim obtinuit et decessit in senectute bona Deoque nostro accepta.

Benedictio eius atque preces nobis adsint.

Eodem die, commemoratio angeli praecelsi, Michaelis archangeli, qui pro genere humano perpetuo intercedit. Is est qui Iosue, filio Nun, id a se exoptanti, apparuit dixitque : « Ego sum princeps militum Dei », quo etiam adiuvante ille Amalecitas domavit, Ierichuntem expugnavit, effecitque ut sol immotus staret.

Eodem die, memoria sanctae Euphemiae et obitus eius. Haec nupserat viro qui Deum timebat, multas eleemosynas largiebatur et tria singulis mensibus festa agebat, nimirum : festum angeli Michaelis, die mensis duodecimo ; festum Matris Dei, die vigesimo primo ; festum commemorationis nativitatis, die vigesimo nono. Imminente mortis suae tempore, hortatus est ille sanctam hanc, uxorem suam, ut eleemosynas quas ipse erogare consueverat ne omitteret unquam, imprimisque *ne tria illa festa neglegeret. Quae eum rogavit ut sibi in domo sua imaginem depingeret angeli Michaelis eandemque sibi traderet ; et morem gessit ei maritus. Hoc autem defuncto, cum haec *mulier* fidelis ea ipsa faceret quae vir fecerat, ei invidens Satanas habitum monachi induit, ad eam venit, coepitque ita eam alloqui ut se eius misereri fingeret ; tum ei suasit ut matrimonium iniret et liberos gigneret, ne fortunae eius disperirent ipsaque egeret ; dixit etiam : « Maritus tuus regnum consecutus est, neque opus iam ei est eleemosynis. » Respondit ei mulier : « Ad id me obstrinxi, quod et mecum ipsa statui, ne ulli viro praeter beatum coniugem meum adhaererem ; si et columbae et corvi marem alterum non noverunt, quomodo homines, ad imaginem Dei creati, eundem morem non servarent ? » Quia igitur daemoni obsequi nolebat,

[1] Sic A ; nec melius B vel G′, quorum prior : Anbā Yūnas, alter : Anbā Yūnīs. C recte : Anyānūs. — [2] B : Abrīmū.

formam hic mutavit et, mulierem increpans, dixit : « Ad te posthac redibo » ; ipsa vero imagine angeli Michaelis apprehensa illum fugavit. Die autem duodecimo mensis bawūnah, mulieri festo operam danti prout consueverat, apparuit Satanas sub specie angeli ; pacemque apprecatus, affirmavit Michaelem se esse et a Deo ad eam missum, ut eam iuberet, omissis consuetis eleemosynis, viro fideli nubere ; tum subiunxit : « Mulier sine viro similis est navi gubernatore destitutae » ; et coepit argumenta ei afferre ex libris antiqui foederis, ut Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Davidem, aliosque ex eorum genere virorum qui in matrimonio Deo placuerunt. Tum illa : « Si, inquit, angelus Dei sis, ubinam crucis insigne tibi inhaerens ? Miles quippe regis cuiuspiam in nullum prodit locum insigne regis illius secum non gestans. » Quae ubi ab ea audivit *diabolus,* forma mutata, eam aggressus strangulare tentavit ; sed patrocinium suum invocanti illico adstitit angelus Michael, salvam eam e manu inimici praestitit et daemonem apprehensum castigare coepit, dein eum causantem inducias sibi a Domino ad finem usque saeculi concessas dimisit. Tum, ad sanctam *mulierem* conversus : « Abi, ait, et res tuas dispone, nam hodie ex hoc mundo migrabis, et a Domino tibi parata sunt quae nec oculus vidit, nec auris audivit, neque *humanus concepit animus » ; et pacem ei apprecatus, ab ea avolavit. Itaque *mulier,* postquam festo rite operam dedit, episcopo ac presbyteris nuntio misso arcessitis omnes facultates suas tradidit, pauperibus et orphanis distribuendas. Deinde surgens oravit, imaginem accepit angeli *Michaelis,* cuius patrocinium invocavit, et illa pectori atque vultui imposita, exspiravit. Porro causa cur festum coeptum sit angelo Michaeli hodie celebrari huiusmodi fuit : erat in urbe Alexandria templum magnum, a Cleopatra regina, Ptolemaei filia, aedificatum et nomine Saturni dicatum, huiusque festum in urbe Alexandria agebant die duodecimo mensis bawūnah ; et in templo asservabatur idolum aeneum, ingens horrendumque, Saturni nomine donatum, cui die ipsius festo victimas plurimas immolabant, ac perseverabant idoli festum ita celebrantes temporibus principatus patris Alexandri, adhuc scilicet post annum trecentesimum. Ubi autem primatu potitus est pater Alexander et, sancto Constantino imperatore, diffusus est christianismus, idolum voluit *patriarcha* frangere ; eum vero ab

ea re prohibuerunt laici plebis alexandrinae, dicentes : « Idoli huius festum agere consuevimus, fueruntque antehac patriarchae duodeviginti, et morem nostrum immutatum vigere immotumque siverunt. » Quare longa oratione iis exposuit eiusmodi idolum neque prodesse quicquam, neque nocere, eos autem qui festum ei agunt daemonibus tantum agere festum ; dehinc haec subiunxit : « Si mihi obsecuti fueritis, festum hoc ego vobis restituam quale prius fuit, hoc scilicet modo : idolo isto confracto, templum eius consecrabimus in ecclesiam nomine angeli Michaelis dicatam, huiusque *ecclesiae* festum victimis Deo — qui exaltetur ! — oblatis, quibus pauperes atque egeni vescantur, celebrabimus, ut angelus vos coram Christo Domino tueatur. » Consilium hoc cum iis diligenter inculcasset, iis consentientibus delubrum in ecclesiam nomine angeli praecelsi Michaelis dicatam conversum fuit, quae vulgo ecclesia Caesareae appellabatur et quae superstes fuit usque ad Moslemorum in fines *illos* ingressum ; eo tempore eversa est, sed regionis incolae in festo eius celebrando usque adhuc perseverarunt.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

*p. 168.

*Mensis Bawūnah dies decimus tertius.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Iohannes, episcopus hierosolymitanus. Hic sanctus, statum monasticum a teneris in coenobio sancti Iblarionis[1] magni amplexus una cum patre Epiphanio, cuivis mortificationis generi studiosus se dedidit ; et, fama virtutis eius ac scientiae late sparsa, Epiphanioque iam antea ecclesiae Cypri praeposito, ad sedem hierosolymitanam electus est. Qui, ubi honoris gradum obtinuit, ab inimico seductus et pecuniae ac possessionum captus amore, divitiis multis coacervatis, inde vasa plurima in usum propriae mensae confecit, quibus inter vescendum utebatur, avarum sese alioquin pauperibus atque egenis praebens, ita ut nullum unquam quadrantem mendico erogaret. Sanctus Epiphanius, ea de re certior factus, recordatus est quanta olim fuisset ille abstinentia, quanta etiam mortificatione monastica, devotione atque misericordia, et ex imo corde

[1] Sic A ; D et G : Iblāryūs ; C, melius : Ilāryūn. Cf. tom. XVIII, p. 84.

ingemuit, eius miserans casum. Tum, secum recolens amicitiam et fraternitatem spiritalem qua ei devinctus fuerat, Cypro profectus Hierosolymam venit ; et fingebat quidem se *ibi* adorare velle, in animo autem habebat patri Iohanni consulere. Itaque ubi Hierosolymam pervenit et ipsi cum hoc patre conversanti instructa est mensa cui imposita erant pretiosa illa vasa argentea, viditque illius avaritiam ac tenacitatem, intra se dolens, opportunum excogitavit dolum, qui fuit huiusmodi : in domum quandam seorsum deversatus, per nuntium ad Iohannem missum ab eo omnia quae ipsi erant mutuatus est, hanc praetexens causam : « Complures ex Cypri primoribus ad me venerunt, et te rogo ut me coram ipsis honores. » Dein vasa ad se missa accepit sanctus Epiphanius et, iis divenditis, pretio eleemosynas erogavit. Aliquanto post Iohanni vasa sua expostulanti moram fecit ; sed cum iterum ac tertio exigenti nihil redderet, eum ille in atrio *ecclesiae* Resurrectionis pallio apprehendit, dicens : « Te non dimittam neque abire sinam, nisi meam mihi supellectilem[1] dederis. » At, sancto Epiphanio preces fundente et Christum invocante, Iohannes caecitate affectus est. Quare flens sanctus Iohannes Epiphanio supplicavit, et, ab hoc exoratus, Christus alterum ex oculis illius sanavit ; dixitque Iohanni Epiphanius : « Christus *alterum tibi memoriae causa occaecatum reliquit. » Eum deinde hortatus est et meminisse iussit vitae pristinae, revelavitque et vasa a se vendita esse et pecuniam in eleemosynas illius nomine erogatam, se vero non aliam ob causam Hierosolymam venisse nisi propter rumorem ad se perlatum de illius avaritia et cupiditate. Tunc expergefactus sanctus Iohannes a socordia et neglegentia, quemadmodum aliquis a somno excitatur, misericordiam deinceps exercuit modo quodam inenarrabili, et quidquid ipsi suppetebat pecuniarum, vasorum[2], vestimentorum, in eleemosynas erogavit, seque a divitiis ita abstinentem atque alienum exhibuit ut moriens neque drachmam possideret. Gratiam miraculorum promeritus, omnes qui morbo aut languore laborabant olei unctione adhibito crucis signo sanabat ; et consummato huiusmodi cursu spiritali, ad Dominum translatus est.

*p. 169.

Eius preces nobis faveant. Amen.

[1] Ex B, C et G ; A : rem meam. — [2] In edit. arab. legendum اواني, non اراني.

Eodem die, ex consuetudine in finibus aegyptiacis vigente festum agimus angeli praecelsi Gabrielis, angeli *scilicet* novae Legis, quam tum antiquitus tum recentius annuntiavit. Et antiquitus quidem Danieli prophetae nuntium attulit : oranti enim et *Deum* obsecranti pro reditu filiorum Israel a captivitate eorumque liberatione e manu Satanae apparuit hic angelus illustris et ei praedixit liberationem Israelitarum a captivitate babylonica atque templi hierosolymitani aedificationem ; praedixit item, post annos, quorum numerum ei indicavit definivitque, Messiam venturum esse atque eundem occisum iri, post ipsum vero urbem Hierosolymam eversum iri, neque alium deinceps venturum esse Christum, nisi mendacem[1]. Et transactis annis qui Danieli indicati fuerant, imminenteque tempore quo prodituras erat Salvator, venit hic angelus Domino mittente et Virgini purissimae nuntiavit Dei Verbum ad ipsam descensurum esse et ex ipsa cum corpore proditurum. Quoniam autem ei Deus, cuius nomen summe venerandum, duas illas gravissimas legationes commisit, constituerunt patres nostri festum ei quotannis a nobis agendum, rogantibus ut saluti nostrae consulat et patrocinium nostrum coram Christo Domino suscipiat, siquidem ipse Christo proximus adest et ante thronum eius stat, atque ita speramus nos illo intercedente gratiam inventuros esse apud Salvatorem Deum nostrum, cui sit in aeternum gloria. Amen.

Mensis Bawūnah dies decimus quartus.

Hodie martyrium passi sunt sancti Abūqīr[2], Iohannes, Ptolemaeus (Abṭalamā) et Fīlyā[3]. Originem ducebat hic *Abākīr ex Damanhūr in dioecesi Abūṣīr[4], a parte occidentali fluminis Aegypti ; fratrem habebat nomine Qiltā, eratque ditissimus. Conventione inita inter ambos *fratres* et duos sacerdotes, quorum alter Iohannes, Ptolemaeus alter vocabatur, ii quattuor communi consensu Qarṭasam venerunt ad praefectum, et Christum Dominum confessi sunt. Quos iussit ille sagittis configi ; verum sagittae

* p. 170.

[1] I. e., Antichristum. — [2] B et G : Abākīr ; C D F H : Abākarā ; E nunc : Abāqīr, nunc : Abākīr. — [3] Sic A, hoc loco, sed infra : Qāltā ; B et F : Qilyā ; E G H : Fīlibā ; C : Fiblibā ; D tum : Fīlīnā, tum : Fīlyā. — [4] B et G : Būṣīr.

ad eos nequaquam accedebant. Tum praecepit ut in fornacem ardentem inicerentur et haec eorum gratia *magis* calefieret ; sed Dominus angelum suum misit, qui eos ab igne incolumes praestitit. Dein praescripsit *idem* ut caudis equorum alligati a Qarṭasā[1] ad Damanhūr pertraherentur : quod cum omnibus factum esset, nihil tamen mali experti sunt. Denique, illo iubente eorum capita extra urbem Damanhūr gladii acie abscidi, martyrii sui complementum ita consecuti sunt. Venerunt autem homines ex Ṣā et corpori sancti Abākīr[2] asportato pulchram superstruxerunt ecclesiam. *Reliqui* tres sancti ablati sunt a civibus Damanhūr, qui linteaminibus decentibus involutos apud se reposuerunt.

Eorum intercessio atque preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies decimus quintus.

Hodie[3] festum agimus consecrationis ecclesiae sancti Abū Mīnae, in urbe Mareota (Maryuṭ), itemque miraculorum ab eo editorum et causae revelationis corporis eius. Cum scilicet sacrum corpus iaceret in terra absconditum idque vellet Deus manifestatum, evenit ut pastor gregem pasceret haud procul a tumulo in quo corpus humatum, et animadverteret ovem quae scabie laborabat, postquam primum lavit et subinde se in pulvere illius loci ubi corpus repositum volutavit, illico sanari. Rem admiratus, omnes oves scabiosas apprehendit, eas lavit atque in eodem illo loco volutavit, et confestim mundatae sunt. Postea eandem medicinam coepit hominibus usurpare : si quis morbo quopiam laboraret, ei aliquantulum pulveris aqua diluti *adhibebat, et aegrotum sanabat ; neque tamen noverat quaenam esset rei causa. Fama vero opilionis ad imperatorem delata, is, cui erat filia leprosa, eam ad illum misit pastorem, a quo de more curata est et sanata. Recuperata sanitate, cum puella cupiditate flagraret

* p. 171.

[1] Sic B et G ; A : Qarṭīšā. — [2] Ita ex C et G ; A addit : et Iohannis. — [3] Hanc consecrationem cod. C multo brevius sic refert : « Hodierno die festum agimus consecrationis ecclesiae martyris Abū Mīnae in *urbe* Mareota et revelationis sacri corporis eius. Consecrationi huius ecclesiae adfuerunt patriarcha et episcopi, multaque ex corpore martyris edidit Dominus miracula et illius fama per universam terram divulgata est. Intercessio eius nobis adsit. Amen. »

cognoscendae causae, *sanationum quae fiebant* in illo loco, ei sanctus Abū Mīnā in visione apparuit dixitque : « Hic est locus in quo iacet corpus meum, tibique mandat Dominus ut id effodias atque extrahas. » Quae expergefacta, ut ea exsequeretur quae iussa erat, nobile extulit corpus, eique ecclesiam superstruxit. Editum etiam est imperatoris edictum ut praepositi magistratusque domos sibi in eo loco construerent, et *ita* urbs aedificata est, cui nomen inditum Mareota (Maryūṭ); multisque miraculis ex illo corpore divinitus prodeuntibus, venerunt patriarcha atque episcopi ecclesiamque consecrarunt, et fama percrebruit miraculorum ac prodigiorum quae inibi per intercessionem sancti Abū Mīnae contingebant. — Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Bawūnah dies decimus sextus.

Hodie ad requiem admissus est pater eximius, bonae memoriae et senectutis venerandae, sanctus Abū Nofer, qui eremita fuit in Aegypti superioris deserto. En quaedam ex iis quae de illo rettulit sanctus Paphnutius. Divina enim gratia motus, hic sanctus Paphnutius cupidine flagravit Dei famulos eremitas invisendi, eorumque complures invisit, quorum vitas conscripsit et in quorum numero fuit sanctus Abū Nofer. Itaque *Paphnutius,* in desertum ingressus, aquae fonti et palmae occurrit, viditque sanctum hunc Abū Nofer ad se accedentem, eundemque nudum, ita ut corpus capillis et barba *tantum* tegeretur. Cuius aspectu territus, eum putavit spiritum esse. Verum timenti animum addidit sanctus Abū Nofer, signo crucis se coram eo signans et evangelicam recitans orationem, quae sic habet : « Pater noster, qui es in caelis. » Dein dixit ei : « Faustus felixque sit tuus ad me adventus, o Paphnuti. » Audiens autem *Paphnutius* coram se orantem et proprio se nomine compellantem, iam timore liberatus est. Tum ambo simul oraverunt et consedentes sermonem de mirandis Dei rebus conseruerunt. Porro interrogavit Paphnutius *eremitam* qualis fuisset causa cur *desertum* ingrederetur, qualem etiam vitam degisset. Cui respondit ille : « In coenobio fui, cuius *monachi pii atque egregii ; a quibus cum audirem omnium bonarum dotum laude exornari eremitas qui desertum incolunt, eos interrogavi : Suntne ergo homines vobis

* p. 172.

excellentiores ? Responderunt : Sunt, et ii quidem qui desertum incolunt. A mundo nos et ab hominibus haud procul absumus : si cor maerore oppressum fuerit, praesto adest consolator ; si aegrotaverimus, est qui nos invisat ; si fuerimus nudi, est qui vestiat ; si quicquam exoptaverimus, rem exoptatam profecto consequemur. Incolae vero deserti omnibus illis commodis carent. Quod responsum cum ab iis excepissem, corde exardescente, ubi nox subsecuta est, aliquantulum panis assumpsi et, e coenobio egressus, Christum Dominum supplex oravi ut me ad locum dirigeret in quo commorarer. Dein iter ingressus sum et praesto mihi fuit Domini auxilium, quo facile virum quendam sanctum inveni, apud quem habitavi donec vitae eremiticae methodum ab eo didicissem. Postea, huc trangressus, palmam hanc inveni, quae duodenos dactylorum racemos quotannis edit ; singulis autem mensibus singuli racemi cibum sufficientem suppeditant bibenti mihi huius fontis aquam. Nunc vero sexaginta iam annos hoc loco transegi, neque ullum hominis vultum, praeter tuum, vidi unquam. » — Dum autem ambo colloquuntur, angelus Domini ad eos descendens corpore et sanguine Christi eos refecit, et postquam paululum cibi qui suppetebat sumpserunt, sanctus Abū Nofer, facie mutata et ignis instar effecta, genua flexit, Dominum adoravit pronus, sancto Paphnutio valedixit et spiritum emisit. Eum sanctus Paphnutius sepelivit, involutum veste brevi qua ipse tegebatur, et intra speluncam humavit. In animo habebat in eodem loco commorari ; verum statim ac defunctum sepelivit, palma cecidit et exaruit fons ; quod factum est Deo res ita moderante ut ad mundum rediret ille et memoriae proderet res sanctorum et eremitarum quos viderat, atque imprimis sancti Abū Nofer ; et *Paphnutius revera,* ad saeculum reversus, tum huius sancti vitam, tum diem quo decesserat memoriae tradidit.

Benedictiones eius et preces nobis adsint, et Domino nostro perpetua *sit* in aeternum gloria. Amen.

Mensis Bawūnah dies decimus septimus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Latṣūn. Hic sanctus, patria *behnesanus, audivit adhuc puer sancti Evangelii locum ubi dicitur : « Qui voluerit animam suam salvam

* p. 173.

facere, perdat eam, et qui perdiderit animam suam in hoc mundo, vitam ei conciliat[1] »; et quae sequuntur. Quae cum audisset, corde eius exardescente, sacra communione accepta, ad montem Isūhab[2] commigrans, se orationibus atque ieiuniis addixit continuis. Hebdomadam *integram* semper ieiunabat. Apparuit autem ei angelus Domini, praecipiens ut ad sanctum Isidorum (Īsīdarūs) se conferret, qui ipsum habitu monastico donaret. Itaque S. Isidorum convenit, qui, praemissis super vestibus et *sacro* schemate quadraginta dierum precibus, eum illis induit; atque *exinde* in mortificationibus profecit. Postea de consilio patris sui *spiritalis* profectus, solitudinem petiit coepitque multis religionis exercitiis defungi[3]. Prope aberat a coenobio, ad quod ventitabat; et die quadam huc adveniens abbatem monasterii invenit morti proximum atque fratres eum circumstantes; simul vero eum conspiciens Satanae satellitibus circumdatum, eundem de ipsius statu interrogavit. Tum is, fratribus exire iussis, coepit crimina sua et quidquid adhuc adulescens patraverat, quae quidem peccata erant maxima, exponere. E quorum numero ea fuerunt quae his confessus est verbis : *« Parce mihi, qui tantum commisi nefas quantum nemo alius ante me. Cum enim sacerdotium ambiens repulsam passus essem, in alium commigravi locum, et affirmans me ab episcopo ordinatum, aggressus sum, nulla accepta manuum impositione, ad missam celebrandam et corpus *Christi* magicis artibus adhibendum, atque ex hoc peccato meo *alia* plura prodierunt; et en adest hora qua ex *hoc* mundo mihi exeundum, nec quicquam suppetit boni quod exhibere possim; ideoque te, pater, ad pedes tuos prostratus et nomine Domini invocato, obtestor ut mei in tuis orationibus memineris. » Flevit autem sanctus Anbā

*p. 174.

[1] MARC., VIII, 35. — [2] Vel : Asūhab ; B : Šīhāt ; G : Išūhab vel Ašūhab. — [3] Quae de s. Latsune subsequuntur C omittit. G vero haec sibi propria inserit : « Nocte quadam sancto Palemoni (Balemūn) ad se accedenti solamen attulit culpae in quam ille inciderat, eique testatus est rem condonatam esse. Inimicus scilicet sanctum Palemonem oppugnatum venerat sub specie mulieris, eum ad peccatum committendum alliciens, obtrudensque ei priscorum patrum, qui connubio usi sunt, mentionem ; et, Deo permittente, labavit sancti animus, atque cogitatione in morbum *spiritalem* lapsus est, quo nimirum eius resurrectio clarior esset quam ruina. Unde statim a lapsu expergefactus, agnito inimici consilio, sese multis magnisque addixit religionis exercitationibus, donec in pristinum restitueretur gradum. »

Latṣūn, ubi vidit illius infelicis animam traditam daemonibus, eamque, cui color niger iam offusus, ab illis cruciatam atque igneis verberatam flagris. Postquam vero defunctum sepelierunt humaruntque, recordatus est sanctus humillimam obtestationem et secum reputavit evangelica verba : « Maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amico suo. »[1]

[1] Reliqua relationis de s. Latsune pars in cod. G pluribus sic protenditur : « Puteum invenit arefactum, et desuper cruribus divaricatis stetit per dies quadraginta, Christum Dominum orans pro anima illius infelicis. Ad eum tunc venit angelus, dixitque : « O Anbā Latṣun, ipse te Dominus admonet ne te infelicis illius causa crucies, quia illi non ignoscet. » Tum sanctus lapidi cuius margo instar gladii acuta insedit et per quadraginta dies oculos non clausit, adeo ut, somno deficiente, palpebrae sanguine diffluente turgescerent ; ipse interim Christum Dominum pro illo infelice orabat. Dein, cum se in rupem proiecisset, obiit bifariam diffractus. Dicebat quippe : « Ab hoc consilio non desistam donec Dominum misereat animae illius infelicis. » Dominus vero vitam ei reddidit et angelus eum convenit, haec *iterum* monens : « Noli te vexare, siquidem Dominus illi non ignoscet. » Deinde manus et pedes fune ex fibris colligavit et se ab arbore suspendit, capite deorsum verso ; unde factum est ut, sanguine e naribus et ex ore effluente, animam exhalaret. Et descendens angelus Domini eum solvit, ad vitam revocavit atque sic hortatus est : « Noli te cruciare, neque enim illi condonabitur. » Postea se in mare proiecit, dicens : « Mori pro fratre meo et a crocodilis devorari mihi melius est quam fratris mei animam in gehenna remanere. » Itaque, mari immersus, suffocatione exstinctus est. Sed Christus Dominus eum ad vitam revocavit, eique apparens atque pacem apprecatus, dixit : « O Latṣūn dilecte mi, molestias ac labores suscepisti, et sic dictum illud quod in sacro Evangelio prostat adimplevisti. Equidem per memetipsum iuravi, me illi culpas non condonaturum, neque eum ad lucem vitae admissum iri. At vero propter molestias a te susceptas, illius animam conteram, ita ut neque in inferno detineatur neque vitam videat. » Tum animam ipso iubente ad se adductam Dominus manu sua contrivit, dicens : « Anima *haec* neque ad vitam neque ad mortem. » Sanctus vero humi prostratus Dominum adoravit, gratiasque ei egit quod animam illam ab inferno liberavisset. Postea, die quadam advenit sanctus in urbem cuius incolae quarta hebdomadae feria festum agebant Michaelis *archangeli*, sacram communionem mane accipientes. Quem usum apud eos vigentem reprehendit, afferens ex libris sacris testimonia quibus ostenderet, feria quarta et feria sexta ieiunandum haud secus ac tempore magni quadraginta dierum ieiunii, neque ullam exceptionem admittendam esse nisi aegrotationis causa vel diebus Natalis Christi et Epiphaniae. Illi igitur deinceps *priorem agendi modum* non habuerunt licitum die festo angeli Michaelis. Sanctus Anbā Latṣūn, cursu rite consummato, in senectute decora mortuus, ad Dominum quem amaverat migravit et regnum aeternum cum sanctis consecutus est. — Eius preces et benedictiones nobis adsint, itemque librario misero. Amen. »

* p. 175. Quare sanctus deinceps *non destitit se omni cruciatuum genere affligere, Christo Domino pro anima illius peccatoris supplicans. Christus autem et angeli eius oranti apparebant, commonefacientes veniam *abbati* non concedendam, quia Deus iustus est, qui neque beatitudinem iis tribuit qui non sunt ea digni, neque immeritis tormenta infligit. Cum tamen, multis licet acceptis eiusmodi testimoniis, Dominum pro eodem obsecraret, iussit Dominus animam illius peccatoris pulverem fieri, tum poenarum, tum misericordiae expertem, ac reliquo pulveri similem. Gratias igitur egit sanctus Christo propter clementiam eius et miserationem, eo quod infelicem illum e tormentis eripuerat; dein, cursu consummato et certamine absoluto, in pace quievit.

Eius benedictio et preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies decimus octavus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Damianus, Alexandriae patriarcha. Statum monasticum hic sanctus a teneris erat amplexus in deserto Scete (Šīhāt), et postquam annos sedecim perseveravit decertans et religionis vacans operibus, diaconus ordinatus est in monasterio Abū Iohannis; dein ad monasterium Bānārūn[1], hoc est, monasterium Patrum, ab occidentali Alexandriae parte, se contulit, ubi vitam degit paenitentem ac solitariam. Quo autem tempore Anbā Petrus, constitutus Alexandriae
* p. 176. patriarcha, virum quaerebat *qui secum in cella commoraretur, a quo adiuvaretur et cuius consiliis in negotiis Ecclesiae uteretur, ei commendatus est hic pater; quem, omnium ei suffragante testimonio, arcessivit rogavitque ut secum habitaret. Roganti assensit ille, et vitam omnibus virtutibus ornatam in patriarchae cella deinceps duxit. Defuncto autem patre patriarcha Anbā Petro, unanimi episcoporum ac doctorum suffragio *in defuncti locum* electus, vitae genus instituit undequaque laudandum, assiduam navans operam epistulis conscribendis et disceptationibus, quas in omnes mittebat regiones. Porro erant in deserto sancti Macarii homines haeretici[2] ex secta Malīṭos, qui vinum saepe bibebant ea

[1] B et C : Bābārūn. Utraque forma derivata videtur per corruptionem quandam a graeco πατέρων. — [2] In textu cod. A : ارسين ; B : ارسس ; C رهايس ; G : ارسيس. Quae formae omnes, lexicographis arabicis incognitae, cognatae

nocte qua communionem accepturi erant, causam hanc praetexentes, a Christo — cui sit gloria! — duos discipulis propinatos esse calices : calicem priorem, de quo non dixit : « Hic est sanguis meus », et calicem alterum, de quo dixit : « Hic est sanguis meus. » Illorum errorem peccatumque sanctus Damianus in aperto posuit, ostenditque calicem priorem proprium fuisse paschatis antiqui, quod erat veteris Legis oblatio, canonibus autem prohiberi ne quis quicquam ante communionem gustet. Et pars quidem illorum pravam suam opinionem deposuerunt, eos vero qui oboedire noluerant *Damianus* excommunicavit.

Huius temporibus, in locum Theophili, patriarchae antiocheni, demortui successit vir haereticus, qui in sanctam Trinitatem non credebat, sed praedicabat Deum[1] unum esse, nulla addita exceptione per mentionem attributorum eius essentialium et aeternorum. Cuius litteris sibi redditis perlectisque, pater Damianus tristitia affectus est eo quod Trinitatis non meminerat, imo innuebat eam non esse confitendam. Quod cum graviter ferret, duas scripsit hic pater epistulas, quibus demonstrabat, Deo, etsi unus absque dubio est in substantia et essentia sua, tres tamen inesse qualitates[2] in tribus personis, easque substantiales esse atque aeternas, et eo numero neque plures, neque pauciores. Hanc doctrinam confirmavit *multis sanctorum testimoniis, rationis etiam argumentis, * p. 177. ex quibus sequebatur Deum vitam esse et loquelam substantialem neque alterutram ei unquam defuisse. Ille vero *haereticus*, epistula fidei et gratiae plena sibi reddita, tenebris intellectus et scientiae defectu impeditus ne illius vim sensumque assequeretur, in impietate sua perstitit : ideoque pater *Damianus* ab eius communione se separavit, atque, per annos viginti quibus superstes fuit, prohibuit ne quisquam ex suo grege illius in oratione aut in missa memoriam ageret. Permansit autem pater Damianus annos sex et triginta, epistulas dans ad universum gregem, oves suas custodiens atque exhortationibus refovens; dein in senectute honesta, bona, Deoque grata decessit.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

esse possint nomini graeco αἵρεσις. Nisi quis forte aliquod « Arii » vestigium hic suspicari velit.

[1] Ita ex B ; A : Filium Dei. — [2] C : qualitates substantiales seu essentiales : صفات ذاتية.

MENSIS BAWŪNAH DIES DECIMUS NONUS.

Hodierno die, temporibus Moslemorum, martyrium passus est sanctus Georgius iunior, qui et Mozāḥem appellatur. Huius pater, qui ex Arabum nomadibus erat, uxorem duxit mulierem christianam, ex Damīrah australi oriundam, et ex ea tres suscepit filios, in quorum numero fuit hic sanctus, quem Mozāḥemum vocaverunt. Is, ad ecclesiam cum matre ventitans, instituti christiani capessendi desiderio flagravit, matremque rogavit ut sacra se communione donaret. Quae respondit ei : « Non licet cuiquam ad sacram communionem admitti, nisi baptizatus fuerit et purus » ; frustulum tamen benedictum ex dono[1] ei dedit ; idque expertus suave ac melli in ore suo simile, sibi ipse dixit : « Si buccella haec, quae apud christianos loco panis distribuitur, huiusmodi saporem ori meo praebet, qualis erit communionis sapor ! » Coepit igitur cupiditate christianismi amplectendi *magis* ardere ; et, postquam adulevit uxoremque duxit puellam christianam, huic voluntatem religionis christianae profitendae aperuit, atque eadem suadente ut *in alium locum* se conferret ad baptismum suscipiendum, in desertum se contulit. Verum, consilio evulgato, sibi timens, Dimiāṭam migravit, et, baptismo suscepto, nomen prius Georgii nomine commutavit. A moslemis autem agnitus, apprehensus atque cruciatus, aufugit et se recepit in Saft Abū Torāb, ubi tres annos commoratus est ; et, cum rumor de eo sparsus esset, in Qaṭūr commigravit ac ministerium *ecclesiae sancti Mar Georgii praestitit. Tum Damīram reversus, a moslemis[2], qui de eo audierant, apprehensus est et praefecto traditus, qui custodiae mandatum non tamen, uxore sua christiana obnitente, tormentis addixit. At concurrit plebis[3] multitudo et, ianuam carceris effringentes, captivum verberarunt ac, capite contuso, vitam inter et mortem reliquerunt. Postridie, christiani, qui venerant sepulturi quem mortuum putabant, superstitem reppererunt. Porro testes aderant moslemi[4] eumque ad tribunal pertraxerunt, multa minantes ; sed de sententia non decessit, ideoque eum a malo navis

* p. 178.

[1] Ad litt. : buccellam benedictionis ex dono. — [2] Ex B ; in A nulla moslemorum mentio. — [3] B et G add. : moslemorum. — [4] Ex B.

suspenderunt. Dein iubente iudice demissus est et in carcerem reductus. Adstabat uxor eius, animum ei addens, eum confortans exhortansque ut intime persuasum haberet haec ei propter ipsius peccata obvenire, ne nimirum eum spoliaret inimicus, si se martyribus parem esse gloriaretur. Postea, nocte quadam, apparuit ei angelus Domini, eum confirmans, praedixitque eum postero die capite truncatum iri. Ubi autem illuxit, praefectum convenerunt *populares,* postulantes ut illum decollaret. Qui sivit eundem iis tradi et ab iis ad lubidinem tractari ; quare e carcere eductum decollarunt prope ecclesiam angeli Michaelis, in *urbe* Damīrah. Tum corpus, igne ab illis subiecto, totum illum diem et noctem subsecutam in flamma ardente remansit, neque combustum est ; deinde sarcinis mercium inclusum et in mare proiectum, Deo providente appulsum est ad insulam, ubi a matre, quae rem observabat, exceptum fuit, sepultum ac domi aliquanto tempore absconditum. *Postremo* ecclesiam in Ṭabnuah[1] aedificaverunt, intra quam corpus illud deposuerunt.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Bišāy Anūb[2], cuius nomen significat aurum ad inaurandum. Erat is nobili loco natus, in pago qui Bānānyūs[3] appellatur, ex dioecesi Dimiāṭae, nomenque dederat inter milites Cypriani (Qibryānūs), praefecti atribensis. Christi autem nomen confessus in Atrīb, Antinoen adductus est et coram praefecto Ariānā constitutus, qui multa ei comminatus est, oboedire renuentem magnis affecit tormentis *et tandem iussit caput eius amputari. Tum vero ad eum egressa est ingens civium urbis multitudo, in quorum numero fuit custos ferarum Arianae praefecti, secum ducens duos leones catenis vinctos. Horum alter, catena disrupta, exsiliit et ad sanctum accessit ; atque angelus Domini sanctum dorso leonis impositum et una cum leone volatu abreptum attulit ad urbem Heliopolim, cum sanctus, oculis fascia velatis, nesciret quo adveheretur. Ibi martyrium eius consummatum est.

* p. 179.

Preces eius nos custodiant. Amen.

Eodem die, obitus patris patriarchae Anbā Archelai ('Aršīlā). Cuius preces nos ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

[1] B : Tanbuah. — [2] C : Mabišāy Anbūb ; D : Bšā Yānūb. — [3] B : Bābānūs ; C : Tānūs ; G : Bāyāyūs.

Mensis Bawūnah dies vigesimus.

Hodie ad requiem admissus est propheta magnus Eliseus. Hic *vir* iustus originem ducebat ex quodam Israelitarum pago qui ʿAlmūt vocabatur. Patrem habuit cui nomen Iosaphat (Yūšāfaṭ), et natus est in Galgala (el-Ğalğāl). Porro Eliae prophetae famulatus est, eique verbo audiens quam maxime erat; et quo tempore Elias in caelum ascendit, cum eo ad Iordanem perrexit, atque Elia ipsum sic affante: « Pete a me quodcumque volueris », nihil ab eo petivit ex possessionibus ac thesauris huius mundi, sed dixit: « Spiritus qui in te est, et mihi insit, isque duplo maior »; quod revera factum: illi quippe supervenit spiritus Eliae duplo maior. Unde et mare divisit et id *ita* traiecit. Iter facienti per quendam pagum huius incolae conquesti sunt aquas suas salsas esse neque ullam *idcirco* plantam germinare; ipse vero salem e vasculo acceptum proiecit in fontem, et fontis aqua dulcis facta est. Sale autem adhibito voluit miraculi magnitudinem ostendere, siquidem sale salsugini occurrit. — Cum iuxta adulescentulos ex Israelitis transiret iique transeuntem irrisissent, eis maledixit, et lupi duos et quadraginta ex illis una hora devorarunt. —*Apud eum questa est cuiusdam prophetae uxor, maritum suum obiisse aere alieno gravatum et huius causa filios apprehensos fuisse; cui praecepit ut omnia domus suae vasa et alia quae a vicinis mutuata esset impleret aqua, atque hanc oratione sua in oleum purum convertit, quo vendito illa creditoribus satisfecit.— Mulieri sterili bene precatus est, et filio est donata, atque hunc, postquam adulevit, aegrotavit ac decessit, orando revocavit ad vitam. — Naaman Syri ad se venientis lepram[1] sanavit, neque ab offerente divitias multas vestesque deauratas quicquam accepit; sed servo suo, qui ausus erat ab eodem aliquid magistro inconsulto inscioque accipere, propheta, ea de re a Spiritu certior factus, maledixit, indeque ille leprosus evasit cum filiis et universis posteris. — Famem et penuriam gravem in vitae commoditatem summam uno die convertit, ac multa alia miracula edidit. Postquam vita functus est et in sepulcro depositus, quidam forte super eum

[1] Ex B; A: morbum.

hominem mortuum[1] a se allatum deposuerunt, et revixit qui erat mortuus, surgensque ac familiares secutus, domum cum iis rediit. Prophetae munus *Eliseus* gessit temporibus quattuor regum, qui sunt Ioram, Ochozias (ʾAḥāzyā), ʿAyālyā, filius Aḥāz[2], et Ioas (Yūāš), filius Ochoziae; et in munere illo annos plures quam quinquaginta versatus, adventum Messiae annis prope octingentis praecessit, et in pace quievit.

Eius benedictio precesque nobis in aeternum adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies vigesimus primus.

Hodie, commemoratio dominae purissimae, Matris Dei, per quam salus Adamo ac posteris eius contigit, itemque aedificationis ecclesiarum illius nomine dicatarum in universo mundo, atque imprimis ecclesiae quae temporibus apostolorum constructa est. Paulus nimirum et Barnabas, evangelio praedicato in gentibus hisque eorum opera ad fidem adductis, cum ad sacram communionem celebrandam alium locum non haberent quam *fidelium* domos, nuntio ad Petrum et Iohannem misso rogaverunt ut sibi liceret ecclesias aedificare. Responderunt illi, nihil iis faciendum nisi de Christi Domini consilio, *sed plebi indicendum unius hebdomadae ieiunium cum oratione et supplicatione, ut quid esset agendum Dominus revelaret. Itaque plebi ieiunium unius hebdomadae cum precibus indixerunt, quo absoluto, venit Christus Dominus et eius opera advenerunt apostoli universi, ex omnibus regionibus nube advecti, in urbem Philippos[3], ubi Paulus et Barnabas morabantur. Adstantibus Dominus benedixit revelavitque, sibi eo ipso die visum esse ut ecclesiae nomine matris suae dicatae aedificarentur. Dein eductis ad locum ab oriente urbis situm aedificandi rationem ac modum praescripsit, et Dominus iis ita adfuit ut lapides in eorum manibus levigarentur donec ecclesiae vasa, altaria et vestes perfecissent. Tum vero Dominus Petrum, manu ei imposita, summum orbis sacerdotem constituit, *vocibus* caelestibus et terrestribus ter conclamantibus: « Dignus, dignus, dignus *est* »; exinde iussit sacrum ab iis fieri,

[1] Ex B; lectioni cod. A (بيت) nulla significatio subesse potest. — [2] Sic A, absone; B et G: ʿAtālyā, mater Aḥāz (immo Ochoziae). — [3] Arab.: Fīlibāyis (?).

plebem ad communionem admitti, fidelesque moneri ne quis operi manuum vacaret hodierno die, qui est mensis bawūnah dies vigesimus primus. Denique in caelum ascendit, magna circumdatus gloria, et ex eo tempore coeperunt sancti apostoli ecclesias aedificare nomine Matris Dei dicatas. Simili modo, temporibus Basilii, episcopi Caesareae, ab hoc aedificata est ecclesia nomine Matris Dei hodierno die dicata ; et tum, quaerens episcopus tabulam in qua Virginis imago depingeretur, audivit tabulam apud virum quendam divitem reperiri, isque, *de episcopi desiderio,* nulla tamen huius interiecta petitione, certior factus, noluit rem dare, sed dixit : « Aequius est ut tabula haec filiorum meorum sit », adiectis blasphemiis in divae Virginis ecclesiam. Verum loquendi finem non fecerat cum cecidit repente mortuus. Quare filii eius, timore correpti, Basilium convenerunt, tabulam afferentes cum auro multo et gemmis, eumque rogaverunt ut veniam ipsorum patri peteret. Qui acceptam tabulam pictori tradidit, imaginem celsissimae dominae in ea expressuro ; verum ei noctu apparens purissima Virgo vetuit se in illa tabula, utpote iniuste acquisita, appingi, locumque ei indicavit ubi reperiretur tabula rubra, in qua effigies sua *iam* depicta una cum effigie duarum virginum sibi ab utraque parte adstantium ; quare, ad locum sibi indicatum pergens, *episcopus* inventam tabulam ad ecclesiam cum gaudio attulit. Revelavit etiam *beata Virgo* locum delubri idolorum ubi duae columnae, quibus ante[1] . . . . translatis imago imponenda esset ; et locum petiit columnasque advexit *Basilius,* ac, cum vellent magi eum impedire, eorum conatus Dominus irritos fecit, duae columnae ante . . . . erectae sunt, *et subter eas Deus elicuit aquae fontem, quo quicumque laverint a quibusvis morbis sanantur. Ipsa quoque imago unguentum edidit virtute sanandi aegrotos praeditum. Haec facta sunt die consecrationis ecclesiae, qui est vigesimus primus mensis bawūnah. Accidit vero ut mulier, lavando illa aqua, leprosa fieret. Eam idcirco arcessivit Basilius et ab ea vitae conditionem sciscitatus est. Quae interroganti respondit se, amore mariti sororis suae irretitam, hac veneno de medio sublata, illi nupsisse.

[1] Quaenam ecclesiae pars nomine الاراديون, hic et paulo infra occurente, significetur doctioribus definiendum relinquo.

Tum sanctus : « Tria, inquit, peccata gravia commisisti ; paenitentiam tamen age coram Domino, qui forte tibi ignoscet. » Sed ea ipsa hora, terra discissa est et mulierem absorbuit, eo quod praesumpserat, licet immunda, in ecclesiam sanctae et augustissimae Mariae ingredi. Diei hodierno affixa est commemoratio sanctae dominae Mariae, Matris Dei. Unde ad officium nostrum pertinet ut eidem spiritale celebremus festum, quoniam per eam salus humano generi contigit.

Eius intercessio universis fidelibus adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Timotheus, e Memphide (Miṣro antiqua) oriundus. Erat is in numero militum Ariani, praefecti Antinoes[1] ; et quo tempore praelecta sunt Diocletiani imperatoris decreta, quibus iubebantur omnes idola colere, prosiluit hic sanctus in medium et arrepta decreta discidit, dicens : « Non est Deus, nisi Iesus Christus, Dei vivi Filius. » Audax facinus videns, praefectus in illum irruit ac crine apprehensum in terram proiecit ; tum eum iussit multis caedi verberibus, machinaque compressit, adeo ut caro dilaniaretur. Ille vero clamabat : « O Domine mi, Iesu Christe, adesto mihi ; neque enim quisquam est cui nomen Dei competat, nisi tu, Iesu Christe, Fili Dei vivi. » Quare Dominus, patientiam eius respiciens, angelum suum misit, qui eum ita sanavit ut, in priorem statum restitutus, ad praefectum accesserit, dicens : « Non est Deus, nisi Iesus Christus, Dei vivi Filius. » Praefectus autem eum denuo et comprimendo et suspendendo cruciavit, tum in olla ita coxit ut caro eius aquae instar difflueret, dein extra urbem abiecit. Verum, a Domino suscitatus, ad praefectum rediit, atque innumerae multitudines propter eum in Christum Dominum crediderunt. *Postea, capite truncatus, coronam vitae aeternae in caelesti regno sedibusque lucidis consecutus est.

Eius intercessio nobis omnibus adsit. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater sanctus Kerdanūs[2], Alexandriae patriarcha. Hic pater, manu apostoli Marci baptizatus et sacerdos ordinatus, disciplinas Ecclesiae didicit, et, patre Manīno[3] mortuo, ad principatum apostolicum electus est. In pri-

[1] De Timotheo non alia habet cod. D nisi quae hucusque legis. — [2] B et G : Kerdīs ; F : Kerdatyūs ; (Cerdo). — [3] B C G : Milyūs (rectius Melianus).

matu autem constitutus, rationalem Christi gregem praedicationibus, reprehensionibus atque admonitionibus per annos undecim moderatus est; dein in pace quievit.

Cuius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies vigesimus secundus.

Hodie[1] festum agimus ad commemorandum duos sanctos illustres Cosmam (Qozmān) et Damianum (Damyān), *eorum fratres, item matrem Theodotam (Ṭāudādā), eorundemque miracula in vulgus edita.

Illorum omnium preces nos custodiant, et Domino nostro gloria!

Mensis Bawūnah dies vigesimus tertius.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus ac purus Abānūb, confessor. Fuit hic sanctus monachus egregius in quodam ex monasteriis Aegypti superioris; et temporibus Diocletiani, martyribus plurimis tormenta sustinentibus et suum profundentibus sanguinem, dum volunt *quidam* illorum corpora auferre, venit iis in mentem sanctus Abānūb, eumque adduxerunt ad Arianam ('Aryānā), Antinoes praefectum, qui dixit ei: « Apollini tus adole et istam relinque sectam, *cui nomen dedisti.* » Respondit sanctus: « Absit hoc a me, ut a Domino meo Iesu Christo discedam unquam atque idolis lapideis exhibeam cultum. » Unde, postquam variis tormentorum generibus affectus patientem se in iis exhibuit, a praefecto in Pentapolim relegatus est et ibi in puteum demissus, ubi septem annos remansit, quoad Deus Diocletianum interemit. Tunc regnavit Constantinus, imperator pius, qui, promulgatis decretis de eorum omnium liberatione qui carceribus detinebantur, voluit eos ad se arcessitos, ut benedictionem ab iis aucuparet; dixitque: « Si non omnes adesse possint, at *certe* conveniant eorum primores atque illustrissimi, qui, manibus capiti meo impositis, mihi benedicant, imprimisque illustres illi quattuor,

[1] In cod. D recensio prostat longior, eadem nempe, paucis vocibus mutatis, quam ex aliis codd. edidimus ad diem mensis hatūr 22um, tomo XVIII, p. 149.

qui sunt Zaḫāryūs, ex urbe Ahnās oriundus; Maximiānūs, ex Phaeum (Alfayūm); Aġābī, ex Dahna, et Abānūb, ex urbe Bālānās[1]. » Itaque carceres civitatum circuibat imperatoris nuntius, ut sanctos educeret. Ili vero egrediebantur conclamantes, *Deum collaudantes cantibusque celebrantes. Requisivit autem nuntius Abānūbum; verum Abānūb, ex Pentapoli discedens, se contulerat ad montem Bašlā[2], ubi commoratus est, veste nova indutus. Inventum eum nuntius secum assumpsit, et una ambo navem Antinoen versus conscenderunt; convenientesque christiani, inter quos episcopi quattuor, sanctum Abānūbum apprehensum ordinarunt sacerdotem, licet invitum, tum eo adduxerunt ut sacrum pro populo faceret; et in fine missae dixit: « Hoc sanctum sanctorum; qui sanctus est, is doni sancti particeps fiat; Dominus vobiscum. » Tum Christum Dominum vidit altari insidentem et peccata plebi paenitenti condonantem. Postea sancti, quorum numerus septuaginta duo, iter apparارunt ad imperatorem; instruxerunt autem rhedas triginta sex, ita ut rhedis singulis bini insiderent; et dum per urbem quandam transeunt, in qua virginum asceteria, obviam iis egressae sunt virgines septingentae, coram illis cantantes quoad praeteriissent *viatores*. Hos ad se advenientes cum iussisset imperator et balneo lavare et vestibus novis indui priusquam in suum conspectum introducerentur, ipse sanctus Abānūb nihil *eiusmodi* fecit. Eos subinde ad se admittens imperator ab iis benedictus est, et, vulnera eorum osculatus, eosdem honore affecit, praecepitque ut iis divitiae multae distribuerentur; verum illi renuerunt quicquam accipere, praeter vestes et vasa ecclesiis *destinata*. Denique, ab imperatore dimissi, in regiones suas reversi sunt; et quidem sanctus Abānūb ad monasterium rediit, atque, cursu consummato, quievit et ad Christum migravit.

Omnium preces nobis adsint. Amen.

Mensis Bawūnah dies vigesimus quartus.

Hodie martyrium passus est sanctus Abū Moyses, Niger[3]. Huius vita idcirco admiratione digna quia ipse, iuxta sacri Evangelii mo-

[1] B et D: Bālāas; G: Bālāaus. — [2] B: Baslā; G: Bastalā. — [3] C: Ábū Moyses, colore rubeus, anima splendens.

nitum, regnum caelorum vi ac violentia rapuit. Fuerat nimirum hic sanctus corpore robustus, consiliis audax, comestioni vacans ac potationi, caedibus, *furtis ac libidinibus deditus ; nec quisquam erat qui ei obsistere posset. Fertur et caput ovile comedisse et vini ebibisse utrem ; ac, cum esset mancipium hominum qui solem colebant, ipse, solem saepissime considerans, eum sic alloquebatur : « O sol, si Deus *revera* sis, edoce me. » Dicebat etiam in corde suo : « O Deus quem ignoro, manifesta te mihi. » Audiens autem aliquem affirmantem esse in valle Ḥabīb monachos qui Deum cognoscerent, surrexit et, ense succinctus, desertum petiit, occurritque sancto Isidoro ('Īsīdārūs) presbytero, qui eius aspectu territus est. Testante vero Abū Mose se non venisse nisi ut Dei cognitionem ab iis acciperet, eum *Isidorus* adduxit ad sanctum Macarium (Maqāryūs), a quo ad *virtutem* incitatus, in fide eruditus atque baptizatus, monachus factus est et, in deserto commorans, multis religionis operibus maiore zelo quam sanctorum plurimi se addixit. Satanas eum per cibum, potum aliaque quibus olim deditus fuerat impugnabat, et ipse rem enarrabat Anbā Isidoro, qui eum solabatur eique indicabat quid faciendum esset. Inter varias certaminis ac devotionis eius formas, *haec fuit :* quo tempore senes dormiebant, eorum cellas circuiens, urnas asportatas implebat aqua iisque reponebat, cum aquae fons ab iis procul distaret. Postquam annos multos transegit secum ipse pugnans, ei invidit Satanas, eumque gravi cruris plaga affecit, ulcere *nimirum* molestissimo, quo aegrotans decubuit. Verum ubi advertit Moses hoc ex daemonis impugnatione oriri, mortificationis ac devotionis opera ita adauxit ut corpus ligno combusto simile fieret. Quare Dominus, patientiam eius respiciens, infirmitate sanata, ipsum doloribus atque laboribus levavit ; et, gratia Spiritus sancti sibi infusa fratribusque quingentis ad se confluentibus, horum pater factus, ad gradum presbyteratus electus est. Eius autem coram se adstantis volens patriarcha experimentum capere et virtutem cognoscere, senioribus circumstantibus dixit : « Quisnam nigrum istum huc introduxit ? Pellite eum *foras.* » At ille exivit, intra se dicens : « Aequissime et pro meritis te tractarunt, o homuncule niger et cinereo sordescens colore. » Quare patriarcha revocato manus imposuit dixitque : « O Moses, iam albus evasisti totus. » Quadam die, eum adierunt

senes, aqua ipsum deficiente, eumque viderunt introeuntem *et exeuntem, et tum pluvia decidens cisternam implevit. Quamobrem eum interrogaverunt : « Cur ingrediebaris et egrediebaris ? » Qui respondit : « Domino dixi : Nisi mihi aquam dederis quam servis tuis potandam offeram, undenam mihi suppetet aqua eis propinanda ? » — Factum est ut sanctum Macarium cum senioribus conveniret ; quibus Abū Macarius (Maqār) : « Equidem, ait, unum ex vobis video quem manet corona martyrii. » Tum Abū Moses : « Ille, inquit, forsitan sum ego, quoniam scriptum est : Quicumque occidit gladio, gladio occidetur. » Itaque, Berberis in desertum ingressis, fratribus qui secum erant dixit : « Advenerunt Berberi ; qui igitur ex vobis aufugere voluerit, is fugiat. » At illi : « Tu vero, pater noster, nonne fugis ? » Quibus ipse : « Equidem, inquit, annos iam complures huiusmodi diem exspecto propter Domimi effatum : Quicumque occiderit gladio, gladio occidetur. » Itaque Berberi, cum ingressi fuissent, illum interfecerunt et cum eo septem alios interfecerunt, qui fugere noluerant. Ex iis fuit frater quidam, qui se post parietem [1] absconderat ; is quippe, cum angelum Domini manu gestantem coronam ac se stando exspectantem videret, ad Berberos exivit, a quibus mactatus est. Considerate igitur, fratres, quanta insit paenitentiae vis et quid perfecerit : servum infidelem, occisorem, libidinosum, furem, immutavit effecitque patrem, magistrum, praedicatorem, sacerdotem, regularum monasticarum promulgatorem, cuius memoria in altaribus peragitur. Corpus eius nunc in coenobio Barmūs *asservatur.*

Eius benedictio atque preces nobis adsint. Amen.

MENSIS BAWŪNAH DIES VIGESIMUS QUINTUS.

Hodie martyrium passus est apostolus Iudas, Iosephi filius, unus ex septuaginta discipulis. Is multis urbibus evangelium annuntiavit. In Mesopotamiam ingressus, ibi praedicavit et ecclesiam aedificavit ; tum Edessam se contulit et Abğarum a morbo sanatum baptizavit ; tum in urbem 'Arāṭ ingressus, ibi evangelizavit plurimosque civium baptismo tinxit. Huius vero *urbis* praefectus eum apprehensum acerbe cruciavit ; quippe qui, cum

[1] Vel : in angulo. Vox حصير locum quemvis arctum proprie designat.

pedibus eius soleas clavis affixisset, eum ad mille passuum distantiam pertraxit, dein suspendit et sagittis ita confixit ut spiritum exhalaret. Ad fideles epistulam dederat, inter catholicas septimam, *quae gratiae atque sapientiae plenissima est et qua plurimos tum adhuc superstes, tum vita iam functus, convertit. [* p. 188.]

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater sanctus et pugnator Anbā Petrus, Alexandriae patriarcha. Electus est hic pater postquam, sancto Theodosio (Tāauḍūsyūs) in exsilium misso a Vespasiano ('Asbāsyānūs[1]) imperatore cuius sententiae adhaerere noluerat, sedes aliquandiu vacavit, cum nec per imperatorem nec per vicarios eius alexandrinos liceret patriarcham constituere. Aliquanto tempore lapso, Alexandriae praefecturam adeptus est vir probus, bonus et fidei orthodoxae. Quem adierunt seniores fidelium, conquerentes nullum sibi praeesse patriarcham; iisque auctor fuit ut, in monasterium Vitri (ez-Zuǧāǧ) sub obtentu orandi convenientes, patriarcham sibi praeficerent. Ea gestientes facultate, episcopos assumpserunt una cum hoc patre Anbā Petro, qui sacerdos erat, et, ad monasterium profecti, eum elegerunt, solatium ex eo aucupantes. Tunc autem, et sancto Severo defuncto, sedes antiochena vacabat. Cum igitur audissent fideles antiocheni Anbā Petrum electum esse, constituerunt et ipsi virum fidelem, cui nomen Theophanes; isque et Anbā Petrus, mutuam foventes concordiam, epistulas divinas alter ad alterum dederunt et uterque alterius memoriam egit inter orandum et sacrum faciendum. Neuter tamen potuit in urbem suam ingredi; verum Anbā Petrus in monasterio 'Alfaniah[2], a meridie monasterii Vitri, Theophanes autem in monasterio 'Aftūtyas[3], extra Antiochiam, commorabatur. Tunc temporis circa Alexandriam erant coenobia sexcenta et pagi triginta duo; atque *incolae* universi, praeter christianos alexandrinos, fideles erant atque orthodoxi, sicut et universae provinciae Aegypti atque Aegypti superioris, itemque monachi coenobiorum montis Scete, Aethiopes et Nubae; et hi omnes subiacebant potestati patris Anbā Petri, cui Severus *quoque* suberat[4], et qui impigram navabat operam epistulis conscribendis *et mittendis ad [* p. 189.]

[1] Sic pro « Iustinianus »; cf. p. 191, n. 1. — [2] C et G: 'Anbāniah. — [3] C: 'Aftūtyūs; G: 'Afnūtyās; (corrupt. ex Aftunia). — [4] De Severo silet C.

omnes fideles, ut eos in fide firmaret. Ipse Alexandriae monasteria et pagos lustrabat, *universos* erudiens, exhortans atque confortans. Elegerat discipulum sanctum et doctum nomine Damianum, qui ei in patriarchae munere successit, eoque adiutore utebatur in plebe administranda. Alexandriam autem identidem *secreto* ingrediens, fidelium negotia attente considerabat eosque confortabat. Annos complures[1] perseveravit vitam degens apostolicam, ac dein in pace quievit, fidei formulam manu tenens.

Benedictio precum eius nobis adsit. Amen.

Mensis Bawūnah dies vigesimus sextus.

Hodie ad requiem admissus est propheta magnus Iosue, filius Nun, discipulus Mosis, prophetarum maximi. Perfecta is eminuit oboedientia et in eo habitavit spiritus Mosis prophetae, ac, Mose defuncto, illi Dei iussu traditus est populus; dixitque ei Deus: « Quemadmodum Mosi, servo meo, adfui, ita tibi adero. Confortare igitur, bono animo esto, et legem serva quam Moses, servus meus, inculcavit, ab ea non declinans neque ad dexteram neque ad sinistram; neque discedat liber legis ab ore tuo, sed eum diu noctuque pervolve, ut quaecumque inibi scripta custodias et adimpleas. » Quare Iosue, corde confortatus, duos exploratores Ierichuntem misit; iique, in regionem ingressi, eam exploraverunt et se absconderunt apud Rahab meretricem, a qua agniti sunt et quae morem eis gessit, postquam ei promiserunt se ipsam ipsiusque familiam tuituros, quod revera fecerunt. Ab eodem *Iosue* filii Israel flumen Iordanem traducti sunt, flumenque, eius iussu divisum, immotum muri instar stetit. Expugnavit Ierichuntem, quae septem muris cingebatur, et quidquid in ea *urbe* vita fruebatur, sive homines, sive animalia, occidit; expugnavit item multas urbes, numero triginta duas, regesque duos et triginta occidit, eumque gentes et filii Israel timuerunt, ac timor iste in eorum cordibus accrevit. Gabaonitae autem[2] dolo in eum usi sunt: vestimentis enim veteribus induti et calceis attritis, secum gestantes sacculos et utres scissos atque resartos, *pane instructi [* p. 190.]

[1] B: Duos annos. — [2] In textu arab., tum hoc loco, tum infra, pro جيعون lege جبعون.

sicco macidoque, Iosue adierunt, sic eum alloquentes : « E regione longinqua venimus, a te petituri securitatem et foedus. » Quibus Iosue et seniores filiorum Israel responderunt : « Considerandum num forte sitis ex huius regionis incolis. » At illi : « Ex regione longinqua venimus. » Tum adstantibus cibaria sua mucida ostenderunt, vestesque detritas ; et securitas atque protectio iis cum iuramento promissa ab aliis est. At postquam rescivit Iosue eos loco vicinos esse, dixit eis : « Cur nos decepistis ? » Dein eosdem constituit servos domus Domini. Quinque vero Amorrhaeorum reges, ea de re certiores facti, Gabaonitas aggressi sunt. Qui auxilium a Iosue petierunt, iisque venit auxilio et hostes magna affecit caede, ac quicumque aufugerunt, eos Deus lapidibus grandinis de caelo missis interemit. Cum autem in eo esset sol ut occideret, Iosue coram filiis Israel dixit : « O sol, siste gradum contra Gabaon ; luna, sta supra prata 'Ayālūn[1] » ; et sol stetit et luna remansit quoad Dominus inimicos suos ulcisceretur. *Porro* terram distribuit *Iosue* filiis Israel ; sacerdotibus regiones dedit quas habitarent, simulque agros pecoribus eorum ; assignavit etiam quinque refugii urbes, ut illuc confugerent, quemadmodum praeceperat Deus, quicumque aliquem imprudentes occidissent. Postquam, annos natus decem et centum, ad senectutem bonam pervenit, filios Israel convocatos hortatus est ut praecepta legis servarent, ab iis nunquam recedentes, utque firmi perstarent in famulatu Dei, qui, cum sit Deus zelotypus ac fortissimus, — nam et hoc ille eos admonuit, — eos perditurus esset, si alium ab eo colerent. Deinde in pace quievit ac conditus est in sepulcro quod Iacobus in finibus Neapolis (Nābulos) a filiis Hemor centum ovibus emerat. Eum filii Israel luxerunt magno triginta dierum planctu.

Preces eius atque benedictiones nos ab inimico custodiant. Amen.

Eodem die festo recolimus consecrationem ecclesiae nomine Gabrielis archangeli dicatae et miracula ab eo edita. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

Martyrium Anbā Petri et Anbā Abšāyi. Quorum benedictiones in nos effundantur. Amen.

[1] Sic ex G ; A B C mendose : 'Abālūn. Cf. Ios., x, 12.

*Mensis Bawūnah dies vigesimus septimus. * p. 191.

Hodie ad requiem admissus est sanctus apostolus Ḥananias[1]. *Virum* hunc illustrem praeposuerunt apostoli urbi Damasco episcopum, et in ea evangelium vitae promulgavit. Praedicavit etiam Eleutheropoli (in Beit Gibrayīl[2]), plurimosque ex huius civitatis incolis ad fidem adductos una cum eorundem liberis baptismo tinxit. Paulum quoque apostolum, a Domino ad se missum, baptizavit et manu oculis eius imposita ei visum restituit. Deus eius opera magna miracula patravit, atque praedicatione eius multi ex Iudaeis ac gentilibus crediderunt. Posthac apprehensus est et acerbis affectus cruciatibus a Luciano principe, qui et ambo latera eius nudavit et ardentibus adussit facibus, dein extra urbem eductum lapidari iussit ; et sic ille spiritum exhalavit in manus Christi, pro cuius nomine moriebatur, atque ad perpetuam migravit felicitatem.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Hodie martyrium passus est sanctus Thomas, ex Šindalāt oriundus. Huic sancto, annos undecim nato et dormienti in agro ubi porcos pascebat, apparuit angelus Domini Michael, praecepitque ut iret et nomen Christi confiteretur. Qui igitur descendit, nihil secum nisi flagellum suum asportans, urbem Alexandriam petiit et *Christum* coram praefecto confessus est. Is autem ei proposuit idolorum cultum, pollicitus eum a se scribam assumptum iri. At sanctus iratus educto flagello praefectum multum verberavit. Quare apprehensus est et praelo compressus, tum corpus pectinibus ferreis dilaniatum ; cum vero auxilium Christi Iesu imploraret, hic ad eum misit angelum Domini, a quo sanatus est. Et ubi in carcerem coniectus est, eum custos carceris oravit pro sanitate filii sui aegroti ; cui flagellum commisit, et flagello sibi imposito puerulus convaluit. His rebus auditis, praefectus eum arcessivit eique idola proposuit veneranda, ac sanctus, iocandi et eum irridendi causa, affirmando respondit. Tum praefectus gaudens cum eo in delubrum venit ; eo autem Christum Dominum orante pro idolorum ruina, haec omnia confracta sunt,

[1] B C D : Ḥanānyā ; A : Ḥīnanyā. — [2] G : Ğibrīl.

*p. 192. ac daemon, qui illis inerat, in praefectum irruens, *eum strangulando strinxit atque cruciavit quoad confiteretur alium deum non esse nisi Iesum Christum. Quod videntes turbae conclamaverunt: « Non est Deus, nisi Iesus Christus. » Dein pars incredulorum reliqua *sanctum* carcere detinuerunt dies quindecim absque ullo cibo potuve, angelo Domini eum interim visitante. Tum crucifixus est capite deorsum verso, adeo ut sanguis e naribus effluxerit; sed angelus Domini descendit et salvum eum praestitit; mulier autem, quacum filius caecus, aliquantulum sanguinis sancti oculis pueruli imposuit, isque visum recepit. Posthac *Thomas* carceri iterum mandatus est atque inde eductus, et in eum immissa est leaena, quae tamen accedens illius pedes linxit. Dein os eius fustibus contusum; et cum consortes tormentorum haberet Babnūdam[1] ex el-Bandarā oriundum, et Anba Moysen ex Balkīm, ad patientiam inter se cohortabantur. Dehinc, oleo et pice ferventi in caput eius congestis, eum in ollam[2] immiserunt coxeruntque; tum virilia ei excisa, et ipse compressus est ac suspensus, lapide ad collum alligato. Postea eum assumpsit Ariānā, Antinoes praefectus, secum Antinoen abducendum, et ad Tuah advenienti caput ibidem amputatum. — Eodem quo ille cruciatus est tempore martyrium subierunt viri septingenti et novem feminae.

Universorum intercessio nos custodiat. Amen.

Mensis Bawūnah dies vigesimus octavus.

Hodie ad requiem admissus est pater patriarcha Anbā Theodosius (Tāawdāsyūs), ex cuius nomine christiani appellati sunt Theodosiani. Patri huic, postquam patriarcha creatus est, infensos se praebuerunt homines perversi, et, viro quodam cui nomen 'Aqāqyānūs[3], archidiacono et ex eorum numero qui Theodosii iustificationi subscripserant, abutentes, eum patriarcham con-*p. 193. stituerunt, *hoc patre Theodosio expulso in urbem Ḫarismānūs[4], ubi tres menses commoratus est. Eum autem pater Severus, qui erat tunc temporis in Aegypto, consolabatur, in memoriam

[1] Ex B et F; A: Bīnūdah. — [2] Ex B; A vasis nomen omittit. — [3] Sic A, hic et infra; bis tamen: 'Aqāqyūs. B, hic: 'Afyāfyānūs, infra vero: 'Afāfyānūs; C: 'Afāfyānūs; G non sibi constat; (corruptiones pro « Gaianus »). — [4] C: Ǧarǧamānūs; G': 'Aḫrīsmānūs.

ei revocans quae pertulerint apostoli et Iohannes Chrysostomus. Dein ad *civitatem* Melīg se contulit ibique biennium degit. Porro urbis *Alexandriae* incolis in praefectum insurgentibus suumque expetentibus pastorem, Theodosium reduxit ille, Acacio (Aqāqyūs) amoto. Cuius rei fama perlata ad Yusṭāsiānum[1] imperatorem atque ad imperatricem Dei amantem Theodoram, scripsit haec, praecipiens ut ille *in munere* confirmaretur qui prior fuisset, et, concilio ea de re adunato, centum et viginti sacerdotes subscriptione testati sunt Anbā Theodosium priorem fuisse. Acacius autem in publicum prodiit coram universo populo et dixit: « Equidem praevaricator sum; sed nihil feci nisi incitatus ab hominibus perversis[2]. » Tunc, omnibus patriarcham rogantibus ut Acacium anathemate absolutum reciperet, ea tamen lege ut neque sacerdotio fungeretur neque diaconatu, eum absolvit recepitque. Imperator vero, qui a recta fide aberrabat, cum persuasum haberet patriarcham doctrinae suae, imperatore id exoptante, adhaesurum, ducibus suis epistulam dedit, haec iisdem mandans: « Si patriarcha Theodosius nobiscum in re fidei sentiat, ei praeter patriarchatum, attribuatur praefectura, sitque ipse Alexandriae iudex; sin vero nobis non consentiat, e civitate pellatur. » Quod audiens pater patriarcha dixit: « Ita Christum Dominum allocutus est Satanas: Omnia regna mundi tibi dabo, si cadens adoraveris me. » Tum, ex urbe egressus, Aegyptum superiorem petiit, ibique aliquandiu mansit, fideles confirmans. Imperatore tamen per nuntium, illius callide decipiendi causa missum, testante optare se ut congrederentur et expetere illius consilium atque benedictionem, Constantinopolim profectus est. *Cui patriarcha, universus *p. 194. populus atque exercitus obviam egressi, magno cum honore eum introduxerunt. Imperator quoque et imperatrix ei occurrerunt eumque summo loco considere iusserunt. Dein colloquium inter eos habitum, imperatore per multos dies insistente blandimentis ac seducendi conatibus, ipso *Theodosio* contra illum confutante ex Libris sacris et Patrum doctrina. Eum igitur imperator, cum ad consensum pertrahere non potuisset, e sede expulit in Aegyptum superiorem, et in locum eius virum suffecit nomine Paulum. At vero Paulum advenientem Alexandriam

[1] Sic; intellege Iustinianum. — [2] B addit: qui patriarchae invidebant.

cives non receperunt, et annus lapsus est, nemine, praeter paucos quosdam, sacram communionem e manu illius recipiente. Ea re audita, imperator praecepit ecclesias universas claudi quoad patriarchae oboediretur. Christiani *tunc* extra urbem egrediebantur et ecclesiam adibant quam nomine sancti Marci exstruxerant, itemque alteram nomine Abū Cosmae (Qozmān) dicatam, atque in iis sacrum faciebant et infantes baptizabant. Quod ubi rescivit imperator, iussit ecclesias aperiri; et *huius rei* certior factus, Anbā Theodosius, quia timebat ne fideles imperator ad se pelliceret, epistulam ad eos dedit consolationis plenam, qua eos in fide orthodoxa confirmabat, praemonebatque ne illi heterodoxo morem gererent. In Aegypto superiore exsul annos octo et viginti remansit, et in urbe Alexandria quattuor degit annos; fueruntque patriarchatus eius anni omnino duo et triginta. Eo temporis spatio[1], disputationes et tractatus multos conscripsit; et fideles aegyptii deinceps Theodosiani semper vocati sunt, id est Theodosii assectatores, usque ad patrem Iacobum, post quem Iacobitae dicti fuere.

Eius preces benedictionesque nos ab inimico custodiant. Amen.

MENSIS BAWŪNAH DIES VIGESIMUS NONUS.

Hodie martyrium passi sunt septem sancti anachoretae ex monte Tūnah, qui sunt[2]: *p. 195. *Anbā Bāysīdī[3], Anbā Kūtlas[4], Anbā Ardāmā[5], Anbā Musa, Anbā 'Asī[6], Anbā Bāriklās et monachus alius cui nomen Kūtlās[7]. Anbā Bāysīdī, qui sacerdos erat, et Kutlas, per angelum Domini sibi apparentem iussi nomen Christi manifestare, statimque iter ingressi ut praefectum adirent, navigium invenerunt in quo quinque eremitae[8], et omnes communi consilio statuerunt sanguinem pro nomine Christi profundere. Cum igitur preces una fudissent, egressi coram praefecto prodierunt[9], quem sacerdos Anbā Bāsīdī compellavit atque aperte increpavit,

[1] Ex B; A: In illa urbe. — [2] Cod. D nihil praeter nominum enumerationem continet. Haec autem admodum varia est in codd.— [3] B: Nāysidī; C: Bāšīdī; E: 'Absādī; G: Bāsādi. — [4] E et G: Bāriklās. — [5] B: 'Arādāmā; C: 'Arādamā. — [6] B C D E: Īsī. — [7] B C D E: Kūtlas; G: Kāwutlas. — [8] B: illi quinque eremitae; C: quinque illi *alii viri* quos memoravimus. — [9] B: nomen Domini Iesu Christi confessi sunt.

tum interroganti quaenam esset patria respondit se et socios ex Tunah originem ducere. Itaque iussit ille eos in custodiam tradi; dein e custodia eductos cruciavit; subinde praecepit ut, lapidibus ad colla alligatis, proicerentur in carcerem, ubi Christus Dominus iis apparuit, eos confortavit et ad patientiam promissione regni incitavit. Posthac eos praefectus Alexandriam misit et diris *ibi* affecti sunt tormentis; demissi sunt in ollas sulfure ac pice impletas, igne subiecto atque ita accenso et concitato ut flamma viginti cubitorum altitudinem attingeret; et exinde extracti verberibus caesi sunt. Sed a Christo Domino, qui iis apparuit, sanati, surrexerunt et ad praefectum convenientes fidem palam confessi sunt. Quos cum coram se sanatos viderent, centum et triginta homines crediderunt et martyrium una eademque die passi sunt. Ad sanctos autem anachoretas, eorum cruciatibus ingeminatis, allatum est Apollinis simulacrum, ipsique iussi id adorare; idem vero, ab iis repulsum, e basi decidit et confractum est. Quare iussit praefectus eorum pedes praecidi. Sed sacerdos *insuper* capite truncatus est, et simili modo quinque *alii* post eum; Kūtlas autem igne crematus est; et *ita* universi coronam vitae in regno caelorum adepti sunt.

Benedictiones precum eorum nobis suffragentur. Amen.

*Eodem die martyrium passi sunt sancti Abā Hūr et Anbā *p. 196. Abšāy cum sua matre Dīdrā[1]. Abā Hūr, qui miles erat ex antiocheno exercitu, Alexandriam venit et, Christum Dominum confessus, iussus est manu dextra truncari. Tum fune ex fibris confecto tauro alligatus est et per urbem tractus; laminae ferri calefacti ei impositae; manus eius altera amputata; plumbum *liquefactum* gutturi infusum; corpus proiectum in foveam viperarum plenam, quae tamen nihil ei nocuerunt; dein baculo eum verberarunt. Ipse vero in singulis tormentis Christum Dominum invocabat, et Christus Dominus confortabat eum, robore augebat atque in *pristinam* restituebat condicionem. Dum in eo statu versatur, ad eum venit Dīdrā mater, et quae ad ipsum spectabant sciscitata, certamine eius laetata est. Huius autem adventum ad praefectum detulerunt; qui arcessitae idola colenda, minis adiectis, proposuit, et, cum timore nihil moveretur, iussit ungues

[1] B: Nidrā; D: Dinda.

ferreos calefactos lateribus eius apponi. Quod ubi factum, gestire coepit, Domini laudes iubilando cantandoque praedicare eo quod digna haberetur tormentis pro sanctissimo eius nomine sustinendis, quoad spiritu emisso coronam vitae consecuta est. Postea in olla magna olei et picis pineae liquidae plena sanctum concoxerunt; qui in medio mixturae bullientis Dei laudes, cuiusvis doloris expers, celebrabat. Rem ad se relatam admiratus, praefectus anceps dubiusque haesit; tum, ira succensus, venit ipse ut factum oculis usurparet; manu autem gestabat lanceam, qua sancti pectus transverberavit, isque spiritum emisit, corona redimitus martyrii.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die festo recolimus consecrationem ecclesiae nomine angeli Sūriālis dicatae. Cuius benedictiones in nos effundantur. Amen.

MENSIS BAWŪNAH DIES TRIGESIMUS.

Dies hodiernus natalis est sancti Iohannis Baptistae, illius nempe quo maiorem mulieres non pepererunt, qui Christum laudavit atque adoravit, utroque adhuc alvo materna concluso, *p. 197. *et dignus habitus est qui manum capiti Filii Dei imponeret. In sacro evangelio legimus[1] : « Ubi Elisabeth impletum est tempus pariendi, filium peperit; audientesque vicini ac cognati eius Dominum se ei misericordissimum praebuisse, congratulati sunt ei. Die autem octavo convenerunt pueri circumcidendi causa, et vocabant eum nomine patris eius Zachariam. Tum mater[2] : Nequaquam; sed vocate eum Iohannem. Qui dixerunt : Nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Itaque patrem nutibus interrogarunt, quod nomen infanti inditum vellet, illeque scripsit : Iohannes est nomen eius. » — Atque illico os patris apertum est et, lingua, quae muta fuerat, vinculis expedita, Deum laudavit, deque filio vaticinatus est, hunc *nempe* prophetam Altissimi appellatum iri et ante faciem Domini incessurum ad viam ei praeparandam. Puerulo autem duorum annorum aetatem assecuto magisque *in Iudaeam* advenientibus et Herode infantes

[1] Luc., I, 57 sqq. — [2] Ex B; A, mendose : matri eius (ﻷمه).

occidente, de hoc propheta detractum est. Quare expetitum a militibus, ut eum interficerent, pater Zacharias humero imponens asportavit, milites deprecatus ut secum venirent ad locum in quo eum ipse deponeret iique eundem sibi sumerent. Cum eo igitur venerunt quoad, templum ingressus, puerulo in ala templi deposito, comitantibus dixit : « Ex hoc loco eum mihi commendatum accepi. » Angelus vero abreptum detulit in deserto ez-Zīfanā[1]. Quem cum iam non viderent milites, ira incensi propter modum quo effugerat, Zachariam patrem eius interemerunt. Ipse autem propheta Baptista in *illo* remansit deserto quoad a Deo iusus est in desertum Iordanis venire Christumque annuntiare et coram omnibus manifestare, quemadmodum de eo praedixerat *Malachias, *p. 198. ipsum *scilicet* fore angelum qui Salvatorem hominibus praenuntiaret. Et revera angelis sane similis fuit, siquidem[2] Spiritu sancto repletus fuit in utero matris adhuc clausus; in deserto habitavit, a pane comedendo abstinens toto vitae suae tempore, prout de eo testatus est Christus Dominus; neque vinum bibit neque rem habuit cum femina; nullum peccatum, sive magnum, sive parvum, ei unquam imputatum; Christum annuntiavit et vidit Spiritum sanctum descendentem in eum, ac *denique* martyr obiit. Vere igitur affirmavit Dominus inter natos mulierum neminem surrexisse illo maiorem.

Eius intercessio nos in aeternum custodiat. Amen.

Explicit mensis bawūnah. Deo gratias, cuius misericordia in perpetua saecula omnia nos custodiat. Amen, amen, amen.

[1] F : Ez-Zīfānyā. — [2] Ex B et F; A particulam causalem omittit.

* p. 199. *IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, DEI UNIUS.

MENSIS ABĪB, QUI SIT NOBIS BENEDICTUS.

HUIUS MENSIS DIES PRIMUS.

Hodie martyrium passa est sancta monacha et virgo 'Afrūnyah[1]. Haec sancta se Christo ab infantia tradidit. Ei avuncula erat nomine Auryānā[2], monasterio quinquaginta virginum in Mesopotamia[3] praeposita, a qua in timore Dei educata est et lectionem sanctorum divinorumque Librorum edocta. Bonum decertabat certamen in paenitentiae religiosae exercitiis, singulis biduis ieiunans et plurimas fundens preces. Erat haec sancta formae pulcherrimae. Postquam autem Diocletiani decreta de colendis idolis edita sunt et christiani multi apprehensi ac martyrium passi, his rebus auditis, virgines timuerunt et, e monasterio egressae, se absconderunt, inibi non remanentibus nisi hac sancta, praeposita et alia quadam sorore. Postridie legati imperatoris, ad coenobium advenientes, praepositam apprehensam contumeliis affecerunt et virgines reliquas ab ea requisierunt. Quibus tunc Afrūnyah : « Me, inquit, sumite, et anum hanc dimittite. » Eam igitur apprehensam et catenis ligatam ad urbem adduxerunt. Erat autem *tunc* annos viginti nata, eamque mater sequebatur flens. Coram se adstantem praefectus percontatus est de sororibus, tum idola veneranda ei proposuit, additis multarum mercedum pollicitationibus, et non oboedientem iussit fuste verberari ; dein praecepit ut veste eius discerpta corpus nudaretur. Unde *tyranno* * p. 200. conviciata est mater, dicens : « Te dissecet Dominus, *impie, qui vis puellam hanc orphanam pudore suffusam. » Itaque praefectus iratus iussit sanctam Afrunyam equuleo impositam et alligatam pectinibus ferreis pecti, quod ita factum ut corpus minutim dilaniaretur, ipsa Dominum interea orante et eius implorante auxilium. Dehinc lingua ei praecisa, dentes confracti, membra amputata atque igni tradita; verum Christus Dominus eam confortabat et restituebat incolumem. Praefectus vero, cum anceps anxiusque

[1] B : 'Afqarūnyah ; D et F : Faqrūnyah ; E : Farūnyah ; G : Qafrūnyah. (Eadem quae Febronia ?) — [2] Vel : Ūryānā. — [3] Ad litt. : inter duo flumina.

haereret de modo eam cruciandi[1], praecepit ut trucidaretur, et *trucidata* martyrii obtinuit coronam. Vir autem aderat fidelis et dives, qui membra sanctae sustulit atque linteaminibus sericis prius involuta in capsa aurea deposuit.

Eius benedictiones nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem admissi sunt duo sancti athletae ac sacerdotes Biūḫā et Tayāban[2]. Praeerant hi, sacerdotio fungentes, ecclesiae Tūnae, quae est in territorio Tandae, germanique erant ; eorum pater, vir admodum probus, ministerio oeconomi[3] in ecclesia fungebatur. Duo autem fratres perfecta eminebant sanctitate, et Deus eorum manibus miracula magna et prodigia patrabat in sanandis aegrotis, quos quidem illi aqua putei ecclesiae tingebant et *ita* incolumitate donabant. Imminente tempore obitus patris, sacerdos Tabāyan[4] forte sacerdotales induerat vestes et altare conscenderat ad sacrum faciendum, cum ei nuntiatum est patrem in eo esse ut moreretur et ipsum a morituro advocari. Itaque respondit : « Vestes sacerdotales exuere non licet priusquam sacrum absolverim ; quod si vult Dominus illum adhuc ante mortem a me videri, ea re laetabor ; sin minus, fiat Domini voluntas » ; et patri ter eodem modo vocanti, ter idem dedit responsum. Missa vero absoluta, repperit patrem iam exspiravisse, et magno maerore affectus est, quia ecclesiae vasorum apud illum depositorum ipse locum ignorabat. Quare ei persuasit Biūḫā frater ut, ad montem Scete (Šīhāt) se conferens, sanctos seniores de vasis ecclesiae interrogaret. Illuc igitur profectus, patri Danieli archipresbytero occurrit, cui totam adventus sui causam pandit, isque ei virum indicavit *sanctum qui rem cuius gratia venerat ipsi * p. 201. revelaret ; atque illum adiit et ab eo edoctus est. Posthac duo sancti *fratres* vitam egerunt omni virtute ac perfectione insignem.

Eorum preces nobis adsint. Amen.

Solebant ea aetate fideles reliquias sacri corporis *Christi* auferre ac seponere, morientium, aegrotorum vel cuiusvis necessitatis gratia. Accidit autem ut serpens, arcam ingressus, eaque

[1] Ad litt. : de eius negotio. — [2] B : Biūḫā et Banāyīn ; C : Niūfā et Banāyin ; D : Biūḫa et Banyāyin ; F : Niūqā et Niyāyīn ; G : Biūḫa et Banābin. — [3] Vocis اقنوم sensum ex contexta oratione et ex similitudine cum nomine graeco οἰκονόμος coniciens elicio. — [4] Sic, de eodem qui supra Tayāban nuncupatur.

aperta foramine quo se reciperet in parietem, quidquid in arca reliquum erat devoraret. Quod ubi noverunt *duo* sancti, facto dolentes, serpente interfecto, inter se consultarunt[1] num serpentem propter sacrum corpus comederent. Deum igitur orantibus ut indicaret utrum res foret ipsi grata apparuit angelus Domini, qui significavit id faciendum. Quare acceptum serpentem absumpserunt ac subinde mortui sunt. Vitam autem eorum et quid postremo egissent revelavit Deus sanctae cuidam virgini monachae, quae idem fidelibus omnibus notum fecit; et super amborum corpora pulchram aedificarunt ecclesiam, atque ex iis prodigia prodierunt miraculaque plurima, quae in eorum Vita memorantur.

Eorum preces nobis adsint. Amen.

MENSIS ABĪB DIES SECUNDUS.

Hodie ad requiem admissus est discipulus sanctus Thaddaeus, unus ex duodecim apostolis maioribus. Hic apostolus, a Domino electus, collegio duodenario adnumeratus est, ac dein, gratia Paracleti roboratus, orbem circumiens, *evangelio* ibi praedicato multos ex Iudaeis et ex gentibus ad cognitionem Dei, qui eos creavit, reduxit atque baptizavit. Deinde in fines Syriae ingressus est, ubi praedicavit, et homines multi eius opera crediderunt. Cum a Iudaeis, tum ab ethnicis contumelias et tormenta plurima sustinuit; dein mortuus est in pace.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

* p. 202.

*MENSIS ABĪB DIES TERTIUS.

Hodie ad requiem admissus est pater Anbā Cyrillus, columna religionis, Ecclesiae orthodoxae lucerna, patriarcha urbis Alexandriae. Educatus fuit hic sanctus apud avunculum suum Anbā Theophilum, suum in sede patriarchali alexandrina antecessorem. Ab hoc primum in monasterium sancti Abū Macarii missus, *ibi* scientiis divinis operam dedit et quinque annorum spatio libros sacros memoriter didicit, ea a Domino donatus gratia eoque mentis acumine ut, si quem librum semel legisset, eundem memo-

[1] Sic, legendo تشاوروا pro اشتوروا.

ria teneret. Deinde commissus patri Serapioni, episcopo eximio, ampliorem acquisivit sapientiam et in rebus egregiis se exercitavit. Ubi autem *tirocinium* recte complevit, a Serapione remissus est ad aedes patriarchales *alexandrinas*, et Anbā Theophilus magnopere gavisus est gratiasque Deo egit eo quod eiusmodi filium sibi dedisset. Quare ei mandavit munus in suis aedibus praelegendi, et quotiens *Cyrillus* praelegebat, nemo erat qui eum tacere optaret. Defuncto patre Anbā Theophilo, patrem hunc in eius locum suffecerunt, et scientia eius collustrata est Ecclesia. Cum Nestorius, patriarcha constantinopolitanus impie defecisset[1], coacto adversus eum in urbem Ephesum ducentorum episcoporum concilio temporibus Theodosii imperatoris, hic pater, concilio praesidens, cum Nestorio disputavit, eum impugnavit vicitque, impietatem eius manifestam fecit, ac nolentem resipiscere excommunicavit, anathematizavit et e sede expulit. Duodecim capita exaravit, quibus fidem exponebat, et postea conscripsit disputationes et epistulas quae usque nunc in manibus sunt fidelium. Probavit Deum Verbum esse unam naturam et personam unam incarnatam, excommunicatis omnibus qui Christum dividerent vel ab illa sententia discederent. Cursu consummato, paulisper aegrotavit et in pace quievit, sede potitus annos duos et triginta.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater eximius Caelestinus, papa Romae. Discipulus fuerat Innocentii (Yūnākindīs)[2], qui moriens suasit ut hic pater sibi eligeretur successor, eum autem ita hortatus est: « Cautus esto, fili mi; necesse est enim ut lupi rapaces Romae saeviant. » Itaque Innocentio mortuo, * patrem hunc in locum eius suffecerunt. Imperator tunc[3] erat Honorius, cui defuncto successit Iulianus[4]. Is autem, radicitus haereticus, volebat, Caelestino detruso, Nestorium constituere Romae patriarcham. Verum Nestorio a plebe urbis expulso, mansit malevolentia in sanctum *Caelestinum* cordi imperatoris infixa. Quare sanctus, in unum ex monasteriis quae Pentapoli vicina erant se recipiens, ibi aliquandiu commoratus est, Deo miracula multa manibus eius

* p. 203

[1] Ex B et G; A: كبر i. e. magnus fuit, superbivit (?) — [2] Intellege « Bonifacii ». — [3] Vel: ibi (?) — [4] Ex B C D G, qui textum cod. A hiantem supplent. Intellege « Valentinianum ».

patrante. Cum imperator ad bellum egressus esset, sancto Caelestino in visione nocturna quidam[1] apparuit, qui, pacem apprecatus, dixit ei : « Surge, perge Antiochiam, ad sanctum Demetrium patriarcham, et apud eum remane[2] ; imperator enim animo constituit te, postquam e bello redierit, interficere. » Itaque ubi experrectus est, a coenobio discessit, duobus fratribus comitantibus, et, Antiochiam veniens, sancto Demetrio, quem aegrotantem repperit, exposuit quaecumque ab imperatore expertus erat, et apud eum in quodam monasterio commoratus est. Imperatori vero sancti Ignatius et Innocentius (Yūnākindyūs), patriarchae romani, apparuerunt cum alio, cuius aspectus admodum tremendus et qui eum sic compellavit : « Cur horum *virorum* urbem patriarcha destitutam relinquis ? Ecce Dominus animam tuam a te avellet et manu inimici tui trucidaberis. » Tum imperator : « Domine mi, quid mihi faciendum ? » At illi : « Credisne in Filium Dei ? » Et affirmando : « Credo », ait. Reposuerunt : « Nuntio igitur ad filium nostrum misso, reduc eum ad sedem suam. » Quare ut evigilavit, timore perculsus, litteras dedit ad Demetrium, patriarcham antiochenum, quibus et veniam ab eo petebat, et eum rogabat ut legatis suis locum commorationis Caelestini indicaret, atque exsulem ad sedem revocabat. Legati igitur profecti sunt et inventum sanctum Caelestinum Romam, in locum suum, magno cum honore reduxerunt, atque eidem populus, ingenti exsultans gaudio, obviam venit. Imperator quoque e bello rediit incolumis atque victor, et quievit Ecclesia. At vero quando Nestorius blasphemias protulit et concilium adversus eum coactum est, cum non posset *Caelestinus, utpote aegrotans, *concilio* interesse, duos presbyteros misit cum epistula qua illum excommunicabat. Et imperator quidem doctrinae Nestorii adhaerebat, verum patriarcham timebat. Quo autem tempore Caelestinus ex hoc mundo, Deo volente, migraturus fuit, ei apparuerunt Innocentius et Athanasius, dixeruntque : « Populum tuum *ad bonum* exhortare ; iamiam enim ad nos venturus es, Christo te vocante. » Itaque statim atque evigilavit, plebem adhortatus est, dicens : « Dubium non est quin lupi rapaces civitatem hanc ingressuri sint. » Deinde subiunxit : « Eia, proficiscar, quia me et duos alios, Cyrillum

* p. 204.

[1] B, C et G : angelus Raphael. — [2] Ita ex B, C et G ; A : remansit.

nempe, patriarcham alexandrinum, et Lucium (Lūqyās), episcopum Īlān, ex hoc mundo hac ipsa hora egressuros, sancti requirunt. » Quibus dictis, in pace quievit.

Benedictio precum eius nos custodiat. Amen.

Mensis abīb dies quartus.

Hodie festum agimus translationis ossium duorum sanctorum Abū Qīri et Iohannis. Cum scilicet duo sancti martyrium passi essent die sexto mensis amšīr, eorum corpora furtim ablata fideles deposuerunt in ecclesia sancti Marci evangelistae, quae ab austro Alexandriae sita est, ibique reposita manserunt usque ad tempora Cyrilli, patriarchae alexandrini. Huic autem angelus Domini apparuit praecepitque ut ecclesiam Marci adiret atque inde corpora asportaret Abū Qīri et Iohannis. Illuc igitur, multitudine plebis stipatus, se contulit, et, precibus praemissis, locum *sepulcri* foderunt, retectamque arcam qua corpora continebantur magno cum honore attulerunt ad alteram sancti Marci ecclesiam, in littore maris sitam, ibique deposuerunt corpora, quibus ecclesiam eodem loco aedificarunt, festum iisdem instituentes praesenti diei affixum. Porro iuxta ecclesiam erat idolorum delubrum in quo festum celebrabatur solemne et ad quod conveniebant multi infideles. Ili, cum viderent prodigia ex corporibus sanctorum Abū Qīri et Iohannis prodeuntia, delubrum deseruerunt atque, impietatem suam abnegantes, facti sunt christiani ; *delubrum autem arena vento congesta ita obrutum est ut ingens evaserit tumulus.

* p. 205.

Amborum intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis abīb dies quintus.

Hodie martyrium passi sunt duo sancti insignes, discipulorum principes, Petrus et Paulus[1]. Erat Petrus ex Bethsaida, ubi, dum piscatum exercet, electus est a Domino, altero die post ipsius baptismum. Et antea quidem electus fuerat Andreas, frater eius ; at Petrus, ut a Christo electus est, ab eodem est constitutus

[1] C et F : Petrus Ecclesiae caput, simulque rupes et petra, et Paulus, zelo ardens et electus.

discipulorum princeps. Is in ministerio Salvatoris usque ad tempus passionis perseveravit, et cum fide, ardore et zelo praeditus esset, his *dotibus* factus est discipulorum caput. Discipulis enim dubitantibus de Salvatoris natura ac dignitate, aliisque inter eos pronuntiantibus illum esse Eliam, aliis Ieremiam aut unum ex prophetis, ipse *Petrus* quasi ex omnium persona, hanc emisit confessionem : « Tu es Christus, Filius Dei vivi. » Tunc Dominus eum praedicavit beatum ac posuit Ecclesiae petram, ei tradens omnes caelorum claves. Dein, gratia Paracleti corroboratus, conversans inter mundi lupos rationales [1], iisque nomen Christi crucifixi praedicans, tot homines ad fidem convertit ut numerari non possint. Eius manibus Deus innumera et maxima edidit miracula. Duas scripsit epistulas [2], quas ad fideles misit, et Marco dictavit Evangelium cui nomen eiusdem inscriptum. Porro Romam ingressus [3], ibi occurrit Paulo apostolo. Sed postquam, in ea urbe docens ac praedicans, maiorem Romanorum partem ad fidem convertit, apprehensum Nero imperator iussit crucifigi. Qui oravit atque obsecravit ut capite inverso crucifigeretur, existimans, quoniam Dominus capite sursum erecto crucifixus est, decere ipsum capite deorsum verso crucifigi ; et *ita* spiritum emisit in manus Domini. — Paulus vero vir erat Iudaeus, e *tribu Beniamin, [*p. 206.] pharisaeus et filius pharisaei, in lege mosaica eruditus et versatus multum, eiusdem studiosissimus. Eum discipuli et qui horum opera crediderant timebant plurimum, siquidem potestatem et litteras acceperat [4] ut omnes quotquot nomen Christi praedicarent vinculis afficeret. Dum autem, Hierosolyma profectus, cum comitibus iter facit Damascum, circumfulsit eum lux de caelo et, prolapsus facie ad terram conversa, vocem audivit sibi dicentem : « Saule, Saule, cur me oppugnas ? Molestum sane tibi est contra columnam calcitrare. » Tum interroganti : « Quis es tu, Domine ? » responsum datum : « Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu oppugnas. » Dein *a Domino* missus est Damascum ad Hananiam, qui eum baptizavit et oculos eius aperuit ; et, gratia Paracleti repletus, veram fidem promulgavit, ac qui arserat in eo amor zelusque in

[1] C addit : qui lupis mutis nequiores sunt. — [2] Ex B et G : Epistulas scripsit. — [3] A, contra ceterorum codd. auctoritatem : Hierosolymam et Romam ingressus. — [4] C et F add. : a sacerdotibus principibusque Iudaeorum et praefecto.

legem iudaicam duplo maior in legem christianam exarsit. Unde, in medium mundum prodiens, hominibus fidem in Crucifixum praedicavit ; et difficile esset atque operosum ea enarrare quae ab iis passus est : verbera, carceres, vincula, immersiones, errores per deserta, et alia id genus, quorum partem referunt ipsius epistulae et Actus *apostolorum*. Romam *quoque* ingressus, ibi praedicavit atque eius opera multi Romani crediderunt, et ad eos illam dedit epistulam quae prima est epistularum quattuordecim. Postremo eum Nero apprehendit, cruciavit et tradidit decollandum. Dum autem a carnifice abducitur, ei occurrit puella ex Neronis imperatoris propinquis, ab ipso ad fidem adducta. Quae, eum cum carnifice videns, lacrimas fudit ; verum, flentem consolatus, dixit ei : « Commoda mihi velamen tuum, id tibi statim remittam. » Illa, velamine ei commodato, discessit. Postquam autem pervenit *Paulus* *cum carnifice ad locum in quo capita [*p. 207.] amputare consueverant, caput carnifici inclinans, vultum velamine obvolvit, et carnifex collum percussit, vultum relinquens ita obvolutum. Qui, dum ad imperatorem redit, occisionem Pauli nuntiaturus, a puella interrogatus ubinam esset Paulus, respondit ei : « Iacet in loco ubi capita amputantur, et velamen tuum capiti eius circumvolutum. » At illa : « Mentiris, inquit : modo ante me transierunt Paulus et Petrus, vestibus regiis induti, coronas aureas capitibus gestantes, mihique velamen reddiderunt, et en praesto mihi hic adest » ; simulque hoc carnifici et adstantibus ostendit. Isti, rem admirati, in Christum crediderunt. Per manum huius apostoli innumera edidit Deus prodigia atque miracula, adeo ut aegrotos lectis imponerent iuxta viam qua Paulus transiturus erat, ut ipsius umbra eos attingente sanarentur.

Horum duorum apostolorum preces atque intercessio nobis adsint. Amen.

Mensis Abīb dies sextus.

Hodie martyrium passus est apostolus Ulīmīnās [1], qui cognominatus est Paulus. Hic sanctus, unus e collegio septuagenario, discipulis famulatus est et praedicationi evangelicae operam dedit.

[1] B : Ūlīmtyās ; C et F : Ūlīmās ; D : Ūlīmnās ; E : Ūlīmyās ; G : Ūlītmyās.

Quasdam Petri apostoli epistulas detulit, ei adversa patienti ministravit, cum eo passus est et, Romam cum eo ingressus, evangelium praedicavit, fidei promulgavit doctrinam et multos homines convertit. Postquam magnus ille apostolus Petrus martyrium subiit, venit hic apostolus *Ulīmīnās* et illum e cruce demissum atque pretiosis involutum linteaminibus in domo unius ex fidelibus deposuit. Accusatus autem apud Neronem imperatorem quod esset e numero discipulorum Petri et ab illo arcessitus atque ea de re interrogatus, rem confessus est, proclamavitque Christum verum Deum esse. Quare diris cruciatibus, verberibus *scilicet,* suspensione, fumo subiecto, affectus est; dein dixit ei tyrannus: « Qualem optas obire mortem? » Respondit: « Equidem mortem propter Christum subibo; tu vero me quomodocumque libuerit neci trade, *meque ad finem exoptatum celeriter transmitte. » Iussus igitur est verberari et capite inverso, Petri magistri sui instar, crucifigi; et haec supplicia revera perpessus, coronam obtinuit sanctorum apostolorum martyrum.

* p. 208.

Eius benedictio atque preces nobis adsint. Amen.

Hodie martyrium passa est sancta Theodosia, sancti Abroconii (Abrūkūnyūs) mater, quacum martyrio affecti sunt duo principes et mulieres duodecim. Cum nimirum huius sanctae filius Abroconius accusatus esset quod christianismum profiteretur, iussus est torqueri, ac tot cruciatus est tormentis ut eorum vi morti proximus fieret; verum Dominus, ei illa nocte apparens, eum sanavit. Itaque postridie *a tyranno* arcessitus, inventus est integer atque incolumis; ideoque illi sancti, una cum eius matre, rem admirati, conclamarunt: « Credimus et nos in Deum Abroconii. » Praecepit autem imperator ut eorum capita amputarentur, quemadmodum enarratur ad festum Abroconii diem, qui est dies mensis abīb decimus quartus.

Omnium intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis abīb benedicti dies septimus.

Hodie, obitus monachi pii, patris Anbā Šenūdah, archimandritae. Hic, ex Baslābāt[1] in territorio Aḫmīm oriundus, patrem

[1] B: Bašlātalāt; C: Bašlālā; D: Bašāyalāt; F: Bašlālāt.

habuit agricolam, qui gregem suum pascendum Šenūdae adulescentulo commisit; isque prandium suum aliis pastoribus edendum dabat et tempore hiemali frigidoque in stagnum aquae ingrediebatur, ibique stans orabat. De eo testatus est sanctus quidam senex, se vidisse decem *Šenūdae digitos collucentes, decem lampadum instar. Eum autem assumpsit pater et ad avunculum Anbā Baḫāl[1] duxit, ab eo benedicendum; verum Anbā Baḫāl, manum Šenūdae adulescentuli capiti suo imponens, dixit ei: « Benedic tu mihi, quoniam pater fies insignis ingenti multitudini. » A parente apud avunculum relictus est, et quadam die vox de caelo audita, est clamans: « Šenudah archimandrita toti mundo constitutus est. » Coepit porro multas exercere mortificationes atque eximia religionis opera et, patre *monasterii abbate* defuncto, in locum eius suffectus, lux evasit universo orbi. Conciones edidit tractatusque, et canones condidit monachis, praepositis, saecularibus, feminis, omni *denique* hominum generi. Ducentorum episcoporum concilio cum patre Cyrillo interfuit, nube eum illuc deferente, eo quod non licuisset per discipulos navem cum his conscendere; et dum nube delatus transit super patriarcham, qui navigio vehebatur, patriarcham huiusque comites salutavit, qui ipsum mirabundi resalutarunt. Meruit ut Christus Dominus ad eum saepe veniret et cum eo sermones misceret; pedes eius lavit et bibit aquam iis lavandis adhibitam. Plurimorum mysteriorum cognitione a Domino donatus, multa protulit vaticinia. Annos centum et viginti, ut Moses propheta, vixit, et morti proximus multitudinem sanctorum ad se accedentium vidit, simulque videns Christum Dominum, dixit: « Sublevate me, ut Dominum meum adorem »; et ab adstantibus erectus, adoravit. Dehinc, filios suos multis cohortatus, dixit eis: « Vobis valedico vosque commendo Domino », atque in pace quievit.

* p. 209.

Eius benedictio atque intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est Ignatius, papa Romae, qui Petro temporibus imperatoris 'Aṭrāṭyānūs[2] successerat. Iste nimirum imperator, ubi, nomine illius patris Ignatii ad se delato, rescivit et populos ab eo ad fidem in Christum Dominum pertrahi,

[1] B: Anbā Baǧāl; C et G': Anbā Abǧūl et Anbā Baǧūl. — [2] B: 'Aṭrābyās; C D G: 'Aṭrābyanūs; (corrupt. pro Traianus).

et idola respui, arcessito idola proposuit colenda, et abnuentem promissis *primum* ac subinde minis pertentavit, multumque cum eo protraxit sermonem. Quem cum sibi in sua impietate consentientem habere non posset, eum feris tradidit *devorandum.* Plebem igitur *Ignatius* hortatus est et in fide confirmavit, tum *uno ex leonibus ad eum accedente collumque eius apprehendente, spiritum in manus Domini exhalavit; neque leo eum amplius attigit[1]. Corpus *fideles* magno cum honore asportarunt in locum quem ei paraverant.

Preces eius nos omnes ad extremum usque halitum custodiant. Amen.

MENSIS ABĪB DIES OCTAVUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Abū Bašiah[2], bona memoria clarus, sidus deserti, in monasterio sancti Abū Macarii. Is originem ducebat e pago cui nomen Šatšā[3], in Miṣri territorio, eique erant sex fratres. Mater eius visionem habuit; angelum nempe Domini vidit dicentem sibi : « Tibi mandat Dominus ut ei des unum ex septem filiis tuis ipsi ministraturum. » Quae respondit : « Sume, domine mi, quemcumque libuerit. » Tum angelo apprehendente manum Abū Bašiah, qui erat corpore tener ac gracilis, dixit illa : « Sume, domine mi, in ministerium Dei aliquem robustum. » Verum angelus : « Hic est, ait, quem Dominus elegit. » Postea pater noster Abū Bašiah ad montem Scete se contulit et statum monasticum amplexus apud Anbā Bāmūyah[4], qui et Iohannem Curtum vitae monasticae participem effecit, sese plurimis religionis operibus diligenter exercuit : tres ieiunabat quadragesimas, nihil prorsus comedens ante quadraginta dies completos; dignus fuit cui Christus Dominus saepius appareret; pedes eius aqua in pelvi lavit et partem aquae bibit, *reliqua* parte discipulo suo in pelvi reservata; ac post ascensum Domini, discipulo dixit : « Veni, hanc ebibe aquam. » Ille vero iussionem contempsit; sed cum senior instaret, surgens et ad pelvim accedens, nihil iam inibi invenit. Tunc, sancto ei revelante originem

[1] Ita ex B. — [2] De hoc nomine dissentit C, nec sibi ipse constat; inibi reperire est tum : Abū 'Abšāy, tum : Abū Bašīwī, tum : Abū Bašiah. — [3] B : Šansā. — [4] Ita ex B C G; A : Anbā Bamūbaḥ.

aquae — hanc enim non noverat ex pedibus Salvatoris derivatam, — magnum maerorem magnamque conturbationem inde expertus est. Quare eum misit pater *Abū Bašiah* ad *virum* sanctum in urbe Aḫmīm *commorantem,* qui se ipse stultum finxerat, *isque eum consolatus ad patrem remisit. Discipulus autem iterum conturbatus et ad eundem missus, hunc repperit mortuum. Tunc discipulo dixit *Abū Bašiah* : « Baculo hoc ei imposito, sic eum compella : Tibi mandat pater meus ut surgas et mecum colloquaris. » Et cum *discipulus illuc* profectus baculum *mortuo* imposuisset, surrexit hic atque, adeuntem consolatus et cohortatus, dixit ei : « Patri tuo oboedi; neque enim tibi accidit ista *mentis* conturbatio nisi quia despexisti iussionem praecipientis ut paululum aquae biberes. » Et postquam haec absolvit verba, *mortuus* rursum decubuit. — Alio tempore, ad eum, Abū Bašiam scilicet, veniens unus ex discipulis eius, illum audivit cum aliquo colloquentem; et ingressus, nemine reperto, rei causam a magistro sciscitatus est. Qui respondit : « Hodie Constantinus imperator me in spiritu convenit dixitque : Si scivissem tantam esse monachorum dignitatem, profecto regnum meum reliquissem et factus essem monachus. Cui ego : Tu religionem Christi stabilivisti, idololatria eradicata; et Christus tibi nihil dedit? At ille : Immo, ait, mercedem magnam dedit mihi Christus, non tamen monachorum honori parem; hos siquidem vidi alis igneis praeditos, quibus ad Ierusalem caelestem convolant. Tum ego : Et hoc quidem iustum, inquam, quia vobis uxor, liberi, divitiae, quibus delectamini, monachi vero pauperes sunt, esurientes, sitientes, afflicti, et his idcirco Dominus illarum rerum praemium attribuit. » — Alio tempore, Dominus eum alloquens dixit : « Montem hunc columbis implebo, non secus ac columbarum nidos. » Cui sanctus : « Undenam, Domine mi, res sibi necessarias reperient, si tam multi fuerint? » Et Dominus : « Ego ipse, inquit, curam de iis agam, neque eos sinam re quacumque indigere. » — Sermo percrebruit de seniore eremita in monte Antinoes *commorante,* ad quem turbae multae, utpote ei confidentes, confluebant, et qui in gravissimum lapsum erat errorem, negando Spiritum sanctum; eique assectatores plurimi adhaerebant. Quod ubi audivit Abū Bašiah, corbibus suis singulis ternas apposuit ansulas et ad Antinoes montem se contulit. Et cum

adiisset eremitam, cui adstabant multitudines, illo consalutato, sciscitati sunt ab eo ternarum ansularum causam. Qui respondit: « Trinitas mihi *cordi est,* et res meae quaecumque ad similitudinem eius conformatae. » Tum illi: « Estne igitur Spiritus sanctus? » *Et coepit argumenta iis afferre ex Scripturis divinis, cum antiquis, tum novis, demonstravitque Spiritum sanctum unam esse ex tribus sacrastissimis personis; omnesque, sicut et ipse senex eremita, ad veritatemredierunt. — Patri nostro Abū Bašiah discipulus erat simplex isque, egressus ea quae labore manuum confecerat vendendi gratia, cuidam occurrit homini pagano, quo auctore ita a veritate aberravit ut de Christo dictum proferret nefandum. Discipulo ad monasterium reverso, perspexit pater eum baptismi gratia privatum esse; a quo postquam sciscitatus audivit quid illi accidisset, coepit preces pro eo fundere per hebdomadam *totam,* et in huius fine vidit gratiam baptismi descendentem, columbae instar, in *discipuli* caput ac per os eius ingredientem. Quare, gratiis Christo actis, discipulum admonuit ut fidem *sedulo* servaret nec iam quicquam *nefandi nimia* simplicitate proferret. Quo autem tempore Berberi desertum Scetense invaserunt, locum mutavit Abū Bašiah et in monte Antinoes habitavit, ubi mortuus est. Eius corpus, tempore persecutionis transacto, cum corpore Anbā Pauli, e Ṭamuah [1] oriundi, in monasterium sancti Abū Bašiah attulerunt.

* p. 212.

Benedictio precum eius nobis adsit.

Eodem die martyrium passi sunt sancti 'Abīrūm [2] et 'Atām [3], qui originem ex Sinbāṭ ducebant, parentibus progeniti fidelibus, timoris Dei atque misericordiae plenis. Nomen patris eorum Iohannes, et nomen matris Maria. Postquam, utroque parente defuncto, ipsi adultam aetatem attigerunt, immo Abīrūm triginta annos natus fuit, et Atūm annos viginti septem, ecclesiam assidue frequentabant, misericordiam exercentes, peregrinos excipientes cum amore, omnibus virtutum generibus perfecti. Cum tempus adfuit martyrii, ambo, mercibus assumptis has venumdandi gratia ad *urbem* el-Farmā profecti, occurrerunt militibus qui corpus sancti cuiusdam nomine Anbānū secum deferebant, et hoc

[1] B: Ṭamūyah; C: Ṭuah. — [2] B et G: 'Abīruah; C: 'Abrūm; D: 'Abīrūn. — [3] B C G: 'Atūm.

pecunia multa ab iis redemptum in domum suam asportarunt atque in urna marmorea deposuerunt, lampade ante illud suspensa; indeque magna prodierunt miracula. Deinde ambo fratres, mundi huius fluxi vanitatem et regni caelestis felicitatem secum reputantes, omnibus facultatibus suis in pauperes erogatis, concordi animo Alexandriam venerunt et nomen Christi *coram praefecto alexandrino confessi sunt. A quo iussi torqueri, flagris ita caesi sunt ut sanguis eorum in terram deflueret, tum corpora clavis transfixa et flammae ardentes iis subiectae; verum misit Dominus angelum suum, qui eos ab igne tuitus est. Deinde praecepit praefectus ut ab arbore alta capitibus deorsum versis suspenderentur quoad sanguis e naribus et oribus manaret, et angelus Domini eos *iterum* salvos praestitit et e loco suspendii demisit. Tunc vinculis constringi iussos princeps ad *civitatem* el-Farmā misit; quorum, ut coram se constiterunt, animum fortem et pulchras facies demiratus, praefectus farmensis idola iis proposuit adoranda, renuentes vero sale, calce, pipere atque aceto adspersit, quod ipsi patienter sustinuerunt; clavis dehinc lecto ferreo affixi sunt, igne subiecto, manuum atque pedum ungues evulsi, ora fustibus contusa. At vero dum haec geruntur, uxor praefecti mortua est; quare is, venia eorum quae fecerat ab utroque fratrum petita, rogavit ut uxorem suscitarent. Quibus deprecantibus, Christus Dominus illam suscitavit, et credidit praefectus cum omnibus amicis. Ab illo dimissi et in patriam suam Sinbāṭ reversi, *fratres* quae sibi reliqua erant pauperibus distribuerunt, corpus autem sancti 'Anbānū [1] viro cuidam pio, cui nomen Sarābāmūn commiserunt, eum admonentes ut lampadem eius accendendam curaret. Posthac venerunt eṣ-Ṣarmūn et, Christum coram praefecto confessi, ab eo iussi sunt verberibus affici, tum per urbem tracti, sanguine in terram defluente. Credidit autem mulier surda et muta, quae, cum aliquid sumpsisset sanguinis eorum et ori suo, auribus pectorique imposuisset, locuta est Dei laudes celebrando. Quare apprehensa est et in custodiam tradita. Ambo fratres vero praefecto iubente capitibus truncati sunt. Sarābāmūn, qui iis comes aderat, sacra eorum corpora, adiuvantibus aliis fidelibus ex Sinbāṭ, sublata, involuta

* p. 213.

[1] B: 'Abānū; cui A infra consentit.

atque aromatibus condita asportavit in urbem patriam Sinbāṭ. Ubi autem pomoerium extra urbem attigerunt, constiterunt iumenta, progredi nolentia, neque verberibus adhibitis eo adduci potuerunt ut progrederentur; sed vox e caelo venit, dicens: « Hic est locus quem elegit Dominus corporibus nostris humandis. » Haec igitur ibi deposuerunt, dum ecclesiam iisdem aedificarent; atque in ista ecclesia corpus sancti Abānū medici illis apposuerunt, eaque *nunc in Sinbāṭ asservantur, *sicut* et in ecclesia Barbarae martyris in antiqua urbe Misro. Erant autem sancto Abīrūm capilli rufi et crispi, oculi caerulei, statura procera; et sanctus Atūm fuit statura altus, *pellis colore* albus, oculis nigris barbaque *item* nigra praeditus.

* p. 214.

Amborum preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium subiit sanctus Anbā Balānah [1], ex Barā, in dioecesi Salḫā, oriundus. Hic sanctus, qui sacerdos erat, audita fidelium persecutione et caede sanctorum, quaecumque possidebat pauperibus atque egenis distribuit et, Antinoen se conferens, nomen Christi confessus est coram praefecto, a quo acerbe ac variis tormentorum generibus per dies complures cruciatus, spiritum in manus Domini exhalavit.

Eodem die martyrium passus est sanctus Anbā Bīmā [2], ex Benkolāwos [3], in territorio el-Behnesā, oriundus. Huic sancto fuerunt divitiae multae, eratque beneficus et pauperum amans, ac loco natali praepositus [4]. Ipsi autem in visione nocturna exhibitus est Christus Dominus, qui, salute data, dixit ei: « Surge, praefectum adi et nomen meum confitere; corona autem est tibi praeparata. » Itaque ubi e somno surrexit, quaecumque possidebat pauperibus et egenis distribuit, oravit et, el-Behnesam profectus, nomen Christi confessus est coram praefecto Lucio (Lūkyās), qui, cum nosset eum praepositum esse Benkolāo, ab eo vasa ecclesiarum patriae expostulavit et idola ei proposuit adoranda. At ille: « Vasorum, inquit, nullum iam reliquum est; ad cultum vero idolorum quod attinet, Iesum Christum ego adoro. » Praecepit igitur *praefectus* ut ei amputaretur lingua, quam tamen Dominus ei restituit incolumem; tum machina eum compressit

[1] G: Anbā 'Ablānah. — [2] D: Abā Bīmā; F: Bitmā; H: Anbā Bīman. — [3] B et D: Nīklāwos; C et F: Bīklāwos. — [4] Ad litt.: senior.

et lecto ferreo clavis affixit, igne subiecto, Domino eum interim confortante et salvum praestante. Quo tempore Alexandriam missus est, Christus Dominus ei apparuit atque eum roboravit. Alexandriae, in carcerem coniectus, *magna ibi edidit miracula. Cum esset Iuliano aqfāṣensi soror quam Satanas invaserat, hanc liberavit, eiusque fama per urbem sparsa, multi huius cives ab eo ad fidem in Christum adducti sunt. Quare praefectus ira percitus eum variis tormentorum generibus affecit, *ut puta* equuleo et unguium evulsione; vinculis constrictum et per civitatem tractum in balnearum hypocaustum demisit, tum lapide magno *ad collum* alligato in flumen immersit, unde a Domino ereptus est; dein eum in ignem proiecit, in quo consistens oravit et e quo incolumis evasit. Postquam praefectum pertaesum est eum *torquere*, ab eo in Aegyptum superiorem missus est, ibi cruciandus, crucifixusque est capite inverso atque in ollam igne succenso coniectus, sed a Domino sibi apparente liberatus. *Denique*, praefecto iubente eum acie gladii decollari, coronam martyrii consecutus est. Corpus famuli Iuliani aqfāṣensis acceperunt et in patriam eius asportarunt.

* p. 215.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est sanctus Anbā Kīros [1], qui in extrema mundi parte, gehennae proximus, habitabat et qui Theodosii (Tāawdāsyūs) frater est. Is, secum reputans iniquitates quae in mundo sunt, omnibus facultatibus suis relictis, itineri se commisit et, a Christo adductus ad illud desertum [2] quod occidentem versus iacet; ibi multos annos adeo solitarius habitavit ut neque hominem neque pecudem unquam videret. Erat autem in monte Scete sacerdos nomine Bamū, ille idem qui corpus sanctae Hilariae sepelivit. Is voluit in desertum interius penetrare, cuidam forsitan ex servis Christi occursurus, et, desertum Domino auxiliante ingressus, multos sanctorum vidit, quibus singulis suum revelabat nomen et causam ob quam venisset, omnes etiam sic interrogans: « Estne aliquis qui vobis remotior commoretur? » Cui interrogationi aiendo responderunt, quoad ad universorum extremum pervenit, sanctum Anbā Kīrum. Is vero ex ima spelunca acclamavit: « Gratus nobis atque exoptatus adventus tuus, o Anbā Bamū, pres-

[1] D: Anbā Kāras; H: Anbā Karās. — [2] Ita ex B; A: ad illam urbem.

*p. 216. byter *scetensis. » Itaque ad se ingresso, salute data redditaque, Anbā Kīros gehennae fumum procul ostendit, testatusque est Dominum nocte cuiusque diei dominicae in gehennam respicere[1] atque inde qui cruciantur aliquantulum levamenti percipere. Eum dein percontatus est de mundi negotiis, de condicione principum rebusque aliis ; et postquam de illorum ministerio percontatus est, a Christo Domino sibi apparente didicit se ex mundo *mox* migraturum. Vespere subsecuto, longam fudit orationem et prostratus facie ad terram conversa adoravit, spiritumque in manus Domini emisit. Flens igitur sanctus Bamū suum scidit pallium, dimidia huius parte mortuum sepelivit et exivit ; Dominique iussu rupes magna speluncae ostium occlusit. Tum reversus est ille, *Anbā Bamū scilicet,* Deum glorificans, et huius sancti vitam enarravit.

Omnium preces nobis in aeternum adsint. Amen.

Eodem die, obitus viri sancti et illustris, patris nostri Anbā Marci, antoniani, in coenobio sancti Antonii Magni, monachorum parentis, quod, in monte el-Qolzom situm, nomen habet monasterium el-ʿArabah[2]. Per preces eius et supplicationes, Dominus nostri, qui illius filii sumus, atque universorum fidelium misereatur. Amen.

MENSIS ABĪB DIES NONUS.

Hodie martyrium passus est sanctus apostolus Simon, Cleophae *filius*. Is, qui Hierosolymorum episcopus post Iacobum, fratrem Domini, constitutus est, multos ex Iudaeis ad fidem in Christum convertit. Signa et miracula plurima, *mirasque* sanationes fecit ; unde rumor de eo ad 'Andrās[3] imperatorem delatus est, ac si feminas a maritis separaret exhortando ad puritatem, hoc est ad Christi fidem. Quare ille senem annos tunc centum et viginti natum ad se arcessitum acerbe cruciavit, *et postquam ipsum (*p. 217.) pertaesum est tormenta infligere, caput sancti, simul autem caput virginis, nomine Theobae[4], quae eum sequebatur, gladio amputavit.

Eorum benedictiones in nos effundantur. Amen.

[1] Quod de Domino respiciente dicitur ex B, C et G supplemus, textu cod. A quadamtenus hiante. — [2] Nominis in uno cod. C prostantis forma ambigua et lectio dubia : el-ʿArabah, vel 'Akrabah, vel 'Akwabah, vel 'Arrabah ? — [3] C : 'Andrāwos. — [4] Fortasse legendum « Theonae ».

Eodem die ad requiem admissus est sanctus pater Claudianus (Kelādiānū)[1], Alexandriae patriarcha, qui, postquam sedem apostolicam obtinuit, gregi invigilans, annos quattuordecim, in pace quievit. Omnium intercessio nobis adsit. Amen.

MENSIS ABĪB DIES DECIMUS.

Hodie[2] martyrium passus est *vir* sanctitate insignis Theodorus, episcopus Pentapoleos. Quo tempore imperator infidelis Diocletianus cultum idolorum instauravit, legatos in omnes misit partes, iis praescribens ut christianos torquerent et quovis cruciatuum genere afficerent. In Africam huiusque territorium principem delegavit nomine Pilatum. Apud quem, statim ac advenit et illa perlustravit loca, hic sanctus, qui tunc ante annum a sancto Theona consecratus fuerat, accusatus est quod christianorum esset magister. Quare arcessito princeps praecepit ut victimas idolis immolaret. Respondit ille : « Equidem victimam Creatori idolorum quotidie offero. » Dixit ei praefectus : « Num alius est deus ac Artemis, Apollo, Artemidah[3] ceterique dii *nostri* ? an isti non sunt dii ?» Tum Theodorus : « *Alius* utique est, Dominus *nempe* meus Iesus Christus, *qui* est illorum creator. » Iratus princeps propter audax responsum iussit eum torqueri ; neque desiit *Theodorus* *quadraginta dies cruciatibus verberationis, crucifi- (*p. 218.) xionis, suspendii, compressionis, inclusionis, afflici ; et cum nulla tormentorum vi a sententia abduci posset, decollari iussus, coronam vitae adeptus est.

Benedictiones eius in nos effundantur. Amen.

Hodie, certamen sancti Theodori, Corinthiorum episcopi, mulierum quae cum eo *deprehensae* fuerant et duorum principum, quorum nomina Lucius (Lūkyās[4]) ac Dīfanānyūs[5], et quibus cura commissa illum cruciandi. Cum scilicet sanctus apud duos illos principes fuisset accusatus quod christianus esset et Corintho

[1] Ita ex D E F G H ; A : Kelādiātū. — [2] Relationem hanc omittit cod. F, in cuius margine haec annotatio : « Sancti Theodori, episcopi Pentapoleos, martyrium descriptum est in fine libri, post mesrī ; quod legas primo loco ad diem 10um 'abīb. » Aliquid tamen huiusmodi in F, « post mensem mesrī » frustra quaesieris. — [3] G : el-'Ardamiah. — [4] B D G : Lūkyūs. — [5] B : Dīgānyūs ; C : Dīfānyūs ; D : Dīʿinānūs.

praepositus, ab iis arcessitus est ac de fide sua interrogatus ; et confessus christianum sè esse, cruciatibus affectus est, fustibus verberatus humique stratus ac verberibus *quasi* contritus. Pede autem percutiens basim cui idola imposita, haec evertit. Quare ambo principes irati, eductis gladiis novos ei cruciatus[1] adiecerunt, vulnera eius panniculis ex crinibus, aceto et sale imbutis, perfricantes ; et cum idolis convitiaretur ac malediceret, praeceperunt ut lingua ei praecideretur. Quam revera praecisam et ab iis proiectam mulier quaedam fidelis ex adstantibus suscepit, et dum Theodorus ad carcerem abducitur, linguam suam sibi a muliere illa militibus spectantibus traditam ventri suo imposuit ac dimisit ; et haec facta est columba candida, circa sanctum volitans, simulque pavo evolavit et cuidam insedit fenestellae, atque principes utramque volucrem viderunt. Itaque Lucius in Christum illico credidit ; Dīfīnānūs[2] vero, ubi rescivit Lucium credidisse, ira incensus, tres ex illis mulieribus quae sanctum secutae fuerant occidit. Sed postquam sanctus spiritum emisit, columba et pavone statim evolantibus, rem admiratus est Dīğīnānūs[2] ; *tum Lucio ei persuadente fidem in Christum esse veritati consonam, credidit et ipse[3]. Dein invenit *Lucius* principem *alium* qui tormenta infligebat, et Dīğīnāno[2] inscio accedens idolorum basim subvertit et Christum confessus est. Quare caput ei amputatum. Quod ablatum Dīğīnānūs[2] sepelivit humavitque.

Omnium intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die, memoria duorum martyrum illustrium Sergii et Bacchi (Wāḫos) atque consecrationis ecclesiae eorum nominibus in urbe er-Roṣāfah dicatae. Utriusque intercessio nobis et quibuscumque afflictis adsit. Amen.

Mensis Abīb dies undecimus.

Hodie martyrium passi sunt sanctus Iohannes et Simeon, patruelis eius, ex Šarmalos[4] oriundi. Huius Iohannis mater sterilis erat ; pater autem sine intermissione Christum Dominum precabatur ut filium sibi concederet, voto cum uxore promittens eum

[1] Ita ex B C G ; A : sermones ! — [2] Sic, hoc loco. — [3] B C G ins. : Postea, Corintho profecti, navigio Cyprum petierunt. — [4] C : Šamlos ; D : Tarmalos.

a se servitio Domini omnibus diebus vitae ipsius addictum iri. Cui Iohannes Baptista in visione apparuit promisitque filium a Domino concedendum. Itaque hunc sanctum a se susceptum Iohannem appellatum voluit, et antea iam ecclesiam nomine Iohannis Baptistae dicatam aedificaverat. Postquam puer adulevit et undecim annorum aetatem assecutus est, gregem commisit ei pater pascendum. Prandium autem suum *aliis* pastoribus et viatoribus cotidie dabat, ipse usque ad vesperam ieiunans. Quod cum ad patrem delatum esset, hoc adveniente ut rei veritatem exploraret, timuit puer ne a patre verberaretur, et cogitabat de fuga capessenda. Cui pater : « Ostende mihi, inquit, fili mi, prandium tuum hodiernum. » At ille : « Ingredere, ait, et videbis. » *Casam igitur arundineam ingressus, *pater,* corbe plena panis calidi reperta, summopere miratus est, remque cum matre communicavit, et ex illa die, quia gratiam noverant quae filio suo inerat, hunc non iam pastorem esse siverunt. Quare multos ex libris ecclesiae didicit ; sed parentibus petentibus ut matrimonium iniret non consensit, et annos octodecim natus sacerdotio initiatus est. At vero Simeon, patruelis eius, gregem patris sui et ipse reliquit et se discipulum addixit Iohanni, cuius miracula omnia enarravit. Deus enim Iohannis manibus magna edidit prodigia. Quotquot morbo quocumque laborabant illum conveniebant, eosque oleo a se benedicto ungebat, et sanabantur ; eos vero hortabatur atque admonebat, homines plerumque propter peccata sua aegrotare et molestias pati. Patravit hic sanctus miracula qualia a saeculis inaudita[1] ; e quorum numero *haec fuerunt.* Cophinum hordei a muliere vidua rapuerat miles ; cui sanctus, muliere factum ei conquesta, maledixit, et equus, statim atque hordeum comedit, mortuus est. Quodam die, aerarii quaestorem adiit, tributi solvendi causa ; illi autem erat servus adulescentulus altero captus oculo, qui ad sanctum accedens, huius benedictione accepta, iam ambobus oculis apertis uti potuit. Hominum opera perspiciebat, iisque ipsorum peccata revelabat atque exprobrabat. Eius fama perlata est ad imperatorem nomine Martānum (Martānos)[2], et huic erat filia unica, cuius venter

[1] Ad litt. : quae excedunt saecula ; B : innumera. — [2] B : Martānūs ; C et G : Mariānūs.

serpente introgresso ita intumuerat ut esset morti proxima, quamquam pater pecuniam plurimam eius causa expenderat. Patri igitur indicavit administer nomen sancti et quomodo famuli sui oculos aperuerit, et in animo habuit pater illum nuntio arcessere. Hoc Spiritu *sancto revelante* novit sanctus, timebat autem itineris laborem et maris molestias ; sed nubes eum a Šarmalos arreptum Antiochiam transtulit et prope solium imperatoris deposuit. Tum imperatorem advenientis aspectu perterritum admonuit, se eum esse quem ille misso nuntio arcessere proposuerat, et filiae ad se adductae benedixit, ac serpens ex huius ventre egressus est, nec quicquam ei nocuit. Benedictione sancti imperator se cum tota domus regiae familia donatum voluit, dein pecunias et munera pretiosa ei obtulit, sed ille nihil ex his rebus accepit. Conatus etiam est imperator eum apud se retinere et renuentis cingulum manu apprehendit ; verum sanctus, nube abreptus, cingulo a quo suspensus imperator in huius manu rupto, ad urbem patriam eadem nocte redux fuit. Cingulo imperator *ecclesiam superstruxit cui nomen usque adhuc ecclesia Cinguli. — Quotiescumque sacrum faciebat *Iohannes,* bonos et malos dispiciebat, dignos et indignos discernens. Postquam Diocletianus imperator ad impietatem defecit, Simeone patrueli secum assumpto, Alexandriam se contulit, *ibique* ambo, Christum confessi, a praefecto multis affecti sunt suppliciis, ac denique, eorum capitibus abscisis, animae ad aeternam requiem avolarunt. Corpora nunc in Samūṭyah [1] iacent.

Eorum precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eodem die commemoratio Anbā Ša'yah, eremitae in monte Scete [2]. Omnium intercessio nobis adsit.

MENSIS ABĪB BENEDICTI DIES DUODECIMUS.

Hodie festum agimus archangeli Michaelis, *spiritus* puri, qui generis humani patrocinium quovis tempore apud Deum omnipotentem suscipit. Ipse serpentem illum ingentem, qui est Satanas, alligavit, eiusque in christianos vim ac potestatem confregit.

[1] B G : Samnūṭiah ; C : Sabāṭ. — [2] C add. : « Hic sanctus edidit sermonem monachis vitam in deserto agentibus utilem, et qui legerit sermonem eius perspiciet altitudinem gradus ipsius in scientia et labore. »

Hodierno item die serpentem ingentem ac tremendum occidit in finibus Abṣāy, in Aegypto superiore, et sua edidit prodigia.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Abā Hūr. Hic sanctus, ex Siriaco (Siryāqūs) oriundus, puer adhuc parvulus erat, cui soror et pater, faber ferrarius ; ac, desiderio martyrii subeundi in mentem illapso, praefectum farmensem (el-Farmā) adiit et, Christum coram eo confessus, ab eodem acerbis affectus est cruciatibus. Istarum autem rerum finis quoad praefectum, uxores eius et liberos, *is fuit ut*, propter miracula quae viderant a sancto edita, martyrium principis alius opera subirent. Ipse vero sanctus *Abā Hūr,* Antinoen missus, ibi variis affectus est tormentis, equuleo *nempe* compressus, suspensus capite inverso, igne *et ferro candefacto adustus. Postquam *tortorem* pertaesum est torquere, eius iussu sanctus capite truncatus coronam martyrii consecutus est. — Eius intercessio nobis adsit. Amen.

MENSIS ABĪB DIES DECIMUS TERTIUS.

Hodie ad requiem admissus est pater Anbā Bešandah, Copti (Qifṭ) episcopus. Hic sanctus, vitam monasticam a teneris amplexus, insignia devotionis officia praestitit, multosque didicit libros, imprimis librum Psalmorum et duodecim prophetas minores. Quotiens autem prophetiam legebat alicuius ex prophetis, legenti is aderat usque ad lectionem absolutam. Hoc etiam de eo fertur, quandocumque manus extendisset ad orandum, digitos eius decem candelarum accensarum instar resplenduisse. Manu eius Deus magna patravit miracula. Nullam unquam feminam intuitus est, sed terram assidue adspiciebat, adeo ut, cum mulier quae gravi viscerum dolore laborabat eum ex insidiis observasset, ut ei quasi casu occurreret, aufugerit, illa eum cursu persequente ; quae, quoniam illum non attingebat, ex pulvere pedibus eius conculcato accipiens cum fiducia quantum manu contineri potest, id comedit et ex morbo illico convaluit. Quodam die, vidit tres viros splendentes, qui ipsi claves dederunt, dicentes : « Haud dubium quin ecclesia Dei tibi concredatur. » Posthac, electus ad Copti episcopatum gerendum, cum sacrum faceret, Dominum et angelos eius super altare contemplabatur. Die quadam, sacerdos, qui coram

eo sacrum faciebat, intra missam, ad altare stans, sputum emisit. Quem, sacro absoluto, reprehendit pater, dicens : « Annon times Deum, dum in illo loco tremendo consistis ? Nonne tecum reputas sputo quod emisisti attactas fuisse alas cherubim altari adstantis ? » *Qua reprehensione audita,* ille, gravi correptus tremore ac domum translatus, aegrotavit et mortuus est. Huius sancti sermo suavis erat, iucundus et elegans, ita ut nemo vel loquentem tacere exoptaret, *vel eius doctrina et praedicatione satiaretur. De morte sibi imminente praemonitus dies aliquot antequam eveniret, plebem suam convocatam oratione ad eam habita in fide confirmavit atque, multis cohortatus, animam emisit in manus Domini. Ex corpore eius Deus miracula multa eduxit, ita ut discipulus assumpta particula lintei quo sepultus fuerat omnes sanaret aegrotos qui illum cum fide adirent.

* p. 223.

Eodem die martyrium subiit sanctus Abāmūn, ex Ṭuḫ, in dioecesi Banā, oriundus. Huic angelus Michael apparuit et praedixit quae ipsi obventura essent, eumque Antinoen mox migraturum et cruciatum iri pro nomine Christi. Surgens igitur Antinoen venit et, *fidem* confessus coram Auchio (Auḫyūs) praefecto, ab hoc acerba sustinuit tormenta, equuleo, igne, lecto ferreo calefacto ; tum flagris caesus est et balnearum hypocausto inclusus ; tum capiti, cute detracta, prunae ardentes impositae, Domino tamen eum in his omnibus confirmante et incolumem praestante dolorisque expertem. Christus Dominus quoque ei apparuit sub specie adulescentis currui spiritali insidentis, et eum consolatus est atque confortavit, promittens se ei adfuturum et iis omnibus auxiliaturum qui se ipsius nomine in quibuscumque angustiis invocarent, se etiam patriam eius, ecclesiam et corpus custoditurum. Miracula insignia hic sanctus adhuc superstes patravit. Postquam autem, sacro capite gladii acie truncatus, coronam martyrii consecutus est, sanctus Iulius[1] aqfaṣensis, qui praesens aderat, *martyris* corpus ablatum linteaminibus involvit et adiuvantibus famulis suis in urbem patriam attulit ; et *illud* corpus nunc in Aegypto superiore *asservatur*. — Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die, temporibus Moslemorum, martyrium passus est Šenūdah. Cuius intercessio nobis adsit.

[1] Supra, p. 211, l. 5 : Iulianus.

MENSIS ABĪB DIES DECIMUS QUARTUS.

Hodie, consecratio ecclesiae primogenitorum[1]. Concedat nobis Dominus benedictionem precum eorum.

*Hodie martyrium passus est sanctus Christi eques Abrūcūnyūs[2]. Hic sanctus, in urbe Hierosolyma natus, patrem habuit christianum nomine Christophorum — quo vocabulo significatur induens Christum — et matrem cui nomen Theodosia, idolorum cultricem. Patre mortuo, assumpsit eum mater et, secum afferens pecunias, dona ac munera pretiosa, Antiochiam venit, dona illa Diocletiano obtulit, eique simul obtulit filium suum, sanctum hunc, rogans ut eundem principatu donaret. Qui *adulescentem* e manibus matris susceptum principem praefecit urbi Alexandriae, eum hortatus ut christianos cruciaret et edicto ipsi ea de re conscripto. *Abroconius* autem, Antiochia paululum digressus, vocem ab alto audivit terribilem, qua proprio nomine compellabatur ; unde eum facti paenituit. Tum, eadem mortem sibi minitante si auderet iussionem suam transgredi, dixit ille : « Quis es, Domine mi ? Te rogo ut te mihi ostendas. » Et continuo ei apparuit crux fulgida, audivitque vocem dicentem sibi : « Ego Iesus, Dei Filius, Hierosolymae crucifixus. » Quare timens ac contremiscens, ad Nisān[3] reversus, crucem auream sibi conficiendam curavit ; dein, Alexandriam profectus, cum Arabes eum aggressi capere tentarent, crucis virtute confortatus, cum iis pugnavit eosque devicit. Tunc matri sic exhortanti : « Offer, fili mi, victimas diis qui tibi auxilio fuerunt et saluti in bello », respondit : « Equidem nullum offero sacrificium nisi Iesu, qui me virtute suae crucis adiuvit. » Quae verba ab eo audiens mater, nuntio ad Diocletianum imperatorem adlegato, certiorem hunc fecit ; isque praefecto Caesareae mandavit ut, re indagata, cruciatuum illi infligendorum officium administraret. Praefectus igitur arcessitum et, postquam Christum confessus est, verberibus ita affectum ut morti inde proximus esset, coniecit in carcerem. Cui Dominus noster Iesus Christus illa nocte apparens, ingenti luce circumdatus et angelis fulgidis stipatus,

* p. 224.

[1] Vel : primitiarum. — [2] F : Barkūnyūs. — [3] Nomen mihi prorsus ignotum, quod non occurrit nisi in A et G, et hic quidem cum articulo (an-Nīsān), non illic. C : ad urbem quamdam.

* p. 225. eum salutavit, vinculis quibus ligatus fuerat exsolvit *et manu sua divina corpus confricavit, quod confestim sanatum est. Postridie sciscitatus est princeps statum sancti, quem suspicabatur mortuum esse. Verum ubi rescivit eum convaluisse, adduci eum iussit in idolorum delubrum, quo ipse pergebat oraturus. Statim autem ac sanctum advenientem eundemque incolumem viderunt, adstantes omnes, rem admirati, nomen Christi confessi sunt, dicentes : « Nos christiani, credimusque in Deum sancti Abroconii. » In eorum numero erant duo principes, mulieres duodecim et Theodosia, sancti Abroconii mater. Quorum capita gladii acie statim amputata fuere, die sexto mensis abīb. Sanctum vero in carcerem reduci iussit praefectus, secum cogitaturus quomodo eum adhiberet ; et ille tres dies in carcere mansit, quibus transactis iterum eductus, a praefecto sic compellatus est : « Hos tres dies te *in custodia* reliqui ut, ad te rediens et tui misertus, victimas diis offerres. » Cui respondit sanctus[1] : « Unus Christus est magnus Deus; isti vero dii, ex lapidibus, lignis atque aliis rebus id genus confecti, creati cum sint, sicut tu, neque obsunt neque prosunt quicquam. » Unde ira incensus princeps praecepit ut eius latera gladio dissecarentur ; sed carnifex, cui nomen Aršilāwos, statim ac manum cum gladio extendit ut latus sancti dissecaret, manu subito arefacta, mortuus cecidit. Tunc iussit princeps sanctum extendi et verberari, ac corpori, pelle cultris detracta, acetum infundi ; eum dein pedibus traxerunt in carcerem. Ibi tres dies denuo remansit, principe secum consultante quid ei adhiberet. Deinde, ab hoc arcessitus, demissus est in lacum ignis, e quo eripuit eum Christus Dominus nihil mali expertum. *Tandem* decollari iussus, ad sempiternam migravit requiem.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis abīb dies decimus quintus.

Hodie ad requiem admissus est Anbā Ephraemus syrus. Hic *p. 226. sanctus, ex urbe *en-Nuǵūm[2] oriundus, patrem habuit idolorum

[1] B et C ins. : « Non sum, o rex, nisi meī compos novique, et quidem certo, unum Christum.... » — [2] B F : el-Buḫūm ; G : en-Nuḫūm.

sacrificulum, religioni Christi infensum. Contigit autem ut Ephraemus occurreret sancto Mār Iacobo, Nisibis episcopo, a quo eruditus est et ad virtutem incitatus, et apud quem commorans devotionem amplexus est cui nulla inter homines illius aetatis par, ieiuniis atque orationibus continuis addictus. Deinde gratia ipsi per baptismum infusa, coepit quaestiones scrutari, de iisque disceptare et adversus gentiles disputare. Cum concilium Nicaeae habitum est, huic interfuit, comes magistri sui Mār Iacobi. Die quadam, columnam lucis vidit a terra ad caelum erectam, remque admiranti dictum est : « Quod nunc vidisti est sanctus Basilius, Caesareae episcopus. » Huius videndi cupidus, Caesaream venit[1] et, ecclesiam ingressus, in huius angulo consistens, Basilium adspexit stantem et in praelegendo occupatum, eundemque casula aurea atque pretiosa indutum; cumque de eo suspicionem haberet, ostendit ei Deus columbam capiti illius insidentem. Tum Basilius, de Ephraemi adventu divinitus certior factus, eum misso nuntio proprio nomine advocavit ; et, salute data redditaque per interpretem, oravit Ephraemus Deum ut sine interprete loqui possent, ac gratia in eos infusa alter alterius linguam intellexerunt. Dein *Ephraemus* a sancto Basilio ordinatus diaconus in puritate et pietate ita profecit ut insignes in eo effulgerent dotes, quavis maiores descriptione. Quarum hoc accipe indicium. Mulier quaedam verecundior, quam pudebat culpas sancto Basilio palam confiteri, ei in charta descripsit peccata quae ab infantia ad illum usque diem commiserat, ne uno quidem ex iis quae recordaretur omisso, chartamque sancto Basilio tradidit, eum coram populo his deprecans verbis : « Ego mulier peccatrix, et peccata mea in hac schedula scriptis mandavi ; quorum veniam a te peto. » Erat autem schedula obsignata, *et cum eam a muliere accepisset *p. 227. Basilius et eius causa orasset, tota charta alba evasit, praeter peccatum unicum gravissimum. Quod videns mulier, illum flens veniam rogavit. Cui Basilius : « Abi, inquit, in desertum, ad sanctum Ephraemum, isque hoc tibi condonabit. » Quare, inde digressa, sanctum Ephraemum convenit eique causam suam revelavit. Tum ille : « Basilium adi priusquam ex hoc mundo migret, ipse enim, qui est archipresbyter, culpam tibi remittet. » Mulier

[1] Adventum in urbem Caesaream, de quo silet A, ex B supplevi.

igitur reversa eum repperit mortuum, et en sacerdotes eum efferebant capitibus suis impositum. Quare flevit illa ; chartulam tamen proiecit in feretrum, defuncto supplicans, atque hic delevit *quod in ea reliquum erat.* Patravit sanctus Ephraemus multa miracula. Bardesanem haereticum et impium, qui sua prodiit aetate, impugnavit ac devicit. Plurimas conscripsit contiones et disputationes ; et in quibusdam codicibus scriptum reperitur, contiones quas Spiritu sancto afflante exaravit numero esse quattuordecim milia. Ipse Deum sic orabat : « O Domine, fluctus vindictae tuae amove a me. » Postquam certamen honestum complevit, ad Dominum translatus est.

Eius benedictiones nos protegant. Amen.

Eodem die, martyrium passi sunt sanctus Cyriacus (Qiryāqūs) eiusque mater Iulitta (Iūlīṭah). Cyriaco adhuc puerulo, tres annos nato, fugit mater ex Romae finibus in regiones alias ; verum hic illum repperit praefectum a quo aufugerat. Is eam apud se accusatam arcessivit et de idolorum cultu percontatus est. Cui respondit sancta : « Puerulum aliquem trimum interroga, ut nos veritatem edoceat pronuntietque utrum aequum sit a nobis deos tuos coli, necne. » Quare circumeuntes invenerunt illius filium, sanctum Cyriacum, quem *ad praefectum* adduxerunt atque interrogaverunt ; ac puer, Domino vim ei atque verba suppeditante, imperatori huiusque diis convitiatus est, ita ut stuperent adstantes et in magnam loquentis admirationem raperentur. Ideo praefectus, pudore suffusus, eum affecit cruciatibus quibus ea aetatula impar, itemque matrem cum filio omni suppliciorum genere vexavit ; verum Dominus utrumque incolumem praestitit, adeo ut multi homines rem mirarentur. Edidit sanctus multa miracula. Eius matri quaedam inerat diffidentia et suppliciorum timor ; sed pro ea rogavit Christum Dominum, et *Christus* mulieris mentem ad caelos evexit, ubi spectacula spiritalia contemplata est indeque confortata ad cruciatus *sustinendos*, gratias Domino egit et *filio* dixit : « Tu mihi deinceps et filius et pater, atque ego filia tua ; et quam fausta hora illa qua te peperi ! » Princeps, postquam anceps et anxius haesit de utriusque fortuna, *filium et matrem decollari iussit. Qui *ita* coronam martyrii consecuti sunt. [* p. 228.]

Eodem die martyrium passus est in Ṣūl *vir* sanctus, insignis

et strenuus Abā Horsyūs. Illorum omnium intercessio nobis adsit ad extremum usque halitum.

Mensis Abīb dies decimus sextus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Iohannes, evangelii aurei possessor. Hic sanctus, ex urbe Roma oriundus, patrem habuit virum divitem, cui nomen Aṭrāfīs. Cum autem in ludum litterarium ventitaret Iohannes, a patre petiit ut sibi describeretur evangelium aureum ; quo sibi concesso usus est ad legendum, et patri gaudio erat. Porro evenit ut apud eos hospitaretur monachus iter faciens Hierosolymam ; quem rogavit sanctus ut se socium assumeret ; at ille patrem timuit. Quare sanctus solus profectus est et navigio se ad monachi illius coenobium contulit. Tum a monasterii abbate, propter advenientis personam et verba mirabundo, ut inter monachos reciperetur postulavit. Ei ob oculos posuit pater *abbas* rem admodum arduam esse, religionem quippe monasticam difficultatibus scatere ac laboribus ; petitioni tamen insistentem, capite detonso, sacra veste induit. Exinde plurimas suscepit *Iohannes* mortificationes, magnis ac duris devotionis operibus addictus, ita ut corpus eius macie attereretur et ossa, utpote tenuiori carni subiacentia, eminerent. Pater vero eum sic hortabatur : « Tibi parce, et te omnium fratrum exemplo accommoda. » Post novem annos visione donatus est, qua aliquis sibi exhibitus, dicens : « Perge ad patrem tuum et matrem, ut eorum benedictione antequam commigres recreeris » ; et eiusmodi visio ei tribus noctibus obvenit. Rem cum abbate communicavit, qui, ei affirmans id a Deo esse, persuasit ut *domum* rediret. Egressus igitur e monasterio, mendicum invenit pannis detritis vestitum, quos ab eo accepit, vestibus suis illi contra attributis. Ad domum autem patris reversus, annos tres iuxta ianuam in casa arundinea commoratus est, reliquiis mensae paternae, quas servi abiecerant, victitans ; et mater, quotiens illac transibat, odorem eius aversabatur nauseans. Tempore mortis imminente, a Domino praemonitus, se post tres dies translatum iri, nuntio misso, *matrem, quam hucusque non noverat ipse, arcessivit ; et ubi ei adstitit, auditura quid cuperet, ab ea promissionem petiit iuramento firmatam, se illius opera in ea ipsa casa in qua iacebat et cum [* p. 229.]

iisdem pannis detritis quibus vestiebatur humatum iri. Ei deinde evangelium aureum tradidit, dicens : « Hunc legatis librum et de me recordabimini. » Porro pater adveniens evangelium sibi ab uxore ostensum agnovit, et una ambo ad Iohannem accedentes eum de evangelio et de filio suo percontati sunt ; et cum expetenti per fidem suam iurassent, illum a se non sepultum iri nisi cum pannis ipsius detritis, iis quis esset revelavit, affirmans se eorum filium esse. Tum vero multas illi fuderunt lacrimas et primores Romae ad eos convenerunt. Iohanne autem post tres dies mortuo, vestes illas eduxit mater quas ei apparaverat, nuptiarum die induendas, iisque eum sepelivit ; at continuo discissae sunt. Tunc pater, iuramentum recordatus, ablatis vestibus *pretiosis,* mortuum pannis detritis vestivit atque in ea casa humavit in qua habitaverat ; et ex corpore prodiit omnium morborum medela. Pulchram posthac sancto aedificaverunt ecclesiam, in qua corpus eius repositum fuit.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Mensis Abīb dies decimus septimus.

Hodie, martyrio affecta est sancta et iusta Euphemia. Passa est haec *virgo* pura manu Prisci (Birīsqūs)[1], unius ex Diocletiani vicariis. Hunc enim cum vidisset cum duobus sanctis transeuntem, qui catenis ad colla alligatis velut canes ducebantur, visceribus Dei amore incensis et corde misericordia in captivos commoto, imperatori convitiata est atque his verbis maledixit : « O *homo* corde lapideo et visceribus duris, nonne te illius sanctorum multitudinis miserebit ? Annon times ne eorum Deus te interimat ? » Quod ubi rescivit Diocletianus, acciri iussam percontatus est de ipsius religione. Non autem dissimulavit, immo professa est se christianam esse ; quare variis tormentis vexata est : verberibus, adustione, suspendio, fumo subiecto, proiectione in medium ignem ; sed in omnibus istis suppliciis nihil mali experta est. Tunc vero *coram omnibus surgens, postquam toti corpori suo benedixit[2], animam efflavit in manus Domini.

* p. 230.

Eius intercessio nobis adsit.

[1] B : Birsīqūs ; C : Yarsīqūs ; D : Birsīfūs. — [2] Ita ex B et G ; A : Tunc vero, etsi totum eius corpus igni traditum fuerat, coram omnibus surrexit et.

Mensis Abīb dies decimus octavus.

Hodie martyrium passus est sanctus Iacobus, episcopus hierosolymitanus. Hic sanctus, Iosephi fabri lignarii filius, et quidem inter filios eius natu minimus, virgo et purus erat, ac frater Domini est vocatus, quia, quamdiu fuit in domo Iosephi, patris sui, cum Iesu educatus est. Constitutus ab apostolis Hierosolymorum episcopus, praedicavit atque docuit in nomine Christi, et multos ad fidem adductos baptizavit, eiusque manu Deus magna edidit miracula. Fecunditatem tribuit naturae mulieris sterilis, quae peperit filium eumque Iacobum appellavit. Die quadam, eum convenerunt multi Iudaei rogantes ut se aliquid de Christo doceret. Eum putabant dicturum : « Ille germanus meus. » Sed sanctus, locum editum[1] conscendens, coepit iis exponere illius dominationem, aeternitatem, cum Patre aequalitatem ; quare ei succensentes deiectum *ex cathedra* multis affecerunt verberibus, et accedens unus qui clavam ferream gestabat, ex iis clavis quibus utuntur fullones, caput eius ita percussit ut spiritum emitteret. De hoc sancto scriptum est, eum neque ullo alimento vesci solitum cui quicquam inesset sanguinis, neque vinum bibisse, neque caput novaculae submisisse, neque balneo unquam lavasse, neque vestimentis prodiisse indutum, sed velamine corpus praecinxisse, adeo autem perseverantem fuisse atque assiduum in stando et adorando, ut pedes intumuerint et calla haeserint genibus manibusque obducta. Eum vita functum iuxta latus templi humarunt.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Abīb dies decimus nonus.

Hodie martyrium passus est vir sanctus et insignis Mār Baṭlān, medicus. Hic sanctus, e loco qui vocatur Na'mīdar[2] oriundus, patrem habuit infidelem, Eustochium ('Asṭūḫyūs) nomine, et matrem fidelem, cui nomen Aunālah. Ubi adulevit, scribendi artem a patre edoctus est ; dein et medicinam didicit, cuius evasit peritissimus. Haud procul ab eius aedibus quidam sacerdos habitabat,

[1] Arabice : الابنل, cuius nominis sensus definitior me fugit. — [2] B et F : Nağmīdan ; D : Na'mīdān.

*p. 231. qui, quotiens Mar Baṭlān apud se transibat,*eius aspectum, urbanitatem, scientiam et mentis acumen considerans, ingemiscebat, eum dolens esse infidelem, et Christum orabat ut eundem ad viam salutis dirigeret atque adduceret. Itaque cum preces ad Deum ob eam causam frequentaret, ei Dominus visione nocturna revelavit iuvenem ipsius opera crediturum. Praedictione laetus, coepit, quotienscumque ille transibat, alloquii ansam aucupari, eum salutans et sermonem cum eo conferens; unde, quadam orta inter ambos familiaritate, consuevit Mār Baṭlān in domum sacerdotis ingredi et de fide colloqui, sacerdote ei demonstrante idolorum vilitatem atque idololatrarum dementiam, christianae contra religionis nobilitatem et christianorum sapientiam. Subiunxit etiam sacerdos, manibus eorum qui in Christum credunt miracula fieri et sanationes. Audita miraculorum mentione, sanctus gavisus est, atque exoptans miracula et ipse patrare, ut finem suum in medicina exercenda assequeretur, in Christum sacerdote procurante credidit; neque tamen destitit sacerdos illum erudire atque cohortari. Et ideo, quadam die, Mar Baṭlān, per locum aliquem iter faciens, hominem vidit quem serpens momorderat serpentemque prope adstantem, et intra se dixit: « Periculum faciam promissi sacerdotis, magistri mei, mihi affirmantis me, si crediderim, miracula in nomine Christi patraturum. » Accedens igitur ad eum qui morsus fuerat, diu oravit, Christum obsecrans ut vim suam ostenderet tum eum sanando qui morsus fuerat, tum occidendo serpentem, ne aliis noceret; et dum orationem absolvit, homo qui morsus fuerat surrexit incolumis et serpens iacuit mortua. Unde fide sibi adaucta, Mar Baṭlān sacerdotem convenit et, ab eo baptizatus, consuetudinem iniit eundem conveniendi. Forte autem evenit ut caecus eum adiret medelae accipiendae causa. Quem pater eius, cum eum adverteret caecitate laborare, reppulit; dein sancto interroganti: « Quis ille est qui me alloqui voluit? » respondit: « Homo caecus, cui nullum apud te remedium. » At ille dixit: « Mox videbis gloriam Dei. » Dein caecum arcessitum sic compellavit: « Si visum receperis, credesne in Deum qui oculos tuos sanaverit? » Respondit caecus: « Credam. » Tum sanctus, longa oratione praemissa, manum oculis caeci imponens, dixit: « In nomine Christi videas », et illico vidit ille. Quod factum intuitus, pater

Mar Baṭlāni credidit, sicut et caecus, ambosque assumptos sanctus ad sacerdotem adduxit, *qui eos baptizavit. Porro mortuo patre, *p. 232. sanctus servos suos libertate donavit et, maiore facultatum suarum parte pauperibus distributa, coepit medicinam gratis exercere, postulando tamen ab iis quibus medebatur et quos sanabat fidem in Christum. Quare ei inviderunt *ceteri* medici, et tum ipsum, tum sacerdotem, caecum atque omnes qui crediderant apud imperatorem accusarunt. Iis imperator multa comminatus, a fide deficere nolentes capite truncavit; sanctum [1] autem multis cruciavit suppliciis, compluribus miraculis ex eodem prodeuntibus et, eo ipso tempore quo in cruciatibus versabatur, eius opera credentibus hominibus plurimis, qui martyrio affecti fuere. Imperator vero, sancto succensens, eum leonibus obiecit, a quibus illaesus, iussus est decollari et ita cursum et certamen consummavit.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est *vir* sanctus et insignis Anbā Bīdābā, Copti episcopus. Parentes hic sanctus habuit christianos ex Ermont, qui eum omni cultu decenti educarunt et libros divinos edocuerunt. Cum autem decem annorum aetatem assecutus est, secum reputavit quam caducus sit mundus et una cum consobrino cui nomen Andreas montem occidentalem petiit, ubi ambo sibi speluncam foderunt et coeperunt multa religionis opera exercere. Postea, persecutione in christianos desaeviente, hic sanctus prodiit, gregi suo valedixit, fidelesque cohortatus ut in fide Christi firmi permanerent, ad praefectum accessit nomen Christi confitens, atque illo iubente capite truncatus, martyrii coronam consecutus est.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Abīb dies vigesimus.

Hodie martyrium passus est *vir* sanctus, insignis ac praeclarus, Theodorus. Huic sancto pater fuit Iohannes nomine, ex Šaṭab, in Aegypto superiore, oriundus, isque cum *militum* agminibus abreptus fuerat et Antiochiam abductus, ubi habitavit et uxorem duxit

[1] Ex B; A: presbyterum.

filiam unius ducum militarium, quae erat idolorum cultrix et Deum mariti ignorabat. Ex ea hunc sanctum Theodorum suscepit, quem cum mater vellet ad delubra idolorum adducere *et horum [*p. 233.] cultum edocere, obstitit pater. Quare illa, rem indignata, a viro discessit, puero remanente cum matre, patre[1] autem precibus continuis Deum obsecrante ut filium ad viam salutis dirigeret. Adulevit sanctus et scientias sapientiamque didicit ac, Christo oculos cordis eius illustrante, adiit episcopum et ab eo baptizatus est; quod mater, ubi audivit, aegerrime tulit. Ipse autem percontatus est de patre suo[2], num mortuus esset, eique unus servorum rem secreto revelavit, illum nempe a matre reiectum eo quod christianismum profiteretur. Adultior adhuc factus, sanctus, artem equitandi edoctus, miles evasit et comes imperatoris, ac deinde dux exercitus, eumque imperator, ad bellum Persis inferendum proficiscens, secum assumpsit, et ipse una cum Theodoro Orientali[3] filium regis illorum rapuit.

Erat in urbe Auḫīdos serpens ingens quam colebant et cui quotannis aliquem offerebant devorandum; et in *eadem* urbe habitabat mulier vidua, christiana, duorum filiorum mater, quos apprehenderunt serpenti offerendos. Cum igitur sanctus Theodorus forte in urbem advenisset, eum adiit mulier flens, eique causam suam exposuit. Qui ubi novit eam christianam esse, intra se dixit: « Haec vidua est et iniuste oppressa, quam Dominus ulciscetur.» Tum ex equo desiliens, facie ad orientem versa oravit; dein, totius civitatis populo e summis moeniis inspectante, adversus serpentem, duos et viginti cubitos longam, processit, et, virtute divina contra illam communitus, eam lancea transfixit atque occidit, et filios viduae liberavit. Postea Aegyptum superiorem petiit, patrem requirens, et ad percontantem adduxerunt patrem, qui filium agnovit ex signis quae ei impresserat. Apud patrem usque ad huius obitum commoratus et ad urbem Antiochiam dein reversus, Theodorus imperatorem repperit apostatam et Christi fideles persequentem. Ad quem accedens, Christum coram eo confessus est, postquam illum idolorum sacerdotes iam accusaverant et Auḫīdi incolae imperatorem convenientes certio-

[1] Ex B; A: puero. — [2] Ex B, C et G; A: Percontatus est *pater* de filio suo. — [3] Cf. tom. XVIII, p. 334.

rem fecerant, illum ipsum esse qui serpentem a se adoratam interfecisset. Quare, imperatore iubente eum comburi, in ignem proiectus, martyrium consummavit. Corpus pecunia multa redemtum mulier fidelis abstulit et in domo sua abscondit *quoad, [*p. 234.] tempore persecutionis transacto, ecclesia ei aedificaretur. Sunt qui dicant mulierem fuisse ipsam sancti matrem.

Eius preces nobis adsint. Amen.

MENSIS ABĪB DIES VIGESIMUS PRIMUS.

Hodie, commemoratio celsissimae Dominae et reginae purissimae Mariae, matris salutis mundi, quae magnum christianis perfugium est atque inexhaustus thesaurus. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est sanctus Sūsīnūs[1] eunuchus. Fuit hic sanctus in numero magistrorum Theodosii imperatoris, et gratia ac sapientia ipsi indita erat in omnes admodum misericors atque beneficus, aegrotos visitans et consolans, in afflictos inquirens, ut iis opitularetur. Quo tempore adversus Nestorium coactum est concilium ephesinum, cui sanctus Cyrillus interfuit, huic et eius episcopis famulatus est sanctus, de iis curam agens[2]. Accidit autem ut gravi morbo laboraret; et sibi visus est in somnis aliquem intueri qui se ad convivium imperatoris invitaret[3]; ac sanctus Cyrillus, quocum visionem communicavit, dixit ei: « Volo Christum pro te orare, ut sanitatem tibi restituat.» Respondit ille: « Ora, pater mi, ut tantum liceat omnes facultates meas pauperibus distribuere.» Itaque sancto Cyrillo orante sanatus, surrexit et possessiones universas egentibus erogavit; deinde decumbens in pace quievit. Cui benedixit sanctus Cyrillus, praecipiens ut obitus eius ageretur memoria.

Eius preces nobis adsint. Amen.

MENSIS ABĪB DIES VIGESIMUS SECUNDUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Macarius (Maqārah), filius Basilidis veziri. Is, *apud Diocletianum imperatorem accusatus [*p. 235.]

[1] B et E: Senūsyūs: F: 'Asūsnyūs. — [2] Incisum hoc et quod proxime sequitur, de gravi infirmitate, ex codd. C, F, G; A om. — [3] Ex C et F; de visione nihil in A, adeo ut huius lector frustra quaerat quisnam «invitaverit» et quando.

quod idola non coleret atque illius iussu Alexandriam ablegatus, matri valedixit, pauperibus ei atque aegrotis commendatis. Tum proficiscenti cum *imperatoris* legatis Christus Dominus in visione apparuit, eum confortans et exhortans ad patientiam, eique praenuntians quae experturus esset. Ubi Alexandriam pervenit, ad Armenium adductus est, isque eum, quippe quem noverat filium esse veziri, blandimentis plurimis seducere conatus est, sed a sententia non recedentem multiplici cruciatuum genere affecit. Sancti autem anima, dum *corpus* in tormentis versatur, rapta est *ad caelum* ac Dominus ei ostendit sanctorum domicilia sedesque patris ipsius et fratris. Postea misit eum praefectus ad *urbem* Niqyūs, ibique *iterum* cruciatus est, lingua atque brachiis ei praecisis, et clavis candefactis lateribus eius infixis. Dominus vero per manus eius miracula patravit, ex quibus *hoc fuit*. Cum defunctus, turba comitante, prope se transiret, a Christo petiit sanctus ut gloriam suam manifestaret, tum preces fudit, et surgens qui efferebatur locutus est, circumstantibusque exposuit quid in gehenna vidisset, affirmans Christum esse mundi Dominum; quare multi in Christum crediderunt et, capite truncati, coronam martyrii consecuti sunt. Posthac Ariānā[1] praefectus forte Antinoen venit atque digrediens sanctum secum assumpsit. Qui ubi Šatnūf attigerunt, restitit navis immota; et Dominus sancto in visione apparuerat edixeratque, eum hoc loco certamen consummaturum atque eius corpus asservatum iri. Sanctus igitur, praefecto iubente eum in tumulum educi et caput eius amputari, certamen *ita* complevit. Porro, regnante Constantino, ab eo missus est dux exercitus, nomine Eulogius (Awlūğyūs), fidelis, qui ecclesias aperuit et aedificavit, delubris idolorum eversis; et huic sanctus Macarius, noctu apparens, locum corporis sui indicavit. Quare, ad locum pergens, sacrum corpus eduxit, ibique pulchram exstruxit ecclesiam, in qua corpus deposuit; et Deus inde magna edidit miracula.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passus est vir sanctus et insignis Leontius[2]. Is, ex Tripoli oriundus, christianus et parentibus christianis progenitus, in exercitu imperatoris impii merebat. Pulchra erat

[1] Sic A et B; C et G: 'Aryānūs. — [2] C: 'Ablātīnūs; F: Lāunyūs.

facie, forma et moribus perfectus, assiduus in legendis libris divinis, quorum maiorem partem memoriter didicit, imprimisque *Psalmos, quorum constanti usu illuc pervenit ut eos memoria teneret. Commilitones suos perpetuo adhortabatur, admonens ne vitam in idolis colendis consumerent. Et ex illis nonnulli quidem, monenti obsecuti, ab impietate sua recesserunt; alii vero, quos Satanas invaserat, ducem suum adeuntes, ei revelarunt, a sancto et idola contemni et doceri Christum verum Deum esse. Quare arcessitum dux de re percontatus est. Cui ille respondit verbis[1] Pauli apostoli: « Quis me separabit a caritate Dei mei Christi, cui ab infantia servio et quem adoro? » Quare dux, ira incensus, iussit eum ligari atque in carcerem usque ad posterum diem detrudi; et postridie evocatum sic interrogavit: « Quanam virtute audes imperatori adversari et homines a deorum cultu avertis? » Tum sanctus: « Velim nimirum, inquit, ut omnes homines Christi legem amplectantur, haereditatem regni aeterni *ita* consecuturi. » Dein idolis conviciatus est. Quare, ducis iussu acerbis caesus est verberibus, ita ut sanguis eius diffflueret; ipse tamen Deum laudabat et sanctum praedicabat. Illius autem misertus, unus militum ipsi amicorum ad eum accessit et haec ei in aurem susurravit: « Tui me miseret et vicem tuam propter adulescentiam doleo; sed unum fac verbum, te nempe diis sacrificaturum, et ego tibi adero patronus teque salvum praestabo. » At eum acriter reprehendit sanctus et reppulit, dicens: « Recede a me, Satana. » Itaque cum tantam *martyris* constantiam videret dux, tormenta ei ingeminavit, adeo ut, carnibus dilaniatis, cruor in terram dimanaret Deinde praecepit eum in mare immergi, tum pedibus trahi et detrudi in carcerem, ut consultarent quomodo esset adhibendus. Haec vero perpessus, in carcere mortuus est. Sacrum corpus magna pecuniae vi a custode et militibus redemptum mulier fidelis ac dives abstulit, et linteaminibus novis involutum, veste aurea superaddita, arca inclusit et in domo sua deposuit. Eius etiam imaginem in aedibus suis depingendam curavit, lampade ante eam accensa.

Intercessio eius atque benedictiones nobis adsint. Amen.

[1] Ex correctione quam B, C et G suppeditant.

* p. 236

Mensis Abīb dies vigesimus tertius.

Hodie ad requiem admissus est vir sanctitate insignis Longinus[1]. Sanctum hunc Longinum, patria *Cappadocem, Graecum genere, Tiberius Caesar, imperio potitus, cum aliis militibus tradidit Pilato, cui Iudaeae regionem committebat. Ubi autem tempus adfuit quo Dominus noster, cum vellet pro salute creaturarum pati, sivit a Iudaeis impiis illud suscipi *opus* quo se dignos effecerant, fuit Longinus unus ex militibus quibus Pilatus crucifixionis negotium demandavit. Et quidem hic sanctus, quem *Iudaei* sibi pecunia conciliaverant, id praestare conatus est quod cupiebant, Salvatoris postquam spiritum emiserat transfigendo latus, ex quo aqua manavit et sanguis. Hoc miraculum considerans, idem sanctus *tum demum* ea admiratus est quae tempore crucifixionis viderat, solem *nempe* et lunam obscurata, velum templi discissum, petras diffissas et mortuos resurgentes; atque admiratio ei adaucta est ex iis quae audierat et viderat de prodigiis quae Dominus noster a die natali usque ad crucifixionem patravit. Porro quando Ioseph iustus Salvatorem abstulit, sepelivit et deposuit in speluncam, aderat hic sanctus sepulcrum obsignantibus ac custodes apponentibus. Ubi vero surrexit sepulcro obsignato Christus, ille obstupescens et anceps Deum rogavit ut mysterium hoc sibi aperiret. Quare misit ei Dominus noster Petrum apostolum, qui illi in diebus resurrectionis occurrit. Longino igitur ipsum oranti atque obsecranti ut sibi universam Salvatoris doctrinam panderet, apostolus ea exposuit quae prophetae praedixerant de Salvatore, et hunc ostendit Filium esse Dei vivi. Credidit ille apostolo docenti ac, militia relicta, ad pristinam patriam Cappadociam reversus, ibi Christum apostolorum instar praedicavit. Quod ubi rescivit Pilatus, illi succensens, Tiberium misso nuncio certiorem fecit, et Tiberio rescribente *Longinus* capite truncatus est.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die, martyrium Marinae, martyris inter martyres *omnes* praeclarae, quae acerba sustinuit supplicia temporibus Dāryānūs (Adriani ?) imperatoris. Eius intercessio nobis adsit. Amen.

[1] C et G : Lonǧyūs ; H : Lānǧyūs.

Eodem die, commemoratio martyris ʻAbd-el-Masīḥ ex Ṭūḫ oriundi, haud procul[1] ab urbe Samannūd.

Mensis Abīb dies vigesimus quartus.

Hodie martyrium passus est sanctus Abā Nūb, ex Nahīsah[2], in territorio regionis inferioris, oriundus. *Parentes is habuit sanctos, puros et misericordes, qui, hoc sancto Abā Nūb donati, eum in timore Dei educaverunt quoad aetatem annorum duodecim attigit; eratque ecclesiae et doctrinae audiendae amans. Ubi Diocletianus christianos persecutus est, huic sancto in mentem incidit cogitatio de sanguine pro nomine Christi profundendo. Ingressus autem forte in ecclesiam, sacerdotem audivit fideles cohortantem et in fide confirmantem, deterrentem vero ab idolorum cultu, audientibusque suadentem ut sese morti traderent propter Christum. Quare eum in ipsius aedes sanctus convenit tristis, eique ob oculos ponens quidquid parentes sibi reliquerant auri, argenti et vestimentorum, dixit: « Scriptum est mundum cum omnibus suis concupiscentiis transire. » Tum surrexit et, universis facultatibus distributis, ad *urbem* Samannūd se contulit, in ripa fluminis incedens, ac Lysiae (Lūsyās)[3] praefecto occurrens, nomen Christi coram eo confessus est. Ibi apparuit ei angelus, qui eum confortavit eique praedixit quae ipsi eventura essent; et duris atque acerbis suppliciis est addictus. Porro evenit ut princeps iter faceret ad regionem australem et captivum secum assumptum malo navis capite inverso affigeret, tum sederet comedendi et bibendi causa; sed continuo calix quem manu tenebat in lapidem mutatus est, milites eius caeci facti sunt, angelus Domini, e caelo descendens, sancti vincula dissolvit sanguinemque ex ore ac naribus eius profluentem abstersit, et vento afflante ad *urbem* Atrīb appulerunt, cuius urbis praefectus ea didicit quae praefecto Samannūdi accidissent. Milites autem, cingulis solutis et proiectis, Christum confessi et martyrio coronati sunt. Sanctus in civitate Atrībensi cruciatibus addictus fuit: eum imposuerunt lecto ferreo, igne subiecto; sed, in lecto iacens,

[1] Mera coniectura de sensu vocis arab. quae in uno cod. E prostat et ibi, mendose forsan, متوز scribitur. — [2] Ex B C D G ; A omit. — [3] C : Lūsās.

oravit, et Dominus salvum eum praestitit; dein membra eius serra secarunt, verum angelus Domini descendit, eique incolumitatem restituit ac sanitatem. Posthac eum Alexandriam duxerunt, ibique multis est affectus tormentis. Serpentes mortiferae in eum immissae nihil ei nocuerunt, sed una ex iis, praefectum aggressa, collo eius circumvoluta haesit quoad sanctus, ab illo exoratus, eam discedere iussit. Ei affuit Iulius Aqfaṣensis, qui eum de ipsius vita deque patriae nomine percontatus est. Caput eius praefectus, postquam res ipsi fastidio fuit, amputari iussit, et tunc Christus Dominus ei apparuit eumque consolatus est, promittens omnia loca in quibus corpus asservaretur uberes fore sanationum fontes, itemque ipsum auxilio futurum omnibus qui Dominum nomine suo invocaturi essent. Dein sanctus martyrio affectus est, *et Iulius cum famulis suis corpus eius Nahīsam in patriam transtulit. In eius honorem ecclesiae postea aedificatae fuerunt, prodigiis atque miraculis ex eo prodeuntibus. Idem corpus nunc in urbe Samannūd iacet.

*p. 239.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater Simeon, Alexandriae patriarcha. Sanctus hic, ex Orientalium stirpe progenitus, a parentibus adductus est ad monasterium in quo corpus sancti Severi, ab occidente Alexandriae, ibique vitam monasticam amplexus, artem scribendi et librorum ecclesiasticorum plerosque didicit. Eum Anbā Agatho ordinavit sacerdotem; dein ad patriarchatum electus est ex designatione divina. Postquam autem consecratus est, regimine patriarchali patri suo spiritali permisso, se ipse ieiuniis, orationibus et lectionibus addixit, nulla alia re vescens nisi pane et sale cum cumino et oleribus. Vitam et mortificationem suam ad summum exegit perfectionis apicem, animamque sensitivam quae ipsi inerat animae intellectuali ac rationali submisit. Eius manibus Deus magna edidit miracula, quorum haec *sint exempla*. Quidam sacerdotes alexandrini, qui ei invidebant, conspiratione inita cum magis nonnullis, potiones ei appararunt venenatas ac mortiferas, quas in lagenam ingestas ei obtulerunt, rogantes ut iis utens salutem sibi propinaret; et ille exinde bibit post sacram communionem receptam, nec quicquam noxii expertus est. Eadem potio ab iisdem iterum ac tertio adhibita bibenti nihil nocuit. Cuius incolumitatem admirati, abeuntes, ficus inve-

nerunt egregias ac quasi crasso corpore praeditas, quales nusquam prius venumdatae fuerant, duobusque *ex his* pomis venenum mortiferum inseruerunt, ac sacerdotibus persuaserunt *magi* ut haec sumenda curarent a *patriarcha* ieiuno et antequam sacram communionem acciperet, dicebantque: « Ista si absumpserit, dirumpentur viscera eius. » Dolose igitur accedentes illi ad patriarcham eum rogaverunt ut quiddam gustaret ex iis ficibus quas illi ostentabant, atque id effecerunt ut ambas ficus invitus deglutiret, siquidem ipse nolebat ieiunium frangere *ante communionem. Postquam vero eas assumpsit, visceribus eius ea ipsa nocte commotis, stomacho infirmus remansit dies quadraginta, et visione nocturna didicit quaenam subesset morbo suo causa, quis sibi *medicamenta* apparavisset et quomodo. Porro evenit ut rex ʿAbd el-ʿAzīz Alexandriam veniret eumque adiret pater *patriarcha*, salutandi causa. Rex autem, vestigiis morbi in eius vultu deprehensis, percontatus est eos qui illi stabant ab epistulis, hique sciscitanti exposuerunt quid accidisset. Itaque praecepit *rex* ut sacerdotes et magi in ignem mitterentur. Tunc pater, in terram coram eo prostratus, cum fletu rogavit ut eorum misereretur. Qui respondit : « Illos comburi necesse est. » At pater : « Si illos combusseris, nihil mihi remanet officii patriarchalis. » Quare, mansuetudinem eius atque misericordiam admiratus, *rex* iussit sacerdotes dimitti, magos vero crematos voluit, et absque mora in Pharo (Fārūs) *insula* cremati sunt. Sibi conciliaverat hic pater reverentiam et honorem apud illius aetatis regem, cuius iussu ei aedificata sunt ecclesiae et monasteria; quare duo exstructa sunt coenobia prope Ḥaluān, a meridie Miṣri. Eiusdem patris manibus Deus magna edidit miracula, ut puta cum presbyterum cui nomen Mīnā, mortuum ac sepultum, precibus suis suscitavit. Quae suscitatio sic se habuit. Huic *Mīnae* munus commiserat *patriarcha* ecclesias regendi, earumque divitias, vasa atque libros custodiendi, et eum perpetuo admonebat ne rem quamvis ecclesiarum in aedibus suis asservaret. In morbum autem ex improviso incidit presbyter, lingua palato adhaerente mutus atque mente captus. Quod ubi rescivit patriarcha, ea re dolens noctem totam vigil transegit, Deum — qui exaltetur! — orans ut illum propter ecclesiarum facultates incolumem restitueret; et nocte media, nuntio sibi allato mortem presbytero imminere,

*p. 240.

discipulum suum misit, praecipiens ut uxorem de ecclesiarum thesauris percontaretur. Dum vero ad domum accedit discipulus, clamorem et fletum de presbytero *editum* audivit, et ingressus eum invenit mortuum, casula sacerdotali ab adstantibus indutum, lecto impositum et magna flentium multitudine circumdatum; et cum se inclinaret eum osculaturus, defunctus exsiliit residens, collumque accedentis complexus, haec protulit verba: « Deus unus est, Deus patris Simeonis. » Circumstantibus perterritis ac diffugientibus, discipulus dixit ei: « Convalesce, o presbyter! » At ille: « Utique: precibus domini mei patris Simeonis patriarchae Deus mihi vitam dedit. » Tum discipulus sacerdotes qui ex timore aufugerant revocavit, iis affirmans presbyterum a Deo sanatum esse; et ad se ingressos *ipse* presbyter sic allocutus est: « Scitote me *mortuum esse et, ante tribunal Christi translatum, vidisse patriarchas alexandrinos, a Marco usque ad Anbā Isaacum, qui, coram illo stantes, me his increpuerunt verbis: 'Cur ecclesiarum thesauros a fratre nostro Simeone occultasti?' Tum Dominus Iesus Christus: 'Istum, ait, abducite in tenebras exteriores.' At dum trahor illuc abducendus, patriarchae genibus flexis ante Christum Dominum, eum rogaverunt, dicentes: 'Miserere eius, Domine, hoc quidem tempore; nam frater noster Simeon stat orans pro eo propter ecclesiarum thesauros.' Quorum preces obsecrationesque Dominus ita acceptas habuit ut iuberet me dimitti. Mihi autem dixit Dominus: 'Propter *hos* electos meos atque eorum successorem te dimisi, ea tamen conditione ut iuste agas; sin minus, te huc reducam neque ullam iam admittam de te intercessionem.' Et en ego ad vitam redux. » Dehinc degit vir iste, miraculum illud cuivis percontanti enarrans. Hic autem pater *Simeon* annos septem cum dimidio permansit, exercitiis monasticis, religionis operibus, praedicationi et doctrinae tradendae addictus, ac dein in pace quievit.

* p. 241.

Preces eius atque benedictiones adsint. Amen.

Mensis Abīb dies vigesimus quintus.

Hodie ad requiem admissa est sancta Thecla apostola, quae temporibus Pauli apostoli vixit. Contigit ut Paulus, Antiochia

egressus, Iconium (Īqūnyah)[1] veniret, ubi vir fidelis, nomine Sīfārūs, eum in domum suam excepit, hominibus multis ad eum confluentibus ad praedicationem eius audiendam. Quod ubi rescivit haec virgo Thecla, e fenestella respexit, a cibo et potu abstinens, ut *et ipsa* Apostolum docentem audiret; atque haec doctrina cordi eius alte infixa est. Rem graviter tulerunt pater eius et servi, eamque rogaverunt ut a proposito sequendi Paulum desisteret. Dīmās autem et Hermogenes ('Armūnağos)[2], quibuscum pater consilium contulit et quibus filiae suae causam conquestus est, auctores ei fuerunt ut praefecti auxilium contra Paulum invocaret. Paulum igitur praefectus arcessivit ac, tum de ipso tum de eius doctrina percontatus, non inveniens in eo culpam, praecepit ut in vincula coniceretur. At sancta, ornamentis depositis, ad *Paulum in carcerem veniens, ad pedes eius procidit, eamque domestici, cum requisivissent nec invenissent, pro certo habuerunt apud apostolum Paulum esse. Itaque praefectus eam iussit comburi, ipsius matre clamante: « Cremate eam, ut mulieres reliquae exemplo eius erudiantur. » Plurimae namque feminarum nobilium verbis Pauli crediderant. Illam igitur *ad supplicii locum* eduxerunt, materque comes ei aderat; sanctae autem cogitatio et intentio in apostolum Paulum[3] ferebatur, quem mox vidit sublatum corpore in aerem et sibi benedicentem; quare ipsa corpus suum totum vultumque signans signo crucis, se proiecit in ignem, qui tamen ei non nocuit. Dein surgens Paulum convenit in locum ubi latebat; tum Antiochiam se contulit; ibique unus ex ducibus exercitus eam vidit et uxorem sibi depoposcit, siquidem mulier erat pulchra. Sed isto cum contemptu et conviciis repulso, ab eodem accusata est apud praefectum urbis, qui praecepit ut leonibus obiceretur. Inter leones biduum remansit, leonibus pedes eius lingentibus. Posthac duobus tauris alligata est et per urbem tracta, neque hoc ei nocuit. *Denique* dimissa, Paulum adiit, qui, eam consolatus, animum ei addidit ac robur, et eo hortante ut fidem in Christum passim praedicaret, se contulit Iconium (Qūniah), ubi Christum annuntiavit, tum in patriam suam,[4] ubi

* p. 242

[1] Sic ex C; A: Īqūmyah; B: 'Anqūmyah; G': Nīqodūmyah. — [2] Sic in A; B, C, G': 'Armūğānos. — [3] A addit, caeteris codd. omittentibus: et comites eius. — [4] Haec cum contexta oratione vix aut ne vix quidem conciliari possunt, cum Iconio oriunda dicatur mulier.

patrem et matrem ad fidem in Christum adduxit. Dein in pace quievit et coronam obtinuit martyrii[1] confessorum atque evangelistarum. Fertur corpus eius nunc in Singār apud Aethiopes asservari.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die, commemoratio consecrationis ecclesiae sancti Mercurii. Cuius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Anbā 'Andūnyā[2]. Is erat adulescens ex Banā oriundus, eiusque parentes, ex urbis optimatibus, fideles erant, boni atque misericordes. Venit hic sanctus Antinoen Christumque confessus est coram praefecto, quo iubente sagittis transfixus est, sed nihil mali inde expertus. Dein vero catenis constrictus et Alexandriam ablegatus, *capite inverso suspensus est quoad sanguis multus ex eius corpore in terram manaret; tum cruciatibus *aliis* plurimis eum affecit praefectus, et postquam hunc ipsius pertaesum est, ab eodem missus ad praefectum *urbis* el-Farmā, in carcere sanctum Mīnam invenit, quae res ei gaudio fuit. Eum autem praefectus Farmensis quoque variis tradidit suppliciorum generibus: ferreis eum pectinibus dilaniavit, igne adussit et coxit in aheno. Dominus vero confirmabat et sanabat patientem, qui dein, capite abscisso, coronam martyrii obtinuit.

*p. 243.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Eodem die, martyrium sancti Abū Isaaci. Is, ex Šamamā[3] oriundus, horti custos, bonus erat, placidus ac mortificationi deditus, a carne comedenda et vino bibendo abstinens, singulisque biduis ieiunans. Oleribus vescebatur et aegrotos ac pauperes visitabat, iis elargiens quidquid sibi ex laboris mercede reliquum esset. Dominus autem ei apparuit in visione et praecepit, praemiis magnis et coronis promissis, ut praefectum adiens nomen suum confiteretur. Quare admodum laetabundus surrexit, distribuit quae habebat et, praemissa oratione ad auxilium Christi Domini implorandum, praefectum convenit ac Christi confessus est nomen. Cruciatus est, Domino eum confortante, ignis adustione, membrorum amputatione, compressione et suspendio, ac postea, capite

[1] Haec vox in A tantum. — [2] C: 'Andūbīnā; E et F: 'Andūnīnā. — [3] C: Šamā.

acie gladii absciso, coronam martyrii consecutus est. Venerunt incolae urbis patriae Šamamae et corpus eius abstulerunt, ex quo sanationes insignes et magna prodierunt miracula.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die, martyrium passa est sancta Liāryā[1]. Haec sancta, oriunda ex Damliana[2], qui locus Damirae vicinus est, ac parentibus fidelibus et probis progenita, pura erat anima et corpore, orationique atque ieiunio constanter dedita. Cui aetatem annorum undecim assecutae, dum sedet labori suo vacans, apparuit Christus Dominus, magna luce circumdatus, et ei apparuit *etiam* angelus Raphael, qui dixit: « Quare sedes tu eo ipso tempore quo certamen committitur et coronae adsunt paratae? » Itaque surgens quaecumque possidebat aegrotis ac pauperibus distribuit, *tum venit Ṭuam (Ṭūah) et inde Sūsanam (Sūsanah)[3], ubi, praefecto se sistens, coram eo Christum confessa est. Sancto autem Anbā Šenūsio (Šenūsī) Dominus apparuerat et sanctam hanc notam fecerat; quam ubi vidit, eius adventu gaudens, eam consolatus est, animumque ei addidit. Eandem praefectus gravibus affecit tormentis: carnem eius pectinibus dilaniavit, auribus clavos affixit candefactos; deinde eam vinculis adstrinxit cum septem martyrum aliorum millibus et sexcentis, atque universis secum assumptis itineri se commisit. Porro dum navigant irruit crocodilus in puerum qui erat unicus matri suae filius, eumque abripuit; quare sancta, matris lacrimas fundentis miserta, Christum Dominum oravit, quo iubente crocodilus puerulum vivum, imo et illaesum dimisit. Statim ac Ṭuam advenerunt, praecepit praefectus ut sancta in hypocaustum deiceretur, ubi nihil mali passa est; dein membra ei amputata et in ignem coniecta; tum ungues evulsi, lingua praecisa, crepidae ferreae utrique pedi clavis affixae; corpus lecto ferreo, flammis subiectis, impositum. Tandem, capite amputato, martyrii coronam adepta est.

*p. 244.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passae sunt sanctae Theclah et Mūǧī[4], *oriundae* ex Qarāqos, ex *territorio* el-Boḥairah, haud procul ab Alexandria. Ambae, cum apud magistrum in Qarāqos educarentur,

[1] G: Līlāryā. — [2] B, C, G: Damlīnā. — [3] B et C: Sarsanā. — [4] C et F: Fūǧī.

iuxta mare transeuntes, forte praefectum viderunt operam dantem christianis torquendis. Cuius crudelitatem et *simul* martyrum constantiam admirantibus Dominus apparuit, tempore meridiano, easque, gloria sanctorum iis ostensa, alacres reddidit. Quare navem conscenderunt, Alexandriam navigaturae, iisque apparuerunt diva Virgo et Elisabeth sub specie duarum mulierum cum ipsis navigantium. Postquam ad urbem advenerunt, fidem confessae sunt coram praefecto, qui eas acerbis affecit cruciatibus et sanctae Mugiae caput amputavit, Theclam autem ad Damṭū[1] misit, ubi martyrium subiit.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus 'Abkirǧūn[2]. Is, ex el-Banawān[3] oriundus, *primum fuit latro, duosque adulescentes latrocinii socios habebat. *Die quadam,* cellam monachi adeuntes, hunc invenerunt vigilem atque orantem et exspectaverunt dum, oratione absoluta, decumberet; verum somno nulla noctis hora indulsit. Quare eorum corda commota sunt ac maerore affecta, et mane, seniore ad se egrediente, ad pedes eius sese venerabundi prostraverunt; tum, gladiis abiectis, vitam monasticam apud seniorem amplexi sunt. Hic autem sanctus *'Abkirǧūn* multis religionis operibus ac certaminibus sive animae sive corporis se dedidit, eique senior praedixit eum certissime pro nomine Christi martyrem futurum. Post sex annos, Satana persecutionem adversus Ecclesiam movente, patri suo spiritali valedixit et, benedictione eius accepta, ad urbem Niqyūs se contulit, Maximianum imperatorem ibi repperit ac, Christum coram eo confessus, ab eo magnis cruciatibus affectus est, caroque eius pectinibus dilaniata et vulnera confricata. Deinde, Alexandriam adductus, a malo navis quinquies suspensus est, et funes quinquies rupti sunt. Postea utre pelliceo inclusum in mare[4] deiecerunt; sed educto ex aqua angelus Domini praecepit ut ad *urbem* Samannūd commigraret. Quo profectus, advenit el-Banawān, et incolas de Abkirǧūn percontatus est, siquidem eum non agnoscebant. Quamobrem interroganti responderunt : « A nobis iampridem discessit, nec quicquam de eo nobis nunc compertum. » At illum attente consideratum ancilla agnoscens timore *prostrata* cecidit, ita ut

[1] G' : Danṭūfū. — [2] C et G' : 'Abkirāǧūn ; E : Bikrāǧūn. — [3] G : el-Būq. — [4] Vel : flumen.

frangeretur vas quod gestabat, et circumstantibus dixit : « Hic ipse est Abkirǧūn. » Tum ad eum confluxerunt, benedictionem eius aucupantes, et qui morbo laborabant eum rogabant ut oleo benediceret quo ab eo ungerentur et sanarentur. Dehinc iter faciens Samannūd versus, uni militum dixit : « Christianus sum, ideoque devinci me et trahe per civitatem. » Quod ille fecit donec eum coram praefecto sisterent. Hic eum ab arbore per dies decem suspendit, usquedum sanguis multus ex ore eius et naribus efflueret. Cum autem filiae veziri maledixisset, mortua est remansitque dies duodeviginti mortua ac sepulta ; verum, pro ea exoratus, oravit ipse Christum Dominum, a quo suscitata puella adstantibus enarravit quae in gehenna vidisset ; et Iustus vezirus atque eius uxor in Christum crediderunt, itemque veziri milites, numero nongenti quinque et triginta, crediderunt et martyrio coronati sunt. Posthac sanctus etiam Alexandriam missus est, ubi cruciatus sustinuit ; subinde, ad Samannūd ablegatus, ibi tudibus contusus est ac dorsum eius confractum ; tandem ubi tortores illius pertaesum est, eum Alexandriam remiserunt, *et ut pervenit ad collem Barmūdah, apparuit ei Christus Dominus, qui, eum consolatus, admonuit certamen eius ibi consummatum iri, promisitque omnes quotquot nominis ipsius invocarent praesidium a se consecuturos quidquid peterent. Eo in loco, praefecto iubente caput eius amputari, certamen absolvit, coronam vitae adeptus. Porro apparuit angelus Domini sacerdoti ex iis qui in Manūf habitant et, indicato loco in quo corpus sancti iacebat, praecepit ut hoc auferret ; ac postquam persecutio finem accepit, ecclesia sancto in el-Banawān aedificata est, eiusque corpus in eam translatum.

Universorum preces nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Balāmūn, pater sancti Anbā Pachomii (Baḫūm), parentis societatis *monasticae.* Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Abīb dies vigesimus sextus.

Hodie, obitus viri senectute honesta provecti, iusti atque innocentis Iosephi, fabri lignarii, qui meruit ut pater Christi in corpore *considerati* vocaretur, quem testatur Evangelium iustum

fuisse. Sponsus factus est dominae nostrae celsissimae Virginis Mariae; et postquam cursum complevit, certamenque ac labores quos cum diva Virgine et Christo Domino sustinuit, ambos adducendo a Bethlehem in terram Aegypti; postquam complura a Iudaeis passus est, imminente tempore quo ex hoc mundo ad mundum vivorum migraturus erat, quattuor filios suos, Iustum scilicet, Iudam, Iosephum (Yūsāb) et Iacobum, cum tribus filiabus, arcessivit, iis monita dedit valedixitque, tum, manu protensa, emisit spiritum. Vixit annos omnino centum undecim, quadraginta *nempe* antequam uxorem duceret, duos et quinquaginta in coniugio, et novemdecim in viduitate, ex quibus tres ante Christi incarnationem effluxerant. Ei morienti Christus Dominus adfuit, p. 247. oculis eius manum imposuit, *exstinctum flevit, effecitque ne corpus corrumperetur neve ossa dissolverentur. In sepulcro Iacobi, patris sui, depositus est anno decimo sexto incarnationis Christi.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est sanctus pater Timotheus, Alexandriae patriarcha. Hic sanctus gregem Christi egregio regimine moderatus est, ovesque a lupis Ario, Macedonio et Sabellio[1] custodivit. Anno sexto principatus eius, Theodosius Magnus imperium in christianos obtinuit, atque eodem anno sacrum centum et quinquaginta episcoporum concilium in urbem Constantinopolim coactum est adversus Macedonium, qui se impium in Spiritum sanctum praebuerat. Concilio praesedit hic pater, quia Dāmīnyūs[2], papa Romae, non *ipse* adfuit, sed *tantum* legati eius. Disputavit hic sanctus contra Macedonium, Sabellium et Apollinarem, eosque devicit, eorum argumentis confutatis. Illorum *haereticorum* impietatem et quae adversus eandem disputavit hic sanctus iam supra memoravimus, ad diem quo coadunatum est concilium, primum *scilicet diem* mensis amšīr[3]. Hic sanctus, temporibus suis, curam egit quam diligentissimam ecclesiarum, quarum complures Alexandriae et extra Alexandriam aedificavit, multas autem resarcivit et instauravit. Cryptas etiam exstruxit in sepulturam peregrinorum. Assiduus erat in doctrina tradenda,

[1] Ex B, C, F, G'; A: Sanlyūs. — [2] Sic: Damasus tunc sedem Romanam obtinebat. — [3] Cf. tom. XVIII, p. 449.

eloquens perspicuusque in docendo et in ratiocinando, ac multos reduxit ex Arii asseclis. Sedem obtinuit annos novem et anni partem, atque in pace Domini decessit.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis abīb dies vigesimus septimus.

Hodie martyrium passus est Abā Mūn, ex Mareota[1] oriundus. Hic sanctus, qui in Aegypto superiore fuerat, cum ea vidisset quae sanctis fiebant, Arium[2], Antinoes praefectum, adiit et Christum confessus est. Quare acerbis ab illo tormentis: verberibus, suspendio, pectinibus carnem dilaniantibus, clavis longis corpori infixis, affectus est, Christo Domino eum *interea* confortante et sanante. Dein Alexandriam missus, *sed Christi Domini, qui ani- * p. 248. mum ei addidit, apparitione dignatus, plurimum ibi cruciatus est, et multi martyrium propter eum subierunt. Ex his virgo fuit, nomine Theomīlā, quae, ad praefectum accedens, et ipsi conviciata est et idolis eius, Christum vero confessa; quare eam iussit ille in ignem mitti, sed Domino eam inibi incolumem praestante, capite truncata est. Sancto autem, post cruciatus alios, verenda excisa fuere, et iussus est decollari.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die, consecratio ecclesiae sancti Abū Bafāmi. Cuius intercessio nobis adsit, et Domino nostro gloria!

Mensis abīb dies vigesimus octavus.

Hodie ad requiem admissa est sancta Maria Magdalena. Haec, Christum qui ex ipsa septem daemones eiecerat, secuta, et facta eidem alumna, ei atque discipulis ministravit. *Ei* aderat tempore passionis, crucifixionis, mortis et sepulturae; se mane ad sepulcrum contulit, vidit lapidem revolutum atque angelum ei insidentem; et cum timerent ipsa et Maria, mater Salvatoris, dixit eis angelus: « Nolite timere vos; novi equidem a vobis Iesum crucifixum quaeri; surrexit. » Illa ipsa est cui Salvator apparuit dixit-

[1] Ex C et D (Maryūṭ); A: Barnūṭ; B, F, H: Baryūṭ; E: Tarbūṭ; G: Tarnūṭ. — [2] B, C, G: Aryānūs.

que : « Abi et fratres meos fac certiores, me ascendere ad Patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. » Abiit igitur et resurrectionem discipulis nuntiavit, atque prae illis gloriata est se ante eos Dominum contemplatam esse. Post ascensionem Domini, in famulatu discipulorum perseveravit et gratiam Spiritus sancti in se effusam accepit, secundum hanc Ioelis praedictionem : « Filii vestri et filiae vestrae prophetabunt, et de spiritu meo effundam in servos meos et ancillas meas. » [1] Cum discipulis praedicavit ac mulieres plurimas ad fidem in Christum convertit, et ab apostolis instituta est diaconissa [2] ad feminarum institutionem earumque baptismum. A Iudaeis multas perpessa est contumelias, verbera atque opprobria, et mortua est in ministerio discipulorum perseverans.

Eius preces nobis adsint. Amen.

* p. 249.

*MENSIS ABĪB DIES VIGESIMUS NONUS.

Hodie nostri officii est, o fideles, ut spiritale agamus festum in commemorationem sanctae annuntiationis, nativitatis virgineae et resurrectionis gloriosae Domini nostri Iesu Christi, cui gloria in aeternum. Amen.

Eodem die nos oportet agere festum translationis membrorum sancti apostoli Thaddaei a finibus Syriae ad urbem Constantinopolim. Haec transtulit imperator Dei amans Constantinus, iisque pulchrum superstruxit templum, quod die huic respondente consecravit. — Eius intercessio nobis adsit.

Eodem die martyrium passus est sanctus Warašnūfah. Is, qui doctus erat, religiosus ac timoris Dei plenus, cum ad episcopatum postularetur, aufugit et, in Kaḥmūn [3] adveniens, apud duos fratres christianos et Dei amantes pernoctavit. Ei autem apparuit angelus Domini, praecipiens ut Christum confiteretur. Itaque expergefactus fratres rei certiores fecit, omnesque concordi animo praefectum adierunt et, nomen Christi confessi, ab illo acerbis affecti sunt cruciatibus. Eos in carcerem coniecit, dein assumptos ad Sanhūr duxit et hic iterum cruciavit, angelo Domini iis appa-

[1] IOEL., II, 28, 29. — [2] Ex B, C, G, quorum textus explicitior et limpidior. — [3] B et F : Taḥmūn ; C : Ǧalǧamūn ; G : an-Naḫmūn.

rente et animum addente ; dehinc ad *urbem* Ṣā eos transtulit ibique tormentis addixit. Posthac confessores plurimos congregavit, quibus imperatoris edictum de idolis colendis praelegit ; tunc sanctus Warašnūfah exsiliens decretum abripuit ac discerpsit. Quare praefectus, ira percitus, iussit eum in fornacem accensam proici.

Eius preces nobis adsint. Amen. Et utinam ab inimico salvi evadamus ! Amen.

MENSIS ABĪB DIES TRIGESIMUS.

Hodie martyrium passi sunt vir sanctitate insignis Mercurius (Marqūrah) et vir sanctitate insignis Ephraemus ('Afrām). Hi duo sancti, fratres spiritu et carne cognati, ex *urbe* Aḫmīm oriundi, spiritalem inter se concordiam foventes, *vitam monasticam amplexi sunt in quodam Aegypti superioris coenobio, ubi viginti annos [1] commorati sunt. Quo autem tempore inimici *diaboli* instinctu persecutio contra ecclesiam orthodoxam mota est ab Arianis [2] et isti, iussu imperatoris Constantii (Qosṭanṭīnyūs), ingressi sunt ut in altaribus orthodoxorum sacrum facerent, hi sancti in eadem altaria irruerunt et panem ab Arianis impositum proiecerunt, dicentes : « Quicumque non baptizatur in *nomine* sanctae Trinitatis, eum non decet sacrificium suum offerre nisi in idolorum altaribus. » Quare comprehensi sunt, multis affecti verberibus et eiecti ab Arianis, qui non destiterunt eos pedibus percutere quoad, ossibus confractis, animas in manus Christi exhalarent. — Eorum intercessio nobis adsit. Amen.

* p. 250

Domino nostro gloria sempiterna !

Explicit mensis abīb benedictus in pace a Domino *concessa*. Amen.

[1] Ex B, C, G ; A : annum. — [2] Ex B, C, G ; A de Arianis silet.

*p. 251. *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,
Dei unius, cui sit gloria.

Mensis mesrī benedictus.

Huius mensis dies primus.

Hodie martyrium passus est sanctus 'Abālī, filius Iusti (Yostos), Graecorum imperatoris. Huic sancto Iusto regnum Graecorum iure competebat[1]. Is, bellum gerens, Antiochiam venit, ubi repperit Diocletianum, a quo idolorum cultus instauratus; et cum posset eum interimere regnumque ei eripere, illud praetulit stabile regnum quod non evanescet. Ei autem multum blanditus est Diocletianus; sed postremo, eo adductus est, ipso Iusto cogente, ut tum Iustum, tum uxorem eius Theocliam, tum 'Abalium filium, cui haec dies sacra, in regiones Aegypti exsulare iuberet. Eos ad Armanium, Alexandriae praefectum, misit, litteris ad eum datis, quibus haec mandabat: «Si paruerint, *bene habet*[2]; sin minus, eos separa, singulos in singulas ablegans urbes.» Tunc Christus Dominus Iusto apparuit, robur ei impertiens atque solatium, praedixitque quae ipsi obventura essent, et bona caelestia pollicitus est. Postquam Alexandriam devenerunt, praefectus, manus ei inferre non ausus, eum verbis blandis ac fallacibus allocutus est, donec, illo sibi conviciante, iratus, Iustum Antinoen misit, uxorem eius in urbem Ṣā, et filium 'Abalium Baṣtam (Basṭah), *relicto cum singulis uno ex eorum servis, qui famulatum praestaret. Abālī autem, ubi Bastam delatus est, Christum confessus, a praefecto acerba sustinuit supplicia: ignem, adustionem, praelorum compressionem, membrorum desectionem; leonibus etiam obiectus est; sed Dominus eum confortabat ac salvum praestabat, adeo ut multi in Christum crediderint, iis permoti quae ille sustinuerat incolumis atque sanus. Posthac sacrum eius caput abscisum est. Corpus nunc in coenobio el-Ḫandaq extra urbem el-Qāhiram *asservatur*. *p. 252.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

[1] Ad litt.: Huic ..... regnum erat. — [2] Apodosis ex contextu, ut fieri solet, suppletur.

Mensis mesrī dies secundus.

Hodie ad requiem admissa est sancta Bāyinasah[1]. Haec sancta ex Manūf oriunda erat atque parentibus divitibus progenita. His mortuis laudandum cepit concilium domus suae convertendae in hospitium monachis et peregrinis; quod cum fecisset, omnes quotquot ad se veniebant excipiebat, iis etiam ea suppeditans quae iis opus forent, quoad eius facultates absumptae sunt. *Tunc* eam convenerunt viri perversi et pravis dediti moribus, atque animum eius ita ad peccatum averterunt ut aedes suas efficeret prostibulum, in quo ipsa sedens omnes peccati causa advenientes excipiebat eodem modo quo egerat quamdiu viam virtutis insistebat. De ea autem audierunt seniores sancti, qui, magno inde maerore affecti, cum Iohanne Curto ad se arcessito quae ad illam attinebant communicaverunt et, de eius anima salvanda solliciti, eum rogaverunt ut illam adiret et charitatis opere vicem ei rependeret beneficiorum quibus eidem obstricti fuerant. Iis morem gessit ea in re sanctus Iohannes, postquam ab iis petiit ut ipsum orationibus adiuvarent. Dein profectus est et, in locum deveniens ubi illa commorabatur, ostiariae dixit: «Heram tuam certiorem fac me advenisse.» Illa, re audita, existimans eum venisse pravis suis consiliis consentientem, ornavit se; tum sedens eum admisit, ipseque intravit, illud Psalmi recitans: «Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.» Ingressus autem, cum illa hortaretur ut secum in toro sederet, ad eam respiciens, dixit: «Cur, Christo Domino contempto, ad istam pravam consuetudinem prolapsa es?» Cuius verba ut audivit, contremuit et cor suum sensit quasi liquefieri. Tum sanctum caput inclinantem *et lacrimas fundentem interrogavit de causa fletus. Cui sanctus: «Video, inquit, daemones in facie tua colludentes, et haec est causa cur tuam conditionem defleam.» At illa: «Superestne mihi paenitentia?» Respondit affirmando. Et illa iterum: «Abduc me in quemcumque locum tibi visum fuerit.» Tum sanctus: «Veni, inquit, mecum.» Et surrexit illa, eum sequens, amboque incedentes in desertum ingressi *p. 253

[1] B et E: Yānasiah; C, D, G: Bābasiah; F: 'Abāyisah.

sunt. Sub vesperum dixit Iohannes: « Hoc in loco pernocta » ; tum et ipse, procul ab ea, oratione absoluta, dormivit. Nocte media, cum surgeret ad orandum, adspexit supra mulierem lucis columnam a terra ad caelum pertingentem, simulque vidit angelos Dei illius animam asportantes. Itaque ad locum venit ubi mulier remanserat, quam reperiens mortuam, se ipse in terram proiecit, Deum rogans ut suam de illius sorte sollicitudinem pacaret; et ad eum vox emissa est, dicens: « Paenitentia eius ipsa hora qua eam paenitere coepit, acceptior fuit paenitentia aliorum quos ante annos multos, ⌜sed non cum eodem fervore[1], paenituit. » Ad seniores autem rettulit *Iohannes* quaecumque sibi cum illa evenissent.

Huius sancti oratio Deo accepta nos a peccatis nostris liberet, quemadmodum sanctam illam liberavit, huiusque sanctae preces nobis adsint. Amen.

MENSIS MESRĪ DIES TERTIUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Simeon eremita. Is, ex insula Syriae oriundus, cum gregem patris sui adhuc puer pasceret, assiduus erat in ecclesia quovis tempore frequentanda; et, Dei gratia impulsus, coenobium quoddam adiit, in quo commoratus est, operibus pietatis et insignis paenitentiae addictus. Pulverem cineremque capiti suo inspergebat, ieiunioque diuturno ac dira siti se ipse cruciabat. Dein renes suos fune accinxit quoad, hoc in carnem ingrediente, locus vermibus scateret et foetidum emitteret odorem. Fratres autem, quibus foetor exosus ac nauseam afferens, illum quoque odio habuerunt. Quare, ab iis digressus, ad puteum arefactum se contulit, in quo habitavit. Tum vero coenobii hegumenus quendam vidit qui et ipsi dicebat: « Servum meum Simeonem require », et fratribus vitio vertere videbatur illius egressum ex monasterio. Rem hegumenus cum universis fratribus communicavit; qui, commoti ac perturbati, illum requirentes in puteo reppererunt, cibo *potuque destitutum, et veniam ab eo humi prostrati petierunt atque eum reduxerunt in monasterium. Verum cum in monasterio honorifice

[1] Hoc incisum B, C, G; A om.

* p. 254.

haberetur, id ipse non tulit, sed ab iis discessit, venitque ad rupem, cui insedit sexaginta dies prorsus insomnis; ac deinde angelus Domini eum convenit, consolatus est, confortavit, monuitque eum a Domino vocari ad multarum animarum salutem *procurandam*. Dehinc in columna triginta cubitos alta stetit annos quindecim, miracula plurima ac magna edens prodigia, et quotquot ad ipsum veniebant *pie* cohortans. Pater autem eius eum requisierat neque invenerat, obieratque, eiusdem aspectu non recreatus; at post multos annos, mater, fama eius ad se perlata, adiit in columna stantem et, postquam plurimas fudit lacrimas, subter columnam obdormivit[1]. Tunc, sancto Christum Dominum orante ut se matri benignum praeberet, mortua est dormiens, eamque subter columnam humarunt. Porro Satanas, sancto invidens, vulnus ei in crure immisit, unde ulcus enatum; et Simeon annos *complures* unico pede stans permansit, quoad *membrum* contabuit, vermibus e summa columna labentibus[2]. Ad eum venit, multitudine hominum stipatus, dux latronum, qui apud ipsum pernoctavit et sancto Christum pro illo deprecante, post paucos dies ibi transactos mortuus est. Christus, ab eo exoratus, aquae fontem ei ad pedem columnae elicuit. Deinde ad *aliam* columnam excelsam commigravit et in ea permansit annos prope triginta. Religionis officiis functus annos octo et quadraginta, ad Dominum translatus est, postquam exhortationibus et doctrinae explanatione homines multos ab impietate ad Christi cognitionem traduxit. Morte eius audita, venit patriarcha antiochenus et corpus Antiochiam magno cum honore detulit.

Preces eius atque benedictiones nos in aeternum custodiant. Amen.

MENSIS MESRĪ DIES QUARTUS.

Hodie ad requiem admissus est Ezechias, filius Achaz, e stirpe Davidis et tribu Iudae oriundus. *Eiusmodi fuit hic vir iustus ut inter filios Israel post Davidem non comparuerit rex ei similis. Ceteri quippe omnes idolis cultum adhibuerunt et aedificarunt altaria; hic vero, statim atque regnum exorsus est, idola fregit,

* p. 255.

[1] Sic B et G; A: stetit. — [2] Sic B, C, G; A : ipseque e columna cecidit.

altaria eorum evertit, serpentemque aeneum comminuit, eo quod eum Israelitae adorarent. Deus autem ei in terris degenti[1] ampliora quam pro meritis praemia retribuit, e quorum numero hoc fuit : anno decimo quarto regni eius, urbem Hierosolymam obsedit Sennacherib, rex magnus ac potentissimus, quo nemo alius illis temporibus fortior, cui omnes ceteri reges sese tremebundi subiecerant. Unde cum ab eo sibi timeret Ezechias, pecuniam multam ei misit, qua tamen ille non placatus, respondit plurima comminando, atque etiam Deum maxime laudandum lingua sua impura blasphemando dicendoque : « Non poterit Dominus vos e manu mea eripere.» Duas porro ad Ezechiam dedit epistulas, blasphemiarum et minarum plenas. Quare Ezechias flens, scissis vestimentis suis, induit cilicium ; tum, in domum Dei ingressus, coram eo his oravit verbis : « Tu, Domine, nosti quae dixerint Sennacherib et legati eius. Ille quidem deos terrae omnes disperdidit, eo quod isti lapide tantum et ligno constant ; sed tu es Dominus Deus unicus. » Dein nuntios ad Isaiam misit, quibus certiorem eum faciebat de iis quae dixerat Sennacherib, rogabatque ut pro se precaretur. Cui Isaias Dei verbis respondit admonendo ut bono esset animo, fore enim ut Dominus pro eo facinus ederet quale neque ab ullo in terris patratum, neque auditum unquam fuisset. Illa *ipsa* nocte, angelus Domini ad hostes descendit, et ex iis una hora interfecit centum octoginta quinque virorum milia ; et qui superstites erant, expergefacti, cum viderent exercitus stragem, Mossulam, in regionem suam, aufugerunt. Sennacherib autem, in delubrum deorum ingressum orandi gratia, duo filii, impetu in eum facto, occiderunt. Ezechias, e manu illius liberatus, gratias Deo egit. Postea, cum visum est tempus mortis eius imminere, eum gravi morbo laborantem adiit Isaias, dixitque ei : « Suprema filiis tuis impertire monita ; iamiam enim moriturus es. » At ille preces coram Deo fudit, et Deus ad eum Isaiam iterum misit, *qui nuntiaret augmentum quindecim annorum ei divinitus concessum ; eoque postulante ut sibi illius rei indicium suppeditaretur, Isaias in eius gratiam solem quindecim gradibus retroegit. Eum reges reveriti sunt atque muneribus oblatis honorarunt, quippe quibus persuasum erat Deum ei

*p. 256.

[1] Ad litt. : in diebus eius.

adesse. Solium regium obtinuit annos viginti septem et vixit annos omnino quattuor et quinquaginta ; *quibus transactis*, decessit Deo acceptus. Exstat canticum quod Spiritu sancto afflante edidit cum a morbo convaluit et quod libro canticorum insertum est.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Hodie, in Singār martyrium passi sunt sanctus David et fratres eius. Quorum precibus Dominus nostri misereatur. Amen.

Eodem die, consecratio ecclesiae *viri* sancti, inter sanctos illustris, patris nostri Antonii, parentis monachorum, in monasterio el-ʿArabah.

Deus, qui patri nostro Abrahamo, et Isaaco, et Iacobo, coram te consistentibus, adfuisti, et nobis hodie adesto, ac per benedictionem huius patris sancti, patris nostri illustris, Antonii, sideris deserti, ignosce nobis peccata nostra, nosque ad portum perduc incolumes. Amen.

Mensis Mesrī dies quintus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus Iohannes, vir pius et miles. Parentes is habuit christianos, fuitque militiae adscriptus sub Iuliano apostata imperatore. A quo missus cum aliis militibus ad fideles persequendos, coram militibus sodalibus fingebat se christianis adversari ; sed in occulto eos tuebatur ac beneficiis afficiebat, illorumque egenis res necessarias suppeditabat. Insuper autem ieiuniis, orationi et eleemosynis elargiendis perseveranter addictus, *vitam degit[1] piam ac Deo acceptam, et postquam requie donatus est, ex eius sepulcro multa prodierunt miracula.

*p. 257.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

[1] G′, cum quoad substantiam hucusque cum A consenserit, reliquam huius relationis partem fusius sic proponit : « Vitam egit iustorum, cum daemone clam et in occulto decertans eumque virtute Christi devincens. Cogitationes eius altae erant atque consilia spiritalia, etsi inter homines perversos versabatur, ex quibus ne unus quidem erat, ab imperatore usque ad servos, qui Christi nomen memoraret. Huius sancti cogitationes noverat Dominus, eiusque religionem (*ad litt.* rem) abscondit atque ipsum tutus est in usum et utilitatem illorum christianorum qui ad eum accederent. Erant quippe qui sua sponte ac libere veniebant ut, Christi nomen palam confessi, tormenta, imo et mortem

Mensis Mesrī dies sextus.

Hodie martyrium passa est sancta Yūlīṭah[1], bellatrix. Haec, ex Caesarea Cappadociae *oriunda,* amplas facultates a parentibus haereditate acceperat; et vir iniquus ei maiorem divitiarum, possessionum ac servorum partem eripuit, adhibitis falsis testibus, quos muneribus corruperat. Qui cum nosset ei in animo esse quod ab ipso inique factum revelare, eandem apud Cappadociae praefectum accusavit. Illa autem intra se dixit: « Divitiae huius mundi nihil sunt, et iis quidem iniuste me spoliarunt; sed divitias vitae futurae possideo, quas nemo a me tollet. » Quare, coram praefecto adstans, confessa se esse christianam et eius iussu in ignem coniecta, animam in manus Domini exhalavit. Flamma autem ne ullam quidem corporis eius partem attigerat, et ex medio igne exivit qualis aliquis ex aqua enatat, pro divitiis suis regnum perpetuum aeternumque assecuta. *Eam sanctus Basilius magnis ornavit laudibus.

Preces eius nobis adsint. Amen. *Prosint* item omnibus baptismi filiis ad extremum usque halitum. Amen.

Mensis Mesrī dies septimus.

Hodie misit Deus angelum suum magnum Gabrielem, qui viro iusto Ioachim faustum afferret nuntium de *ortu* celsissimae

ab imperatoribus impiis sustinerent, et id quidem pro suo amore in Dominum suum, qui libere passus est ac mortem obiit in cruce, genus nostrum ita e misera servitute eripiens. Illis igitur sanctus Iohannes se benignum praebebat ac beneficum, eosque summa cura recreabat; et cum militum gestaret habitum, eius industria oculos fugiebat tum imperatorum, tum commilitonum. Quemadmodum nempe Deus animum imperatorum a Iuliano Aqfasensi omnibusque huius famulis ita avertit ut nullus imperatorum eum ad idololatriam, qualis tunc temporis vigebat, exercendam coegerit priusquam tempus adesset martyrii ipsi et famulis subeundi, ita et hunc quoque sanctum Iohannem in usum martyrum servavit: exterius quidem miles ille erat, interius vero vir sanctus, in ieiuniis, oratione, eleemosynis et puritate perseverans. *Paucis,* vitam egit iustorum, qui Deo accepti sunt. Obiit senex, et ex sepulcro eius portenta prodierunt atque miracula. »

[1] C et F: Yūlīṭiah; E: Lūlītah; G': Yūliṭiah.

dominae Matris Dei, Dei, *inquam,* nostri incarnati. Ille nimirum iustus eiusque uxor consenuerant prole carentes, siquidem Ḥannah sterilis erat, ideoque gravi maerore afficiebantur, quoniam quicumque prole carerent, in eos se filii Israel contumeliosos praebebant, eosdem benedictione destitutos praedicantes. Propter hanc suam tristitiam, iustus ille eiusque uxor in precibus obtestationibusque ad Deum fundendis diu noctuque perseverabant. Senectutis autem aetatem iam assecuti et ita in oratione perseverantes, voto promiserant filium, si quo donarentur, a se templi ministerio addictum iri. Porro dum Ioachim iustus in monte versatur, orationi assidue deditus, in somnum incidit et dormienti apparuit angelus Domini Gabriel, praenuntiavitque Ḥannam uxorem concepturam atque edituram filium, quo cor patris exsultaret eiusque oculi recrearentur, et qui mundo quoque gaudendi atque gestiendi causa foret. Ille, e somno expergefactus, domum rediit et coniugi enarravit visionem, cui fidem ambo adhibuerunt. Et *Ḥannah quidem* eo ipso tempore concepit, et celsissima domina Virgine Maria in lucem edita, prae omnibus mundi mulieribus gloriata est.

Eius intercessio nos in aeternum custodiat ac tueatur. Amen.

Eodem die festum agimus gloriosi apostoli Petri, qui hodie in medio discipulorum Christum esse Filium Dei vivi confessus est. Eos nempe ex Caesarea Philippi eductos Christus, ut in sacro Evangelio narratur, sic interrogavit: « De me quid dicunt homines? » Causa autem huius interrogationis ad eos *directae,* cum sciret ille quid dicerent singuli et quid cogitarent, haec fuit quod discipuli inter se de Iesu ancipites haeserant, eum alio opinante *esse Eliam, alio unum ex prophetis, Petro vero prioribus contradicente et affirmante: « Immo ipse est Christus, Filius Dei. » Quod cum perspectum haberet Dominus, eos ex urbe eduxit, seorsum assumpsit atque interrogavit: « Quid dicunt homines? » ut nimirum facultas esset ea promendi quae animo sentirent. Et postquam ea manifestarunt, dixit *Dominus* Petro: « Tu vero, quid dicis? » isque respondit idem confitendo quod discipulis magistro absente edixerat, scilicet: « Tu es Christus, Filius Dei vivi »; et tum *Iesus,* beatum eum praedicans, ei tradidit claves regni caelorum, potestatemque contulit tum solvendi tum ligandi. Ex illa die apostolus Petrus evasit discipulorum praepositus,

factusque est in *urbe* Roma *Christi* vicarius, cui *competit* primatus super omnes mundi principes.

Eius intercessio atque benedictio nobis adsint. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est pater Timotheus, urbis Alexandriae patriarcha. Hic sanctus, ad munus patriarchae electus post mortem patris athletae Dioscori, molestias ac certamen sustinuit. Exsul missus est in insulam Gangren, ubi exsulaverat sanctus Dioscorus, et in exsilio annos septem remansit; dein vero eum ab exsilio Leo imperator, misso nuntio, magno cum honore reduxit; et continuam navans operam doctrinae tradendae, exhortationibus *piis*, fidelibus confirmandis in fide orthodoxa, in pace ac quiete egit reliquum principatus tempus. Decessit, sede potitus annos duos et viginti.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Isidorus. Is, ex Antiochia oriundus, patrem habuit nomine Pantaleonem, ex regni optimatibus, qui exercitibus multis praeerat. Matri nomen fuit Sophia; et soror quoque aderat, quae Euphemia appellabatur. Cum autem Diocletianus a fide defecisset, sanctus Pantaleo filiusque Isidorus, bonis suis omnibus relictis, montem quendam secreto petierunt, ubi commorati sunt apud virum sanctum cui nomen Samuel. Itaque imperator, postquam rescivit quomodo res eorum se haberent, nuntio ad eos misso arcessitis, imprimis tamen Pantaleoni patri, blandiri coepit tum promissis adhibitis, tum minis; dein Pantaleonem, eo quod nullam tot verborum rationem habebat, decollari imperavit; verum diutius cruciavit sanctum Isidorum, annos tunc duodecim natum. Cuius mater sororque adstabant, eum ad constantiam cohortantes, animum addentes patienti et blando eum recreantes solamine; tum, imperatori conviciantes, ab eo iussae sunt capite truncari. Ipse sanctus per dies complures plurimis affectus est tormentis; sed Deus eius manibus *magna miracula patravit, et multi crediderunt atque baptizati sunt. Imperator autem, intellegens multitudinem ad fidem in Christum propter sanctum pertrahi, praecepit ut huic caput amputaretur. Qui *ita* coronam vitae consecutus est.

Eius preces nobis adsint. Amen.

* p. 260

MENSIS MESRĪ DIES OCTAVUS.

Hodie martyrium passi sunt novem sancti, scilicet Eleazarus (ʿAlīʿāzar) senior et Ṣūlūmiah [1], eorumque liberi septem, quorum haec sunt nomina: Antom [2], Antonius, ʿUziā, Eleazarus (ʿAliʿāzar), 'Aniānā, Māmūnā et Markallūs [3]. Eleazarus ille senior fuit sua aetate in numero doctorum legis iudaicae, patremque habuit unum ex septuaginta interpretibus qui Ptolemaeo, regi Aegypti, legem explicarunt atque transtulerunt; idemque vir sanctus adulescentes illos *supra memoratos* legis cognitione imbuerat. Antiochus ('Antiāḫos) [4] autem, rex Graecorum, postquam regione Syriae et regione Iudaeae potitus est, Hierosolyma obsessa atque expugnata, populum iudaicum iniuste tractavit ac Iudaeos multis affecit cruciatibus. Eos cogebat ut, lege mosaica neglecta, iis vescerentur cibis quibus uti per eam non licebat, ut puta carne porcina aliisque *id genus*. Itaque, cum illorum complures, metu adacti, legem transgrederentur et regi oboedirent, hi sancti firmi constantesque perstiterunt in observanda lege sibi divinitus tradita. Quos ille plurimis tormentis cruciavit: suspendio, verberibus, pectinibus ferreis corpus dilaniantibus, membris diruptis dimotisque. Neque interea intermittebat sancta Ṣūlūmyah, illorum mater, animum iis addere eosque confortare donec mortui sunt; tumque ipsa se in lacum igneum proiecit, nemine dispiciente quis eam proiecisset; et *ita* omnes beatitudinis coronam sunt adepti. Porro oportet advertas, o lector [5], voluisse patres nostros christianos festum a nobis agi iustorum legis mosaicae ut intellegamus nos non contemptu *quodam* legis mosaicae destitisse ab ea observanda, sed eo animo ut ad aliquid illa praefectius nos conferremus, itemque sanctos oeconomiae veteris a nobis suo loco *graduque competente* recipi, non autem praeferri patribus oeconomiae novae, *qui plura *maioraque* quam illi praestiterunt.

Universorum preces nos custodiant et eorum benedictiones nos complectantur. Amen.

* p. 261

[1] B: Ṣūlūmah; H: Ṣālūmah. — [2] B: 'Anim; G: 'Atīm. — [3] Non suppeditat A nisi tria priora liberorum nomina; reliqua hic ex B, C, F, G apposita sunt. Sed, pro Māmūnā, in C 'Asābūnā, in F Sāmūnā, in G Sāmarnā legimus; item in F, Barkallūs, pro Markallūs. — [4] G: 'Abīmāḫos. — [5] Ad litt.: auditor.

Mensis Mesrī dies nonus.

Hodie martyrium passus est sanctus Abā 'Arī[1]. Hic erat presbyter ex Šaṭnūf[2] oriundus, misericordiae ac miserationis plenus, anima et corpore mundus, multorum mysteriorum intellegentia et revelationibus divinis donatus, cui Christus Dominus in altari se praesentem sistebat, ei pandens mysteria quorum *cognoscendorum* cupidus esset. Cuius fama ad se perlata, praefectus *urbis* Niqyūs[3] eum arcessivit eique proposuit tus idolis adolendum; tum recusanti minas intendit et nec minis territum acerbe cruciavit; dein eum Alexandriam misit, ubi a praefecto iterum gravibus tormentis affectus est atque in carcerem coniectus. Multa hoc loco miracula patravit, aegrotos sanando, famaque eius percrebrescente, ad eum ex omnibus locis confluebant homines. Quod ubi rescivit praefectus, iussit caput eius amputari; et postquam coronam vitae adeptus est, eius corpus sustulit sanctus Iulianus ac sepultum in patriam misit.

Eius intercessio nobis adsit. Amen.

Mensis Mesrī dies decimus.

Hodie martyrium passus est sanctus Baṭrā[4], temporibus Demetrii, patriarchae alexandrini, et Decii imperatoris. Qui, audita lectione edicti impietatem *idololatricam* praescribentis, aureum statuae Apollinis brachium subripuit et comminutum pauperibus distribuit. Cum autem, brachio requisito nec reperto, multi ob eam causam apprehenderentur, sanctus hic prodiens *p. 262. *confessus est illud a se ablatum. Quare acerbis affectus est cruciatibus et in fornacem ardentem coniectus; tum pedes et manus abscissa sunt et carnes concoctae; dein eum ligno clavis affixerunt; sed angelus Domini descendit eumque liberavit, et vir caecus, oculos suos sanguine qui ex ore et naribus eius effluxerat inungens, visum recepit. Postea, capite amputato, martyrii obtinuit coronam.

Eius intercessio atque benedictio nobis adsint. Amen.

[1] Sic ex B, E, G; A: Abā Rī; C: Abā 'Abrī; D: Anbā Arī; F: 'Anārī. — [2] G: Šanṭūf. — [3] Ex C et D; in A de urbe Niqyūs sermo est, non de praefecto. — [4] Sic B, C, D, E, G; A: Maṭrā.

Eodem die martyrium passus est sanctus Abū Iohannes, ex Ešmūm[1] Ṭanāḥ, prius tamen ex Baniūsah[2] oriundus. Is, militiae addictus, christianus[3] erat, sed occultus. Una cum episcopo Anbā Kalūğ, Nahrū, qui et Tarsā *appellabatur*, atque Anbā Philippo accusatus est apud Abīnāchum Eddūqam (? Abīnāḫos[4] ed-Dūqas, *vel* ed-Dūqs) quod christianismum omnes profiterentur. Quare ille arcessitos ea de re interrogavit; quam cum confessi essent, gravibus eos addixit tormentis. Imprimis vero sanctum Iohannem cruciavit compedibus ferreis ei adhibitis, suspendio, compressione, inversi crucifixione, membrorum amputatione, Domino tamen eum confortante eique addente animum. Dein cum *aliorum* martyrum multitudine missus est ad el-Barmūn, omnesque in navi dies septem et viginti manserunt, nec quicquam panis edentes, nec aquae bibentes guttulam. Postquam in el-Barmūn pervenerunt, sanctus Abū Iohannes plurimum cruciatus est, ac denique, magnis lanionis cultris dilaniari iussus, martyrium complevit. Tum accedens vir quidam ex el-Barmūn primoribus sacrum corpus abstulit et ad urbem patriam Ešmūm Ṭanaḥ misit. Toto illo tempore quo hic sanctus tormenta sustinuit, multi martyrium subierunt, ipsaque die qua is consummavit martyrium alii septuaginta quinque eodem coronati sunt.

Universorum intercessio nos custodiat. Amen.

*Mensis Mesrī dies undecimus. *p. 263.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Anbā Moyses[5], Ausīmi[6] episcopus. Pater hic, qui sanctus fuit et purus ac virginitate insignis, disciplinas ecclesiasticas a teneris unguiculis didicerat; et, diaconus ordinatus, ad desertum, in vallem Habīb, ascendit, ubi monachus factus est apud virum sanctum, in cuius ministerio annos duodeviginti perseveravit, angustam insistens viam quoad esum, potum somnumque, orationi et ieiunio constanter addictus, humilitate et caritate excellens. Virtutum eius fama late sparsa, episcopus Ausīmi electus est post patrem Anbā

[1] B et C: Ešmūn. — [2] B: Babnūsiah; C: Sūsanah; C: Sūsah. — [3] Ex B et C; A omit. — [4] B: Antiāḫos; C: Abīmāḫos. — [5] A: Mīs; F: Mūsīs; H: Mūyisās. — [6] B, C, G: Wasīm.

Ḥamūl[1], qui et ipse sanctus fuit. In episcopatu vitam egit egregiam, iis *operibus*, quae in statu monastico praestabat adiciens gregis christiani regimen, *sedulam* ovium a lupis rapacibus custodiam, vigilias in oratione pro iis fundenda. Toto vitae tempore fuit cuiusvis possessionis expers. Cum Anbā Michael, martyr absque sanguinis effusione, patriarcha Alexandriae renuntiatus fuisset, in adversis quae expertus est vicem eius doluit hic pater et cum illo plurimas sustinuit molestias, sive multa acerbaque verbera, sive manicas ligneas, sive vincula et captivitatem diuturnam ac saepius iteratam. Porro huius patris opera multa Deus edidit miracula, ut inde qui eum non noverant excellentiam vitae eius ediscerent. Gratia prophetiae donatus, res complures notas fecit antequam evenirent, ut puta cum episcopo Miṣri, Anbā Theodoro, praenuntiavit imperatorem ab itinere quod tunc susceperat non reversurum, quae praedictio adimpleta est; item cum de Aegypti praefecto res alias ita praedixit ut ipsius dicta eventu comprobarentur. Morbos et languores multos orando sanavit. Postquam cursum complevit, honestam provectamque senectutem assecutus, paulisper aegrotavit, et tempus mortis sibi adesse praenoscens, populo suo convocato benedixit ac valedixit[2], adstantes *rogans ut pro se orarent. Quibus in unanimem fletum erumpentibus ac vicissim petentibus ut ille pro ipsis precaretur, in pace quievit.

Benedictio precum eius nos custodiat. Amen.

Mensis mesrī dies duodecimus.

Hodie festum agimus archangeli puri Michaelis, qui est misericordiae et miserationis plenus, cui Dei benignitas inest. Ille est quo pro nobis apud Dominum intercedente Nilus flumen ad definitos sibi limites assurgit, ita ut fruges maturescant.

Eius intercessio *Deo* accepta nobis omnibus prosit, o fratres. Amen.

Eodem die, imperator pius Constantinus, summam adeptus potestatem Romae et in maiore orbis parte, regnum iniit christianum. Postquam nimirum annos complures cum patre Constan-

[1] B et G : Ǧamūl ; C : Ǧīmūl. — [2] Formae حالل in A, حلّل in B, F, G, sensum ex contextu coniciens propono.

tio res Britanniae moderatus est, patre mortuo, ipse solus Britanniae huiusque provinciis praefuit, et ex universo regno suo sustulit iniurias. Unde, fama aequitatis eius ad plerasque regiones perlata, legatos ad eum miserunt Romae primores, rogantes ut se ab iniustitia Maximiani[1] tueretur[2] atque ab eiusdem oppressione vindicaret. Quorum litteris perlectis, aerumnas eorum iniuriasque miseratus, haesitabat, secum reputans quomodo eos liberare posset[2]. Tunc apparuit ei crux gloriosa, cuius praesidio munitus processit ad praelium committendum cum Maximiano[1]; qui, devictus et in fugam actus, mortem ponte ei transeunti dirupto obiit miserrimam. *Et haec quidem* circa finem anni septimi regni Constantini. Eum deinde principes romani et universa civitas magnopere gestientes summo cum honore exceperunt ac victoriam eius septem diebus festis celebrarunt, eratque videre in *urbe* Roma poetas, oratores ac viros eloquentiae peritos laudibus exornantes crucem gloriosam ac nobilem, eique urbis suae salutem palam adscribentes, atque collaudantes Constantinum, quem virtute crucis communitum praedicabant. Anno regni sui undecimo baptizatus est **Constantinus* manu Silvestri (Silbaṭros) papae, qui ad illum eo die concionem de sacris altaribus habuit. Quomodo autem crux ei apparuerit, quomodo bellum cum Maximiano[1] gesserit, quomodo etiam impius ille interierit submersus, supra, ubi de morte huius sancti *Constantini,* quae incidit in diem vigesimum octavum mensis barmahāt, enarratum est.

Domino nostro perpetua gloria in aeternum. Amen.

Mensis mesrī dies decimus tertius.

Hodie in monte Thabor Dominus Iesus Christus transfiguratus est, adstantibus ei tribus discipulis Petro, Iacobo et Iohanne, iis scilicet quos praedixerat mortem non obituros antequam Filium hominis viderent venientem in gloria sua. Haec est autem gloria quam in eo sunt contemplati, ut vestimenta eius facta sint alba sicut nix, ipseque colore mutato fulguris instar resplenduerit, et

[1] Sic (pro Maxentio). — [2] Ex correctione B, C et G, qui ينقذ pro يتقدّم iure legunt. Cf. supra, p. 48.

Moyses atque Elias cum eo colloquerentur, ita significantes illum esse Dominum Moysis, quem a mortuis suscitavisset, itemque Deum Eliae, quem de caelo *huc* deduxisset. *Porro* in Petri interrogatione : « Visne hic commorari atque tria a nobis tabernacula apparari ? » in hac, *inquam*, interrogatione hinc infirmitas *elucet*, illinc urbanitas : infirmitas quidem, quoniam ille, Dominum considerans, eum opinatus est posse in monte remanere, neglecta causa propter quam de caelo descenderat, atque egere tabernaculo ei apparando, quo contra solem protegeretur ; urbanitas vero, quatenus idem nec sibi nec ceteris discipulis id optavit quod Domino, Moysi et Eliae proponebat, verum sibi sociisque servorum partes attribuit, non herorum. Neque mirum est aliquid defuisse scientiae discipulorum, cum hi suam perfectionem *tunc* nondum assecuti fuerint. Petro autem illa verba proferente, venit nubes, quae eos obumbravit, ut intellegeret Magistro opus non esse tabernaculo manu facto ; et ex nube ad adstantes emissa est vox quae in discipulorum mentibus *Christi divinitatem his confirmavit verbis : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui ; ipsum audite. » Quae cum viderent discipuli, voce simul audita, in terram corruerunt velut mortui, donec Dominus eos manu sua vitam conferente tetigit, dicens : « Surgite et nolite timere. » Et *tunc*, oculis sublatis, non viderunt nisi Christum Dominum solum.

Cui sit gloria, eiusdem miseratione in nos effusa, in aeternum ! Amen. Domino nostro gloria !

MENSIS MESRĪ DIES DECIMUS QUARTUS.

Hodie, in urbe Alexandria, insigne edidit Deus miraculum, propter quod multi ex Iudaeis, opera patris nostri Theophili, avunculi sancti Cyrilli, crediderunt. Erat scilicet in urbe Alexandria vir iudaeus, nomine Phīlaxīnūs, ditissimus, idemque Deum timens et legem mosaicam quantum poterat observans. In *eadem* urbe erant duo christiani pauperes et labori manuum vacantes, quorum alter, cogitatione blasphemiae in animum a daemone immissa, sodali dixit : « Cur, frater, nos, Christo servientes, paupertate gravamur, cum iudaeus ille Phīlaxīnūs divitiis abundet ? » Tum alter : « O frater mi, inquit, opes mundanae non sunt in pretio apud Deum ; quippe qui, si in pretio apud eum

essent, non idolorum cultoribus, non adulteris, non latronibus, non occisoribus easdem largiretur. Prophetae pauperes semper fuerunt ac persecutionibus obnoxii, neque alia fuit apostolorum conditio ; et Dominus dixit : Pauperes mihi fratres. » — At ille, *cuiusvis* boni inimico ipsum adigente, eiusmodi verbis nihil motus, ad id adductus est ut surgeret et Phīlaxīnūm iudaeum adiret, eum rogans ut se famulum adscisceret. Qui respondit ei : « Mihi non licet in familiare vitae consortium admittere nisi eos qui eiusdem sint mecum religionis ; eleemosynam vero, si quam cupias, tibi largiar. » Tum infelix ille vir : « Me in domum tuam suscipe ; tuam ego amplectar religionem et quaecumque mihi praeceperis praestabo. » Iudaeus vero : « Exspecta, inquit, dum iudicem meum consuluerim [1]. » Et rem statim cum iudice suo communicavit. Qui dixit ei : « Homini haec renuntia : Si religionem suam deseruerit et Christum suum abnegaverit, eum nos excipiemus atque circumcidemus. » Responsum detulit *iudaeus*, et consentientem ad illorum coetum adduxit, ubi praeses eum coram multis sic interrogavit : « Verene Christum tuum abnegas, visque iudaeus fieri, quales sumus nos ? » Respondit : « Verum est » ; *et *misere* deceptus Christum Deum suum coram Iudaeis abnegavit, fortunarum inopiae iacturam fidei adiciens. Tum iussit praeses sibi confici crucem ligneam, quam illi tradidit una cum arundine et spongia huic imposita atque aceto repleta, itemque lancea ; et dixerunt ei : « Conspue hanc crucem, offer ei hoc acetum, eam hac lancea transfige, haec adiungens verba : Te transfixi, Christe. » Instrumenta ex illorum manibus accepit et verba sibi iniuncta protulit ; sed statim atque manu sua maledicta crucem gloriosam transfixit, manarunt inde aqua et sanguis, adeo ut in terram diffluerent, ac diuturno tempore perstiterunt manantia ; ille autem apostata cecidit mortuus ac lapidis instar durus et arefactus. *Tunc*, plurimis ex adstantibus timore correptis, plerique exclamarunt : « Nullus est alius nisi christianorum Deus, in quem et nos credimus. » Dein aliquid illius sanguinis acceperunt et ad oculos vultusque suos adhibuerunt, et Phīlaxīnūs surgens eiusdem sanguinis guttulas exceptas aspersit oculos filiae, quae ei nata erat caeca, atque haec confestim visu donata est ;

[1] Ex B, C, G ; A : dum deliberem.

ideo credidit ipse, sicut et domestici eius ac familiares et magnus Iudaeorum numerus. Tum misso nuntio patrem Theophilum certiorem fecerunt de iis quae evenerant. Quare surgens ille et secum assumens patrem Cyrillum, sacerdotum catervam et multos e plebe, venit ad Iudaeorum coetum, crucemque vidit cum sanguine et aqua ex ea manantibus; aliquid inde accepit *vir* sanctus benedictionis capessendae causa et illo sanguine tum frontem suam adspersit, tum fidelium frontes, et eiusdem sanguinis reliquias a terra abrasas ac collectas in vasculo reposuit, futuras benedictioni atque utilitati. Dehinc eum secutus est Philaxīnūs cum familia et copiosa Iudaeorum multitudine. Quibus cum *doctrinam christianam* praedicavisset, accepit eos profitentes fidem in Christum a patribus suis crucifixum, eos baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, eosdemque sibi socios in oratione adscivit; et in domos suas reversi sunt, gratias agentes Christo Domino et gloriam eius celebrantes.

Cui sit gloria in aeternum. Amen.

* p. 268.

*Mensis Mesrī dies decimus quintus.

Hodie ad requiem admissa est sancta Mārīnā. Sanctae huic, quae patrem habuit virum christianum ex civium ditissimis, nomen fuit Maria (Miryam). Matre orbata inde ab infantia, a patre educata est omni cultu et cura, donec annos nubendi assecutam pater voluit in matrimonium collocare, aditurus ipse coenobium aliquod et vitam monasticam amplexurus. Quae dixit ei: « Quomodo, pater, animam tuam salvam facies, anima mea pessum eunte ? » At pater : « Quid, inquit, agere possim tecum, quae femina es ? » Respondit illa : « Equidem, habitu muliebri deposito, virilem induam vestem. » Tum surgens crines totondit et vestem virilem assumpsit. Itaque, cum eam videret pater in proposito firmam ac consilii perficiendi studiosissimam, quaecumque possidebat pauperibus distribuit, pauca tantum sibi servans, prius filiae nomen cum Mārīnā commutavit, et, monasterium quoddam ingressus, in eadem cella cum filia annos decem habitavit pari utriusque zeli et devotionis ardore. Dein, sene defuncto, sancta remansit sola et preces, ieiunia vigiliasque duplicavit. Factum autem est ut coenobii abbas sanctam cum

tribus monachis in urbem mitteret ad res monasterio necessarias procurandas, quia non noverat ille eam esse feminam, ratus vocis tenuitatem ex acriore mortificatione ortam. Profecta igitur cum monachis, cum iisdem forte hospitata est in deversorio in quod non potuerant non devertere; et evenit ut illa nocte quidam regis miles eodem hospitio uteretur. Is, cauponis filiam intuitus, eam vitiavit eique dixit : « Si quando te reprehenderit pater, affirma illi ab Anbā Mārīnā, monacho adulescente, te esse vitiatam. » Itaque, cum concepisset puella, patri rei iam conscio dixit : « Adulescens Anbā Mārīnā me foedavit. » Quare pater, ad monasterium illico se conferens, monachis conviciari coepit. Ad quem egressus coenobii abbas, causam ab eo sciscitatus, eum rogavit ne factum propalaret, neve *monachos contumelia apud mundanos afficeret. Dein Marinam arcessitam reprehendit atque obiurgavit. Quae neque noverat *reprehensionis* causam. Ubi autem rei certior facta est, lacrimas fundens coram abbate, hunc ita oravit : « Ego, adulescens et peccator, veniam a te peto. » At ei succensens abbas eam e monasterio eiecit, et *eiecta* ad ianuam coenobii commorata est. Postquam vero cauponis filia utero gravida puerulum edidit, hunc illius pater excepit et ad Anbā Marinam attulit proiecitque. Quo assumpto, sancta, ut potum ei praeberet, coepit pastores circumeundo adire. Dehinc orationes atque ieiunia adauxit et annos tres extra coenobium egit. His elapsis, monachi convenientes abbati supplicarunt ut Marinam reduceret in monasterium, abbasque supplicantibus morem gerens eam in coenobium admisit, duris tamen ei impositis conditionibus; illa quippe arduos labores sustinuit *cibos* coquendo, *sordes* everrendo, pulverem eiciendo, aquam potandam afferendo, atque eius opera puer, qui adoleverat, statui monastico adscriptus est. Annis quadraginta in coenobio transactis, sancta triduano aegrotavit morbo et mortua est. Mortis eius certior factus, abbas iussit eam, vestibus detractis, aliis indui atque ad locum orationis deferri. Ubi autem vestes detraxerunt, eam reperientes esse feminam, exclamarunt universi : « O Domine, miserere ! » remque cum abbate communicarunt. Qui venit et, eam intuitus atque admiratus, lacrimas fudit ob ea quae ipse egerat. Tum aliquem ad cauponem misit, qui huic nuntiaret Marinam esse feminam, eundemque ad eam introduxit. Deinde preces fuderunt cum multo

* p. 269.

fletu, cum canticis et laudibus ; et dum conveniunt ut benedictionem ab illa aucupentur, accessit monachus caecus et facie sua corpus confricavit, benedictionis ab ea capessendae gratia, visumque recepit. Illa vero sepulta, Dei iussu Satanas tum filiam cauponis, tum iuvenem qui eam vitiaverat invasit, neque destitit ambos agitare et torquere donec, ad sepulcrum illius adducti, crimen suum coram omnibus confessi sunt. Ex sancta innumera prodierunt miracula.

Eius preces nobis adsint. Amen.

* p. 270.

*MENSIS MESRI DIES DECIMUS SEXTUS.

Hodie contigit ascensio corporis celsissimae ac purissimae dominae Mariae, matris Dei Verbi. Postquam nimirum haec decessit, apostolis maerentibus propter praesentiae eius desiderium promisit Dominus eam iis a se certissime in corpore ostensum iri ; et die huic diei respondente eam viderunt magna ornatam gloria, a dextris Filii sui et Dei sui in corpore sedentem, ipsaque omnibus discipulis manu extensa benedixit. Porro eam circumdabant angelorum atque iustorum cohortes, et David propheta his laudabat verbis : « Stetit regina a dextris tuis in vestitu deaurato. » Unde animae discipulorum ingenti gaudio exsultaverunt. Deinde *beata Virgo,* coram iis currui cherubim insidens, ab oculis eorum ascendendo evanuit. Quare, *Deo* adorato, domum laeti redierunt, et hoc festum in perpetuam Genitricis Dei memoriam institutum est.

Intercessio eius nobis adsit. Amen.

MENSIS MESRI DIES DECIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium passus est sanctus Iacobus, ex pago parvo cui nomen Mangug, in territorio 'Absu[1], oriundus. Parentes is habuit christianos et Deum timentes, qui tribus filiabus ante hunc sanctum donati fuerant. Istas autem, ubi primum aliquantulum adoleverunt, commiserunt monacharum monasterio erudiendas atque in timore Dei educandas. Quae, cum multos ex libris ecclesiasticis antiquae et novae Legis didicissent, parentibus eas ad

[1] D, litteris aethiopicis : Psō.

se revocantibus non consentientes, reditu detrectato, se ipsae Christo sponsas tradiderunt. Quare maestos illarum discessu Dominus hoc sancto Iacobo solatus est. Eodem igitur suscepto laetati sunt, et aetatem sex annorum assecutum in *urbem* 'Absu miserunt, ut sapientiam addisceret. Quam ita edidicit ut in ea perfectus evaserit ; eumque pater ablegabat possessiones suas ac greges inspectoris more exploraturum. Patri autem eius erat ovium pastor grandaevus, qui *multas exercebat virtutes, in aquae stagnum tempore hiemis descendens et per totam noctem stans ad orandum. Eum hic sanctus imitabatur, et in illo statu diu permansit. Cum Satanas persecutionem in christianos excitavit, gregem suum senex patri sancti commisit et discessit ad martyrium subeundum, patremque Iacobus rogavit ut se sineret cum sene discedere, postea rediturum. Itaque, profectus cum illo, in Aegypto superiore repperit praefectum dantem operam cruciando sancto Iusto (Iūstos), imperatoris filio[1], qui, regno valedicens, martyrium obiit. Tum senex Iacobo : « Haec, inquit, considera, fili mi : si is qui rex erat, regno huius mundi abdicato, Christum secutus est, idcirco separatus ab uxore et filio, quanto magis nobis pauperibus *quiddam simile faciendum!* Bono igitur animo esto et noli separatione a parentibus[2] moerere. Quare ambo, praefectum adeuntes, Christum confessi sunt diisque conviciati ; et caput senis brevi amputatum est ; sanctus Iacobus vero diris affectus est cruciatibus : flagris caesus est, dein later candefactus pectori impositus ; sed oculos ad se cum precibus attollentem Christus Dominus adiuvit et salvum praestitit. Subinde sacco inclusus fuit et in mare proiectus ; verum, ab angelo Domini eductus, ad praefectum venit et stetit coram eo. Is illum misit ad el-Farma, et ad se deductum praefectus farmensis cruciavit : linguam ei praecidit, pupillas eruit, tum equuleo compressit et pectine dilaceravit carnes. Sed angelus Domini Suryal descendit, salvum eum praestitit sanavitque. *Tandem* praefectus, postquam anceps haesit de eo cruciando, decretum edidit ut ipse et cum eo duo alii martyres, qui in el-Farma erant, Abrahamus scilicet ac Iohannes, ex Semennud oriundi, capite truncarentur.

* p. 271.

Illorum omnium preces nobis in aeternum adsint. Amen.

[1] Ex G′ ; A : Iusto imperatori. Cf. t. XVIII, p. 488. — [2] Ex C et G′ ; A : a matre.

MENSIS MESRĪ DIES DECIMUS OCTAVUS.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus Alexander, urbis Constantinopolis[1] patriarcha. Fuit hic pater sanctitatis egregiae et ab Arii secta multas molestias expertus est. Temporibus eius innovavit pater sanctus Athanasius excommunicationem Arii, 5 quem cum asseclis ex *urbe* Alexandria expulit. *Quare Arius, Constantinopolim profectus, adiit Constantium imperatorem, imperatoris Constantini filium, apud quem querelam movit adversus sanctum Athanasium. Cum autem ab illo quod optabat conquerendo non obtinuisset, eum rogavit ut iuberet se ab hoc Alexandro 10 recipi. Nuntium igitur misit imperator ad patrem Alexandrum, haec ei mandans : « Athanasius nobis restitit Ario non recepto ; tu autem, qui nosti a nobis te constitutum, noli nobis obsistere et pergratum mihi fac Arium absolvendo. » Cui respondit sanctus: « Arium Ecclesia non recipit eo quod ipse sanctam Trinitatem 15 non veneratur. » Dixit imperator : « Immo coram me Trinitatem confessus est, creditque Filium Patri in essentia aequalem esse.» Tum sanctus : « Si, inquit, hoc confitetur, confessionem suam subscriptione firmet. » Arium vocavit imperator et dixit ei : « Tuae fidei confessioni subscribe. » Et subscripsit ille fidei ortho- 20 doxae, contra id tamen quod interius sentiebat ; dein iussus iuramento, adhibita etiam Evangelii auctoritate, confirmare huiusmodi esse fidem suam, id iuravit mentiens. Quare imperator patri Alexandro dixit : « Nullus tibi, post eius subscriptionem ac iuramentum, remanet adversus eum praetextus. » At Alexander : 25 « Pater Athanasius, inquit, Arii excommunicationem a patre tuo et a trecentis et octodecim episcopis subscriptam innovavit et illum eiusque sectam Alexandria eiecit. Itaque moram mihi concede unius hebdomadae, et si hac hebdomada nihil inopinato contra Arium acciderit, tum demum vera est eius confessio, 30 verum iuramentum, illumque admittam et sinam societatis sacerdotum participem fieri. » Respondit ei imperator : « Scito me a te rem exspectaturum usque ad diem huic cognominem ; sed nisi Arium receperis, gravem indicam Ecclesiae mulctam. » Deinde

* p. 272.

[1] Ex B et C ; A : Alexandriae.

recessit Alexander, et totam illam hebdomadam perseveravit ieiunans Deumque orans ut se a peccato Arii immunem praestaret. Post hebdomadam, Arius, vestibus *sacerdotalibus* indutus, ecclesiam ingressus est et ante altare cum aliis sacerdotibus[1] sedit. 5 Subinde ingressus est *et* pater Alexander, moerore oppressus et nesciens quid sibi faciendum. Dum vero postea assurgit ad sacrum incipiendum, Arius, visceribus commotis, locum adiit secretum, ventris dolorem levaturus, *et intestina atque omnia quae ventri inerant subter eum effluxerunt, corpore prorsus evacuato. Cum 10 igitur eum diutius absentem requisivissent, mortuum in angulo reppererunt et, re cum patre communicata, laudes Christo dederunt, qui plebem suam non dereliquerat. Admiratus autem imperator quod contigerat, intellexit illum et subscriptione et iuramento esse mentitum, persuasamque habuit tum huius patris sancti- 15 tatem, tum orthodoxiam fidei eius et heterodoxiam doctrinae Arii. Itaque laudaverunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum, confessique sunt eorum essentiam unicam esse. Postquam huiusmodi vitam egregiam egit hic pater, senectutem honestam assecutus, ad Dominum translatus est.

20 Eius benedictio atque preces nobis adsint. Amen.

Scitote, fratres, die huic respondente martyrio affectum fuisse sanctum Wadāmūnum, ex urbe Ermont oriundum. Cum is in domo sua sederet eique assiderent nonnulli idololatrae, ex his quidam aliis dixerunt: « Audivimus in fines el-Ešmūneyn mulierem 25 advenisse, quacum puerulus filiis regum similis » ; alii vero responderunt : « In fines Miṣri venit puer ille » ; omnesque de puero sermonem inter se conferebant. Itaque ubi, consessu dimisso, adstantes singuli domum reversi sunt, Wadāmūn surgens asinam stravit et, illico profectus, devenit in urbem el-Ešmūneyn, 30 Christum Dominum adiit adoravitque, et cum Maria matre stantem contemplatus est. Statim autem ac eum vidit Dominus, praesenti arrisit dixitque : « Ave, Wadāmūn. Defatigationem suscepisti et huc venisti, iis allectus rebus quae de me deque matre mea dictae sunt in illo vestro coetu, in quo eratis considentes et 35 combibentes. Mox veniam apud te habitaturus eritque domus tua mihi domicilium in aeternum. » Continuo respondit Wadā-

* p. 273

[1] Ex B, C, F ; A silet de aliis sacerdotibus.

mūn, admiratione stupens atque attonitus: « O Domine, exopto ut ad me venias utque in domo mea habites, me tibi in perpetuum ministrante. » Tum Dominus: « Noli anxius esse; domus enim tua absque dubio erit perpetuum mihi et Matri meae domicilium, quoniam statim atque a nobis discesseris, audient idolorum cultores te ad nos venisse, quod graviter ferentes sanguinem tuum in domo tua fundent. Sed ne timueris: te ego ad me assumam in regnum caelorum, regnum meum stabile atque aeternum, locum laetitiae perennis et nunquam desiturae; et tu eris martyrum Aegypti superioris primus. » Tum vir ille Dominum adoravit, a quo benedictus in domum suam rediit. Illo autem huc in urbem Ermont reverso, adventum eius audierunt idololatrae*, rumorque per totam regionem sparsus est de Wadāmūno, qui Iesum adierit atque inde redux sit, et ad eum properantes *iidem* idololatrae sic eum interrogaverunt: « Verusne est rumor ille quem de te circumferunt? » Qui respondit: « Ita sane; eum adii, mihi benedixit, dixitque: Ego veniam et in domo tua cum Matre mea in aeternum commorabor. » Tunc, omnibus uno ore adversus eum conclamantibus, gladiis ab illis discerptus, martyrium ea die consummavit. Postquam autem, idololatria de medio sublata, christianorum numerus adauctus est, domum illius mutarunt in ecclesiam nomine divae Virginis et Domini, cui sit gloria, dicatam; et haec quidem hac *ipsa* die consecrata est et dedicata nomine divae Virginis et nomine Christi Domini, cui gloria et cuius sunt universae ecclesiae sanctae, ubi ei in perpetuum offeruntur laudes et hymni. Haec vero ecclesia est quae appellatur Elġaišūnah, scilicet ecclesia illius qui vivit, sitaque est extra urbem Ermont et adhuc exstat.

* p. 274.

Intercessione celsissimae dominae nostrae Mariae Virginis, Matris Dei, Dominus nostri misereatur; et martyris quoque intercessio nobis in aeternum adsit. Amen.

Mensis Mesrī dies decimus nonus.

Hodie corpus sancti Abū Macarii (Maqār) Magni in Scete (Šīhāt) allatum est. Post mortem eius, quidam ex loco natali eiusdem Šašwīr venerant et, corpus furati, ei in patria sua ecclesiam superstruxerant, in qua fuit donec Moslemi Šašwīr occuparunt,

ubi corpus asservatum. Hoc tunc transtulerunt *christiani* in alium pagum, in quo remansit usque ad tempora Anbā Iohannis, annos scilicet quadringentos et quadraginta. Constitutus autem fuerat Anbā Michael[1] oeconomus[2] eclesiae Abū Macarii; et cum patriarcha ad coenobium ascendisset, ieiunii quadragesimalis observandi causa, ingemuit dicens: « Quantum exopto et a Christo peto ut, tempore adiuvante, corpus patris nostri Abū Macarii in medio nostri habere possimus! » Aliquanto post, Anbā Michael oeconomus[2] et quidam seniores, egressi ad res monasterii procurandas, cogitatione iis a Spiritu sancto[3] illapsa, venerunt ad locum ubi corpus iacebat, ut hoc auferrent; verum regionis incolae cum praefecto convenerunt, baculis et gladiis armati, neque permiserunt ut id illi tollerent. Quare seniores dormitum ierunt corde moerentes. Sed illa nocte sanctus ad praefectum venit et dixit ei: « Sine me cum filiis meis abire et noli *me prohibere. » Ille igitur, timore perculsus, convocatis mane monachis corpus tradidit, quod hi magno cum gaudio acceperunt et navem conscendentes Mareotam[4] asportarunt; eosque comitabatur ingens ex illis regionibus multitudo corpori valedicentium. Itaque postquam nocte subsequente dormierunt, orationibus persolutis et missis celebratis, sacra communione refecti, corpus ad desertum attulerunt. In medio autem deserto versantibus et in animo habentibus paulisper quiescere id non permisit Anba Michael, sed dixit: « Vivit Dominus, non requiescemus quoad manifestaverit Dominus nobis locum in quo cherubim patrem nostrum manu prehendit. » Porro ubi camelus ad locum memoratum pervenit, genibus flexis, surgere noluit, verum coepit caput collumque huc illuc vertere et corpus *sancti* lingere atque capite adorare. Unde intellegentes seniores hunc esse locum *qui quaerebatur*, multas Deo persolverunt laudes; et locus usque nunc remansit notus. Cum autem a monasterio iam haud procul abessent, omnes monachi iis obviam egressi sunt cum cereis et pia recitatione, corpusque gestantes cervicibus suis impositum, psalmos ante illud decantabant, donec idem in ecclesiam honorificentissime introduxe-

* p. 275.

[1] A: 'Anbā Ḫāyāl; B, C et G': 'Anbā Ḫāyīl. — [2] In textu: 'amanūt. Quod nomen quid sibi definitius velit a doctiore discere velim. — [3] Ad litt.: cogitatione spiritali. — [4] B: Barnūṭ; G': Tarnūṭ.

runt; Deusque die illa plurima, immo innumera edidit miracula.
Huius patris intercessio nobis adsit nosque ab hoste eripiat. Amen.

MENSIS MESRĪ DIES VIGESIMUS.

Hodie ad requiem admissi sunt septem adulescentes patria ephesini. Temporibus Decii impii, septem hi adulescentes, ex stirpe regia progeniti, fuerant ab illo *imperatore* ipsius apothecis praepositi. Postquam autem Satanas idolorum cultum instauravit, septem illi sancti adulescentes accusati sunt, comprehensi et in carcerem coniecti. Dein evenit ut imperator, in aliam regionem profecturus, eos dimitteret liberos ad suum usque reditum, ratus *nempe* eosdem a sententia recessuros. Qui cum ab urbe discessisset, illi, militia, ne idola muta adorarent, abdicata, *ad specum quendam in montem se conferentes, speluncam post se occluserunt dormieruntque. Apud se retinuerant aliquantum pecuniae cui Decii nomen insculptum, et unus ex iis, cotidie mane in urbem ingressus, alimenta iis emebat et rumores auscultabat. Quare ubi resciverunt Decium rediisse, ostium speluncae post se obturaverunt. Porro miles christianus, cui eorum recessus notus, exspectavit, Decio reverso, dum prodirent, *eosdem moniturus*; iis autem non prodeuntibus, surrexit et ad locum veniens repperit ostium ab eis introrsum occlusum, atque eos mortuos esse ratus, tabulam aeneam accepit, cui illorum historiam cultro insculpsit, tum tabulam per foramen in specum proiecit. Ad sanctos vero quod attinet, ipsi, cum moerore oppressi essent, Dei iussu dormierunt annos trecentos duos et septuaginta. Decius autem mortuus est et imperatores multi *post eum* regnarunt usque ad Theodosium imperatorem, et quidem usque ad huius annum trigesimum octavum, quo tempore quidam fuerunt qui praedicarent nullam esse mortuorum resurrectionem, multis eos sequentibus. Tunc voluit Dominus veritatem manifestam facere et resurrectionem demonstrare, ideoque sanctos *illos septem* a morte excitavit. Ili *autem* uni ex ipsis nummos pecuniae quam habebant commiserunt, ut *in urbem* descendens aliquid emeret comedendum et quomodo res se haberent sciscitaretur. Huic urbem ingresso, huius aspectus omnino mutatus visus est, siqui-

* p. 276.

dem et portas civitatis et muros crucibus signata conspiciebat, hominesque per nomen Christi iurabant. Quendam igitur interrogavit: « Nonne haec est Ephesus? » Et illo affirmante, pecuniam quam habebat uni ex venditoribus obtulit. At hanc cum videret venditor formae tunc temporis inusitatae, emptorem apprehendit ligavitque, dicens : « Tu mihi debitor. » Unde ingens ad illum concurrit multitudo, eumque percontati sunt undenam esset oriundus. Qui respondit : « *Ego ex hac urbe. » At illi : « Nostine incolas eius ? » Et adulescens nominatim homines plures indicavit, quorum nullus superstes. Quare eum pertraxerunt per urbem circumducentes, donec rumor ad Theodosium imperatorem et ad episcopum Anbā Theodorum delatus est. A quibus arcessitus, iis historiam suam pandit, seque ex numero esse septem adulescentium qui in spelunca dormierint. Tunc imperator, episcopus et populus, ad illos egressi, eosdem invenerunt sedentes, tabulamque scriptam in medio specu iacentem. E qua anni indicationem exquirentes, eam reppererunt a temporibus Decii repetendam, Deumque plurimum collaudarunt ; et resurrectionem futuram crediderunt qui prius eam negabant. Postquam vero septem adulescentes sermonem de iis rebus conseruerunt, decumbentes, animas in manus Domini tradiderunt. Eis imperator conficiendas curavit arcas inauratas, quibus eosdem vestibus indutos sericis inclusit. Haec autem nomina eorum : Maximianus, Bāmūlanḥaros[1], Mardīmas[2], Iohannes, Constantinus, Antonius, Dionysius.
Eorum preces atque benedictiones nos involvant nosque a malo in aeternum liberent. Amen.

* p. 277.

MENSIS MESRĪ DIES VIGESIMUS PRIMUS.

Hodie commemoratio celsissimae dominae benignae, purae atque intemeratae Mariae, matris Dei Verbi. Haec est cuius christiani universi sperant patrocinium apud Filium eius dilectum, et verissimum est eam iis omnibus et in hoc mundo suffragari et in futuro. Cuius preces benedictionesque nobis adsint ad extremum usque halitum. Amen.
Eodem die ad requiem admissa est sancta Irene, cuius nomen

[1] C : 'Ambūlaḥrīs ; G' : Nāmuwālanğiūs. Nomen corruptum e Iamlichus. —
[2] C : Mardaqos ; G' : Mardyūs.

pacem significat. Haec erat filia imperatoris Liciani[1], isque ei palatium aedificavit cui fenestrae sexaginta et duodecim arces prominentes. Ei *etiam* confici iussit *mensam auream, calices item aureos, omniaque vasa usui ei futura, aurea vel argentea. Tum, ei assignato viro seniore qui eam erudiret, eandem in castello cum tribus puellis famulaturis collocavit et ianuam castelli post eam clausit, magistro extra manente ac munere docendi extrinsecus defuncturo. Irene autem, quae tunc temporis sexennis erat, vidit columbam et in huius rostro folium oleae, quod in mensam demisit; dein venit aquila coronam ferens, quam in mensa posuit; tum successit corvus cum serpente, quam in mensam deiecit. Eiusmodi visione conturbata, eam *puella* magistro enarravit, isque ei respondit: « Columba est doctrina legis; folium oleae, baptismus; aquila, victoria; corona, sanctorum gloria; corvus, regnum; serpens, persecutio. Te oportet certamen pro nomine Christi obire. » Porro venit pater ad filiam invisendam, eique proposuit nuptias cum quodam patriciorum coniungendas. Quae ab eo triduanas petiit inducias, ut de re secum ipsa cogitaret. Tum crine detonso, idola adiit quae in castello erant, eadem de coniugio consultura; quibus silentibus, oculos ad caelum sustulit, dicens: « O Deus christianorum, dirige me in finem tibi acceptum. » Itaque angelus Domini, ad eam descendens, haec ei nuntiavit: « Crastina die in urbem adveniet unus ex Pauli apostoli sociis, teque baptizabit. » Postridie igitur ad eam misit Dominus unum ex apostoli Pauli discipulis, qui eam baptismo tinxit. Dein, cum patri et matri ad se tempore statuto accedentibus revelavisset se factam esse christianam, eam pater eduxit in mediam civitatem, iussitque ligari et in viam equorum proici, ab his conculcandam. Id in ea factum, nec tamen quicquam mali ipsa est experta. Quare parentes, rem admirati, in Christum crediderunt. Dein, regno abdicato, in palatium se receperunt. Quod ubi rescivit rex iis finitimus, in *ipsorum* urbem veniens, suasit ut ad regnum redirent, iisque renuentibus, urbem occupavit et sanctam cruciatibus affecit, immissis in eam leonibus ac serpentibus, serra ad eam secandam adhibita, gravique ad collum lapide alligato. **Interea* sacerdos qui eam baptizaverat, a

[1] A: Linkiānūs; B et C: Līkiānūs; D: 'Arkiānūs; F et G': Likiānūs.

parentibus arcessitus, et hos baptizavit, ac cum eis trecenta capita ex servis eorum et famulis, ex vicinis horumque domesticis et ex incolis civitatis. Dein *Irenen sibi* postulavit Numerianus[1] et secum assumptam ad urbem Ġalānīkā adduxit, ibique cruciavit et tauro aeneo inclusit; verum Deus, tauro confracto, captivam eduxit. Numeriano mortuo, solium conscendit Sapor, qui *virginem* arcessitam lancea propria manu ita transfixit ut animam exhalaret. Sed Christus Dominus eam ad vitam revocavit, et rex, eandem venerata, in Christum credidit ipse et simul ingens civium urbis multitudo; fuitque numerus eorum qui propter eam crediderunt mille ducenta et triginta *hominum* milia. Postea, patre et matre in palatio defunctis, ipsa virtute divina Ephesum translata est, ubi multa edidit miracula. Confessio eius coram regibus Persarum, Macedoniae, Galanicae et Constantinopolis contigit, et tandem morte gloriosissima obiit.

Eius intercessio nos in aeternum custodiat servetque. Amen.

Mensis mesrī dies vigesimus secundus.

Hodie ad requiem admissus est propheta insignis Michaeas, filius Ioelis, qui alio nomine Arām appellabatur. Hic *vir* iustus prophetae munere functus est temporibus Iosaphat, regis Iuda, et Ioram, filii eius, et Ochoziae, itemque reginae Ġīlāyā[2]. Eius ore Deus res gravissimas protulit. Praedixit Christi incarnationem, haec prolocutus: « Ecce Dominus egredietur e loco suo, descendet et terram conculcabit. »[3] Vaticinatus est de nativitate in Bethlehem, cum dixit: « Ex te egredietur dux qui pascat populum meum Israel, et ortus eius a saeculi exordiis. »[4] Vaticinatus est de destructione sanctuarii Iudaeorum et alio ei per universam terram sufficiendo. Praenuntiavit legem Evangelii e Sione egressuram, *dicens: « E Sion exibit lex, et verbum Domini ex Ierusalem. »[5] Praedixit Achab, regem Israel, in bello cum Edom, rege Galaad, interemptum iri. Hic propheta, postquam multos degit annos et honestam senectutem attigit, ad Dominum translatus est. Incarnationem Christi octingentis fere annis praecessit et in pago cui nomen Mūārtā sepultus est.

Eius preces atque benedictiones nos circumplectantur. Amen.

[1] B: Nūmāryūs. — [2] Sic; B: Ġatalāyā. — [3] Mich., i, 3. — [4] Mich., v, 2. — [5] Mich., iv, 2.

Mensis Mesri dies vigesimus tertius.

Hodie, in urbe Alexandria, martyrium obierunt triginta milia fratrum nostrorum christianorum. Martyrii eorum haec fuit causa. Postquam imperator Marcianus patrem nostrum Dioscorum in insulam Gangren eiecit, in urbe *Alexandria* dissensiones incolarum[1] annos complures[2] permanserunt. Marciano autem mortuo et Leone successore, praefecerunt sibi Graeci virum cui nomen Proterius, patria alexandrinum, Alexandriae presbyterum et concilio chalcedonensi consentientem. Hunc vero ex Alexandrinis nonnisi pauci agnoverunt, reliquis civitatis incolis sacram communionem accipientibus a sacerdotibus quos pater noster Cyrillus et pater noster Dioscorus ordinaverant. Proterius tamen, patriarcha constitutus, concilio cum amicis doctrinae ipsius adhaerentibus habito, Eutychen presbyterum, commixtionis propugnatorem, anathematizavit, ratus *sane* patrem nostrum Dioscorum eiusque assectatores Eutychi in huius impietate consentire, cum *contra* pater noster Dioscorus Eutychen anathematizaverit, et anathematizaverit eos qui Christi divinitatem cum humanitate eius commiscent. Quomodo igitur potuisset doctrinae illius Eutychis calculum adicere? Revera fides patris nostri Dioscori haud dissimilis a fide sanctorum Basilii, Gregorii et Cyrilli, affirmantium unam naturam Dei Verbi incarnati, non quod divinitas facta sit corpus, vel corpus ita amplificatum ut evaserit *divinitas, sed quia utraque *pars,* in proprio statu remanens, *fit* in coniunctione *cum altera* unum *quid*[3]. Quare non licet post unionem dicere duo, neque duas personas[4], neque duas naturas, ne unio pessumdetur. Eutyches admittebat duarum naturarum confusionem; sed patres nostri tum eos qui naturas distinguunt post unionem, tum etiam eos qui easdem commiscerent anathematizaverunt. Porro postridie eius diei quo discesserat concilium a se congregatum, Proterius in suis aedibus inventus est occisus. Unde multi ex amicis eius autumarunt eum a quodam ex partibus patris

* p. 281.

[1] Ita ex C; A, pro خلف legit خلق, quae vox nullam prae se fert significationem contextui congruam. — [2] C : duos annos. — [3] Ex lectione cod. B pressius verteretur : « ... *fit cum altera* coniunctio una ». — [4] Ad litt. : duas facies (δύο πρόσωπα).

Dioscori interfectum; fratres autem nostri dixerunt: « Ab aliquo forsitan ex Eutychis asseclis vel a fure divitiis eius inhiante mactatus fuerit. » Et hanc *alteram* opinionem veram esse exinde colligitur quod concilium neque contra nos fuerit, neque propter nos coactum, siquidem ei nos consentimus in Eutychis damnatione. Qui vero partes Proterii tenebant litteras ad imperatorem dederunt, quibus affirmabant Dioscori asseclas sese insolentes praebuisse erga imperium, id existimavisse infirmum et occidisse patriarcham quem imperator constituerat; sed dum rescriptum exspectant[1], convenerunt fratres nostri patremque Timotheum elegerunt. Tunc illi alteram scripserunt epistulam, qua nuntiabant a Proterii interfectoribus alium constitutum patriarcham absque licentia imperatoris. Duabus epistulis perlectis, imperator ira vehementi succensus est, eumque Satanas adeo invasit ut misso ingenti exercitu triginta milia fratrum nostrorum, sive adultorum, sive iuniorum, sive servorum, sive liberorum, interemerit, patrem autem Timotheum in insulam Gangren eiecerit. At vero pone, ab uno discipulorum patris Dioscori necem commissam esse, ut illi contenderunt: num *idcirco* oportet ob unius hominis caedem triginta capitum milia occidere? Quot episcopi atque sacerdotes ab Arianis aliisque haereticis necati fuere! et tamen ne unus quidem pro iis interfectus est, ut *nempe* manifestum fiat eiusmodi vindictam factum esse diabolicum. *Ceterum* post illam stragem horrendam imperatori constitit neque a fratribus nostris Proterium interfectum esse, neque quicquam de illius caede ab iis auditum; *unde nuntio misso patrem Timotheum ab exsilio revocavit eumque in sede confirmavit, qua ille annos duos et viginti Leone regnante potitus est.

* p. 282

Omnium illorum sanctorum preces, et benedictio sanguinis eorum, nos ad extremum usque halitum tueantur atque custodiant. Amen.

Eodem die in urbe Antiochia martyrium passus est sanctus cui nomen Damianus. Is, multis atque acerbis diversorum generum cruciatibus affectus, animam in manus Domini commisit. Cuius preces benedictionesque nobis adsint. Amen.

[1] B, C et G' : spatio temporis inter occisionem et rescriptum.

Mensis Mesrī dies vigesimus quartus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus, athleta triumphans, miles et apostolus Christi, Thomas, episcopus *urbis* Marǧaš, confessor. Hic athleta virtutibus excelluit quibus enarrandis lingua humana impar est, quas intellectus carnalis credere nequit. Et primum quidem fuit devotioni et operibus paenitentiae addictus, in orationibus diurnis atque nocturnis perseverans, misericordiae plenus. Ad episcopatum urbis Marǧaš electus, gregem suum regimine apostolico moderatus est. Diocletiano impio summam potestatem assecuto, in urbem Marǧaš venit unus ex eius vicariis, christianos vexaturus. Et initio facto ab hoc patre, eum missis militibus nequam adduci iussit, super terram tractum, ita ut manaret sanguis eius antequam ad principem adveniret. Tum ei proposuit princeps Christi negationem et lapidum sculptorum adorationem. At *sanctus* horum cultum, adiectis conviciis, respuit et iudici coram maledixit; quare ab eo tormentis quam acerbissimis affectus est, verberibus, suspendio, adipis ferventis distillatione; et haec quidem in martyre facta sunt diebus compluribus, aliis intermissis, quia impii isti et corde lapideo homines non eum occidere volebant, sed cruciare, ut per eum alios ad apostasiam pertraherent. Sed postquam defatigati sunt et devicti, illo in ipsis vituperandis perseverante, eum in carcerem obscurum et oblivioni traditum detruserunt, ubi annos duos et viginti remansit. Eum autem quotannis conveniebant *cruciabantque, aliquod ex eius membris amputantes, donec ambae ei aures, nares, labia, manus, pedes, praecisa fuissent, reliqua corporis parte carbonis nigri instar iacente. Postremo eum carcere clausum obliti sunt, adeo ut noti eius et gregis fideles, mortuum existimantes, ipsius commemorationem quotannis agerent. Verum mulier fidelis, quae viderat satellites eum in illum carcerem detrudentes, secreto de nocte veniebat et ad eum alimenta per fenestellam exiguam proiciebat, neque ab ea destitit consuetudine donec sanctus Constantinus, solium adeptus, religionis christianae gloriam exaltavit et edicta promulgavit de confessoribus e custodia emittendis. Tunc mulier illa pia sacerdotes adiit iisque locum sancti manifestavit. Qui eum convenientes capitibus suis *gestatum

ad ecclesiam cum *psalmorum* recitatione et cantibus attulerunt atque in sede ante altare collocarunt; fidelesque, ad eum accedentes et benedictionem eius aucupantes, eiusdem membra osculati sunt. Quo tempore imperator sacrum concilium Nicaenum coegit, fuit hic sanctus in adstantium numero. Ad quos ingressus Constantinus eosdem salutavit et veneratus est, eorumque benedictionem sibi postulavit. Cum autem huius patris casus audivisset, ad eum accedens atque ei demississime se inclinans, membra eius singula osculatus est, vultumque suum et oculos iis confricavit. *Porro* postquam cum patribus ceteris consensit de Ario anathematizando, prout eos edocebat Spiritus sanctus, qui per eorundem linguam fidem orthodoxam declaravit, canonesque leges et decreta condidit, ad sedem suam reversus, sacerdotes totumque gregem convocavit, iis fidei confessionem praelegit, explicans quidquid in ea intellectu difficile esset, eosque admonuit atque hortatus est ut eam retinerent et ei constantes inhaererent. Posthac aliquantisper adhuc superstes fuit, et mortuus est. Totum episcopatus eius tempus annorum fuit plurium quam quadraginta, atque ad Dominum migravit corona victorum redimitus.

Preces eius nos in aeternum custodiant. Amen.

Eodem die ad requiem admissus est apostolus illustris Anbā Taklāhīmānūt[1] aethiops.[2] Cuius benedictiones in nos effundantur. Amen.

*Mensis Mesrī dies vigesimus quintus.

Hodie ad requiem admissus est pater sanctus ac devotus Bessario (Bīṣāryūn) magnus. Hic sanctus, parentibus christianis natus, ubi adulevit, desiderio flagrans vitae angelicae monachorum, ad desertum egressus est, patrem Antonium adiit et in eius oboedientia ac ministerio permansit annos complures. Dein ad sanctum Macarium (Maqāryūs) venit, cui, simulque senioribus, famulatus est. Dein desertum peragravit errabundus, nullo utens ad commorandum tecto, bonis omnibus summo gradu spoliatus,

[1] H : Taklīhabmānūt. — [2] C add.: Hic vitam egit apostolicam atque Aethiopes convertit, postquam angustias expertus innumera inter illos prodigia et miracula patravit.

adeo ut nullam vestem aut indumentum[1] haberet, sed tantum saccum ex panno crassiore, quo medium corpus velaret. Circuibat autem per monachorum cellas ac speluncas, et sedebat flens ; et quotiens ad eum aliquis egrediebatur cui notus esset, benedictione alteri ab altero impertita, discedebant ; si quis vero exiret ipsum non cognoscens eumque percontaretur : « Cur fles, pater mi ? » respondebat : « Divitiis meis me spoliarunt, et *vix* mortem effugi, atque e loco nobili ad ignobilem conditionem delapsus sum. » Itaque qui verborum eius vim non intellegebant eum huiusmodi verbis solabantur : « Reddat[2] tibi Deus quod amisisti », dabantque ei panem, quem acceptum ipse aliis largiebatur. Qui vero dictorum sensum perspiciebant, iis perspicuum erat ita significari quidquid Satanas hominibus abripuit virtutis, puritatis, continentiae ac sobrietatis, quibus illi angelis erant similes. De eo memoriae prodiderunt patres ardua quaedam paenitentiae exercitia[3]. Ita quadraginta quondam dies transegit, somno nunquam indulgens quem humi iacentes carpunt. Tempore vitae suae paenitentis complures ieiunavit quadragesimas. In eiusmodi certamine perseveravit annos septem supra quinquaginta, et magna *p. 285. edidit *miracula, quae seniores enarrarunt. Referunt, verbi gratia, sanctus Dūlāwos et sanctus Iohannes, sese, cum eo in littore maris incedentes, sitiisse ; qua re cognita eum oravisse et aquam dulcem evasisse, ita ut ex ea biberint ambo. Alio tempore, ad Nilum flumen venit, traiecturus, et vadum non repperit ; sed, oratione praemissa, flumen traiecit pedes. Die quadam, vir demens ad seniores in Scete adductus est, ut ei precibus suis mederentur. Tunc patres inter se dixerunt : « Si quid senem Bessarionem rogaverimus, hunc non sanabit ; » quia nempe ab humana gloria refugiebat. Idcirco hac usi sunt industria, ut dementem in ecclesia dormire sinerent, *et quidem* eo ipso loco in quo stare consueverat senex. Is igitur ingressus quem dormientem invenit manu tangendo excitavit, et surrexit ille incolumis sanaeque mentis. Alia quoque miracula plurima patravit *Bessario*.

Preces eius nobis adsint. Amen.

[1] Ex correctione codd., qui ad unum omnes legunt : كتاب, librum. — [2] Ad litt. : In te congerat, vel congeret. — [3] Ad litt. : certamina. Ita autem corrigenda editio arab. ut legatur : الاباء جهادات.

Mensis Mesrī dies vigesimus sextus.

Hodie martyrium passi sunt sanctus Moyses et soror eius Sārah. Ibi *duo* sancti parentibus sanctis nati erant et ditissimi. Parentibus mortuis, voluit sanctus Moyses sororem in matrimonium collocare, facultates suas omnes ei tradere atque monasticam ipse vitam amplecti. Cui soror : « Si tu, inquit, prior uxorem duxeris, tum demum nubam et ego. » At ille : « Multa ego peccata commisi, mihique in animo est monachus fieri, ut eorum pars quaedam deleatur, et non possum simul de matrimonio et de animae meae salute curam agere. » Respondit *soror* : « Qui fieri potest, frater, ut animam tuam salvam praestes et me in mundi laqueos conicias ? » Tum ille : « Si volueris, inquit, monacha fieri, tuo res arbitrio permittitur. » Quae dixit : « Quidquid tu tibi ipse feceris, id faciam ego, quoniam uterque nostrum ex eadem natura, itemque ex eodem patre et eadem matre nati. » Cum igitur videret *Moyses* firmum sororis propositum, omnia quae huius erant pauperibus atque egenis distribuit, tum eam admittendam curavit in virginum asceterium extra *Alexandriam situm ; ipse *p. 286. vero, in virorum monasterium ingressus, operibus piis summo se dedidit studio. Porro per annos decem non viderunt alter alterum. Sed imperator impius Syrianus (Sūryānus), solium adeptus, patre Demetrio patriarcha, idolorum cultum instauravit, et, mota persecutione adversus christianos, multi principes et monachi illius temporibus martyrium passi sunt. Tunc surrexit hic sanctus et litteris ad sororem datis ei valedixit, mandavitque ad martyrium se tendere. Quod ubi novit illa, confestim surgens, asceterii praepositam adiit et rogavit ut sibi per eam liceret libere exire, eiusque et benedictione et licentia accepta, sororibus valedixit atque egressa est et fratrem in itinere assecuta ; ambo urbem Alexandriam ingressi, Christum saepius confessi sunt et postea, capite truncati, martyrii coronam obtinuerunt.

Eodem die, commemoratio Agabii ('Aġābyūs)[1] militis et Theclae monachae. Hi duo temporibus Iuliani decertarunt et ab uno ex

[1] C, D, E et F. 'Aġābīs.

vicariis eius graviter cruciati sunt; leonibus deinde ab eodem obiecti, coronam ita consecuti sunt.

Omnium preces atque benedictiones nos ab hoste custodiant. Amen.

MENSIS MESRĪ DIES VIGESIMUS SEPTIMUS.

Hodie martyrium passa est sancta Maria (Miryam). Quae, genere armenia et captiva apud virum moslemum ex militibus imperatoris Aegypti El-Malek ez-Zāhir Zakī' d-Dīn Bībars, ab hero pertentata ut Christum Dominum abnegaret, cum morem illi non gereret, sed *profiteretur se esse christianam, ab eodem domi acerbis affecta est cruciatibus, sed constans in confessione sua permansit. Ille autem, postquam ipsum pertaesum est eam cruciare quae a fide recedere nollet, causam eius cum imperatore El-Malek communicavit, huic nuntians sibi servam esse quae, cum moslema esset, christianae nomen ostentaret. Itaque eam arcessivit imperator et coram adstanti proposuit islamismum *profitendum*; at illa neque paruit neque verbis eius mota est, sed in fide et confessione sua constans perseveravit. Tunc, El-Malek iubente eam comburi, ei percussa est fossa prope portam Zawīlah almae *urbis* Qāhirae, et cum innumerae multitudines illuc convenissent, Mariam ad fossae oram adduxerunt, *satellitibus* non desistentibus constantiae difficultates ei exaggerare usque ad horam diei tertiam, et quidem diei tertiae in hebdomada, tempore supra indicato; ipsaque ubi advenit, haec profata est: « Me decet, o imperator auguste, a memet manibus Domini mei, Dei mei et Salvatoris mei Iesu Christi, committi »; et festinans se in fornacem ipsa coniecit et coronam immarcescibilem consecuta est.

* p. 287.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passi sunt sanctus Anbā Banāmon[1] et soror eius Eudoxia, ex Šabšīr oriundi. Qui, parentibus fidelibus, peregrinorum amantibus, puritati, mortificationi et pietati addictis, nati, ab iisdem christiano more educati sunt. Hic autem sanctus, statim atque adulevit, desiderio flagrans sanguinis pro Christo fundendi surrexit, praefectum in Šatnūf adiit et, Christum coram

[1] C: Biyāman; D: Manāman.

eo confessus, ab eodem acerbe cruciatus est ac dein in carcerem coniectus. Parentes autem et soror, ubi resciverunt quae ei accidissent, eum convenerunt. Quem in huiusmodi statu contemplantes, fleverunt; sed ille coepit eos solari atque admonere vitam huius *mundi paucis constare diebus et vitam futuri saeculi fore perpetuam. Quam doctrinam egregiam cum ab eo audivisset soror Eudoxia, dixit ei: « Vivum testor Dominum me a te non discessuram, et quam tu obieris mortem eadem me tecum morituram esse. » Utrumque igitur apprehensum praefectus iussit in locum obscurum detrudi, ubi dies viginti, cibo quovis ac potu destituti, relicti sunt. Posthac educti, lapidibus gravibus ad colla alligatis, in flumen sunt deiecti; sed angelus Domini descendit, et cum lapides a collis solvisset, illi aquis fluminis supernatarunt donec deferrentur prope pagum cui nomen Botrā. Eos *ibi* invenit virgo quaedam, a qua educti praefectum iterum adierunt, isque cruciatos iussit capitibus truncari, et ita coronam vitae adepti sunt. Iis in ipsorum urbe patria Šabšīr ecclesia aedificata est.

* p. 288.

Preces eorum nobis adsint. Amen.

MENSIS MESRĪ DIES VIGESIMUS OCTAVUS.

Hodie, traditione maiorum ad posteros derivata, a patribus nostris gratia Spiritus sancti praeditis ac fide dignis, *hunc morem* accepimus ut sanctorum patrum nostrorum Abrahami, Isaaci et Iacobi festum agamus. Iamvero quod attinet ad patrem nostrum Abrahamum, qui princeps fuit patrum, quis hominum possit eius virtutes enarrare? Is quippe, qui factus est multarum gentium pater, Deo fidem adhibuit oboedivitque; promissis eius credidit et usque ad mortem confisus est, neque ullam unquam admisit de iis dubitationem. Et primum quidem, quo tempore in Mesopotamia versabatur, apparuit ei Dominus in visione nocturna dixitque: « Exi e terra tua et e domo patris tui, ac veni in terram quam monstrabo tibi. » Itaque venit Haran, in locum qui ei ostensus fuerat; et, parentibus mortuis, Deus eum iterum transtulit in Palaestinae regionem, promittens se ei eam daturum haereditatem. Promissis Dei credidit quamdiu fuit superstes, de iis nequaquam dubitans. Neque fluctuavit corde, neque haesitavit, verum per-

suasum habuit eam regionem posteris suis post se divinitus concessum iri. *Posthac Deus — cui sit laus! — ei apparuit quodam apparendi modo, qualem ipse callet [1], duobus angelis comitantibus. Quos *Abrahamus*, existimans esse viatores iis omnibus similes qui iter illac faciebant, detinuit et hospitio excepit. Tunc promisit ei Deus Isaacum. Erat autem centum annos natus, uxorque Sara aetatis provectae. Verbo tamen Dei ambo fidem dubitationis expertem adhibuerunt. Postquam Isaacum suscepit, iussus est eum octavo die circumcidere, eumque circumcidit; et cum confideret ex eo sibi nascituram progeniem illam quam Deus promiserat, dixit ei Deus : « Immola eum mihi victimam » ; neque *tunc* dubitavit aut praeceptum Dei cavillatus est, sed filium Deo immolandum adduxit, illud pro certo habens atque exploràto, posse a Deo mortuum suscitari et per hunc procreari progeniem ; et ubi eius immolationem animo et voluntate, non facto, complevit, Deus liberalitatem suam futurorum saeculorum hominibus manifestavit. Tunc *scilicet* angelus Domini Abrahamum compellavit eique dixit : « Noli manum in puerum extendere, neve quicquam mali ei facias ; dehinc enim patet me a te amari, quoniam propter me filio tuo unico non pepercisti. Quamobrem te magnopere multiplicabo et progeniem tuam aequabo arenae maris et stellis caeli. » Et ita factum est, atque eius memoriam Deus ex illa die in perpetuum illustravit, meritusque est Abrahamus ut pater Christi quoad corpus appellaretur, quia ex eius progenie Christus in corpore apparuit. Quod vero spectat ad mores huius patris, misericordia ac liberalitate excelluit, siquidem nullo unquam die edebat absque hospitibus mensae secum accumbentibus ; et ita dignus habitus est qui angelos hospitio exciperet, quos tamen nisi in fine non agnovit. Molestias vivens perpessus est multaeque, et quidem aliae atque aliae diversis temporibus, calamitates eum afflixerunt : peregre enim fuit procul a patre et propinquis, vagusque per terram permansit ; et cum in Aegyptum ingressus esset, impietate atque crudelitate [2] incolarum regionis eo adactus est ut Saram affirmaret suam esse

[1] Sic, ut videtur, ex F et G' ; sed propositio obscura est et e codd. dissensu incerta. C: apparuit tempore meridiano, modo sibi *soli* noto. — [2] Ad litt. : gladio.

sororem, ne, si eandem, quae summa excellebat pulchritudine, abreptam vellent, ipsum interimerent. *Et revera rex Aegypti, illa abducta, Abrahamum percontatus est : « Quaenam est haec ? » Qui respondit : « Soror mea est. » Itaque eam a marito rex abstulit. Verum huic eadem nocte apparuit angelus terribilis, qui, mortem minitans, praecepit ut mulierem marito redderet, a se nisi id faceret occidendus. Unde, postquam illuxit, arcessitum Abrahamum reprehendit quod illam esse sororem suam dixisset, eamque ei reddidit, adiunctis donis et muneribus pretiosis atque Agare pedisequa. Hic pater, aetatem assecutus annorum centum septuaginta quinque, ad Dominum translatus est, perpetuam relinquens memoriam.

Iussi sumus eodem die festum agere translationis patris Isaaci, filii patriarchae Abrahami. Iustus hic, in lucem editus iuxta promissionem Dei et angelorum eius, Abrahamo patri et Sarae matri factam, perfectum se praebuit in pietate, itemque in oboedientia Deo ac patri suo praestanda, donec eum Deus ariete redemptum voluit ; neque nobis liquet uter admiratione dignior fuerit : genitorne paratus ad eum immolandum qui filius erat promissionis et quo iam senex donatus fuerat, sicque naturae inclinationem propter Deum — qui exaltetur ! — superans, an hic *ipse* pater *Isaacus,* qui se genitoris dicto audientem exhibuit atque submissum usque ad immolationem et combustionem, et quidem pueritiae fines iam egressus, cum testetur liber Legis [1] *sacrificii* lignum ab eo procul diuque delatum donec cacumen mentis attigisset ; immo testatur liber historiae [2] eum annos triginta septem natum fuisse, et tamen parenti oboedivit cervicemque praebuit immolanti donec, clamore ad hunc emisso, angelus Domini eius manum avertit ; et quemadmodum genitor dictus est filii immolator animi proposito ac voluntate, ita hic *ipse* pater vocatus est victima voluntate atque animo prompto. Calamitates multas in vita et molestias perpessus est : peregre habitavit, et uxorem eius Abimelech abstulit, neque eam cum muneribus et donis reddidit, nisi Dei vindictam illius causa expertus. Erat autem his pater mansuetus, siquidem testatur liber Legis *eum, cum pastores iurgarent propter puteos, his relictis, alios fodisse.

[1] I. e., Pentateuchus. — [2] Significari videtur liber Genesis.

Filios habuit Esaum et Iacobum, Esaumque propter animi fortitudinem diligebat. Aetate iam provectus et obtusiore utens oculorum acie, Esaum advocavit, eique dixit : « En equidem senui, fili mi. Abi atque venatus affer mihi venationem quam comedam, et benedicet tibi anima mea. » Ille igitur, armis assumptis, exivit. Rebecca autem Iacobum arcessivit et ita compellavit : « I, fili mi, aliquid ex grege occide et affer patri tuo comedendum, ut benedicat tibi[1] antequam moriatur. » Qui respondit : « Cavendum ne me agnoscat *pater* poenasque a me repetat, atque ita maledictionem consequar[2], benedictionem aucupatus. » At illa : « Maledictio tua, inquit, in me recidat ; » quod quidem illa Dei iussu dixit. Tunc id fecit *Iacobus* quod *a matre* praescriptum, et comedit pater eique benedixit. Vixit *Isaacus* usque ad aetatem centum et octoginta annorum et conditus est in sepulcro patris sui Abrahami, quod hic a filiis Heth emerat et in quo Sara reposita.

Iussi sumus eodem die festum agere translationis patriarchae Iacobi, quem Deus Israelem appellavit. Pater hic vestigiis institit Abrahami et Isaaci misericordia, liberalitate, mansuetudine atque clementia. Frater autem Esaus ipsum odio prosequebatur eo quod benedictionem patris sui Isaaci dolo aucupatus esset, et in animo habebat eum occidere. Quapropter, Isaaco patre suadente ut ad Labanum avunculum se conferret, eo se contulit *Iacobus* et illius filiam sibi expetivit coniugem, quae ei, postquam *avunculi* gregem pavit annos septem, tradita est. Tum alteram exoptavit sibi sponsam, et Labanus commisit ei gregem pascendum, alia atque alia de hoc adiecta conditione ; ac quotiens ille ei dicebat : « Merces tibi erunt *fetus gregis* maculam albam in fronte gerentes », oves nullos fetus nisi macula alba notatos edebant ; si vero dixisset : « Fetus varios accipies mercedem », oves omnes varios dabant fetus. Ambas sorores duxit Isaacus uxores, et, *opibus plurimis comparatis, ad regionem patris sui reversus, duodecim suscepit filios. Porro visionem habuit scalae a terra ad caelum erectae angelorumque scala ascendentium et descendentium, et expergefactus dixit : « Haec est domus Domini et porta caeli » ; atque ille *ipse* est Hierosolymorum locus. Dein altera donatus

* p. 292.

[1] Ex B, C et G′; A : ut benedicat tibi anima mea. — [2] Sic, legendo, cum B, C et G′, تغشاني, pro تخشاني, quae est lectio mendosa cod. A,

est visione : Dominus *nempe* cum ipso luctabatur[1], eiusque femur tetigit atque Israelis nomen ei indidit ; quamobrem Iudaei femoris venas non comedunt. Is quoque tempore vitae suae molestias atque calamitates toleravit ; et primum quidem Iosephus, filius eius, venditus est servus Aegyptiis, fratribus qui eum vendiderant affirmantibus illum a fera devoratum ; tum caecus evasit et fame gravi pressus est, qua urgente cibum non invenit nisi filiis ad frumentum comparandum missis. Hi Iosephum, fratrem suum — qui quippe regis Aegypti administer factus erat — adierunt, ipseque eos agnovit, illi vero eum non agnoverunt. Quare arte atque industria id tandem egit ut abeuntes patrem suum Iacobum adducerent ; isque in Aegyptum venit et, annos septemdecim ibi commoratus, tempore mortis imminente, duodecim filios convocavit, Iudae propriam assignavit dignitatem regiam et praedixit Messiam ex ipso oriturum, haec, postquam ei verbis multis benedixit, subiungens : « Non recedet virga regia a Iuda neque praeceptoris munus[2] e manibus eius donec ille veniat cuius est regnum et quem gentes exspectabunt. » Dein, postquam iis omnibus benedixit, Iosepho cum duobus filiis Ephraim et Manasse ad ipsum accedente, manus horum capitibus impositas permutavit, dextra minori et sinistra maiori adhibita. Brachia autem in formam crucis decussans, significabat et primogenita abolitum iri et signum crucis *quondam* appariturum. Obiit aetatem annorum centum quadraginta septem assecutus, atque oculi eius Iosephi manu clausi fuere. Praescripserat sese in sepulcro patrum suorum sepeliendum. Eum luxit Iosephus planctu magno ; tum Pharaonis plaustris impositum, comitantibus Aegypti magnatibus, *in fines Canaan transtulit, ubi cum patribus eius sepultus est.

* p. 293.

Benedictio illorum patrum Abrahami, Isaaci et Iacobi in nos ad extremum usque halitum effundatur. Amen.

Mensis mesrī dies vigesimus nonus.

Hodie martyrium passi sunt sanctus Athanasius episcopus et duo servi Charismus[3] ac Theobintus[4]. Et sanctus Athanasius

[1] Ex B, C, G′ ; A : ipsum prosternebat. — [2] Ad litt. : praecipiens ; B : praeceptum ; C : caput. — [3] A : Ḫārismos ; B : Ǧārisīmūs ; C : Ḫārisīmūs ; D et G′: Ḫārisīmos ; E : Ḥārīsīmos ; F : Ǧārīsīmos. — [4] A B C D E H : Thāobinṭos ; F : Thāonīṭos.

quidem, accusatus quod filiam Antonii, administri regii, baptizasset atque ab Ariano rege comprehensus, confessusque se esse christianum, cruciatibus multis affectus est; et cum Christi nomen nollet abnegare, sed in eo confitendo magis ac magis persisteret, iussus est decollari. Nec secus duo servi Charismus atque Theobintus et ipsi, verberibus ac suspendio cruciati, capite dein cum sancto Athanasio truncati sunt. Quorum corpora magna pecuniae vi a militibus et custodibus redempta quidam fidelium abstulit, involvit et in arca deposuit, atque ex istis corporibus prodigia multa et magna miracula prodierunt.

Eorum preces nobis ad extremum usque halitum adsint. Amen.

Eodem die, in *desertum* Scete allatum est corpus sancti Abū Iohannis Curti[1], qui in el-Qolzom mortuus erat. Temporibus nempe patris nostri Anbā Iohannis patriarchae[2], venit is in monasterium sancti Abū Macarii (Maqār) et coetui adstantium dixit: « Utinam corpus sancti Abū Iohannis in eius ecclesia adesset, a nobis venerandum, quemadmodum sanctum Abū Macarium (Maqār) veneramur! » Et confestim, gratia Dei motus, pater *patriarcha, per hegumenum quendam nomine Cosmam, cui comes aderat unus ex senioribus nomine Victor, epistulas dedit ambosque in el-Qolzom misit. Verum eo tempore nullus eis patuit aditus ad corpus, quippe quod custodiebatur apud haereticos concilii chalcedonensis asseclas, qui regionem illam incolebant. Locum tamen apprime dignoscere potuerunt, ac reversi sunt. Sed in urbe duos viros fideles invenerant, eosdemque consilii sui fecerant certiores. Post paucos dies, praefecturam *civitatis* el-Qolzom obtinuit quidam ex Arabum principibus amicitia iunctus cum Anbā Michaele, urbis 'Ablāwos episcopo. Tum aliam scripsit patriarcha epistulam *ad illum* episcopum, qua rerum statum ei aperiebat eumque omni qua poterat vi cohortabatur. Episcopus, ea re vehementer gaudens, litteras cum principis scriba communicavit, isque eas ad principem detulit[3]. Litterae autem a monachorum senioribus allatae fuerant. Quare scriba dixit: « Quonam modo monachis poterimus aditum ad locum pandere? » Cui princeps: « Monachi, inquit, Arabum vestes supra vestes suas

[1] Idem est qui et Kolobos graece cognominatus est. — [2] B: patriarchae Alexandriae. — [3] Ex B; postremam propositionem A omittit.

induent et locum nobiscum adibunt »; idque illi fecerunt. *Princeps igitur,* comitante magna multitudine tum Arabum, tum ex monte, venit el-Qolzom et huius civitatis episcopo, qui haereticus erat, dixit: « Hic opto recreari et quieti indulgere; inde itaque recede, nec quemquam sinas in loco remanere. » Qui postquam id fecit quod iussus erat, monachi, in locum de nocte ingressi, corpore sancti Abū Iohannis ablato, cum iumenta prius extra urbem apparavissent, noctem totam iter fecerunt, et Miṣrum ac, Miṣro profecti, Barnutum (Barnūṭ)[1], quae est coenobiorum spelunca, petierunt; dehinc in desertum ad monasterium sancti Abū Macarii progressi sunt. Porro benedictionem ex corpore aucupati sunt fratres, eique monachi cum crucibus, evangeliorum libris, turibulis, canticis atque psalmis obviam processerunt. Dein illud corpori sancti Abū Macarii apposuerunt, ac benedictionem ex eo capessiverunt omnes fratres, eoque unguentis plurimis delibuto, sacrum fecerunt; et quo tempore legebatur evangelium, magnum editum est miraculum, quod fuit huiusmodi: ecclesia tota *lampadibus splendentibus collustrata est atque odore aromatis eximii repleta. Posthac *corpus,* quod septem dies in monasterio sancti Abū Macarii remanserat, in sacrum ipsius *Iohannis* coenobium cantantes attulerunt; et quemadmodum filii Hebraeorum Salvatori nostro obviam ierunt, ita monachi, illius filii, ei occurrerunt, ante eum cum canticis spiritalibus incedentes. Patriarcha autem Anbā Iohannes, cum dies paucos superstes fuisset, in pace quievit. Sed Dominus populum eius non reliquit rectore destitutum; verum in sede constituerunt patrem Anbā Marcum iuniorem, qui vir erat doctus, gregis amans et omni virtute perfectus. Is aedes patriarchales adiit et in ecclesiam sancti Abū Iohannis ingressus, venerationis cultum ei exhibuit, adstantibus episcopis regionis maritimae et presbyteris quoque ex clero urbis Alexandriae atque universarum Aegypti partium. Voluit autem membra corporis sancti revelare atque benedictionem ex eo capessere, et, lacrimis multis fusis, dum sacra membra retegit, illico magnus in ecclesia auditus est tonitrus, ita ut adstantes timore ac reverentia pene interirent; quare, reposito velo fibris constante quo corpus tegebatur, hoc fasciis lineis involvit, coepe-

[1] B: Maryuṭ.

runtque qui aderant carmina decantare spiritalia ac virtutes sancti laudibus plurimis in hunc modum celebrare : « O tu, qui levi nubecula *ut* nimbus Spiritu sancti delatus, Babylonem, ad cellam trium sanctorum adulescentium, commigrasti ac dein Alexandriam virtute Spiritūs sancti, quae tibi aderat, rediisti ; qui el-Qolzom petiisti et idola subvertisti ; qui fidem orthodoxam praedicavisti ; qui omnes diversorum generum morbos sanasti ; qui etiam expulisti daemones ; qui deinde ad haereditatem tuam *ac familiam* reversus es, ut per te benedictionem inveniat ac viam ad regnum Dei ! .... » — Contigit adventus corporis patris nostri sancti Abū Iohannis in desertum die mensis mesrī vigesimo nono, p. 296. *anno a sanctis Martyribus quingentesimo vigesimo.

Domino, Deo ac Salvatori nostro Iesu Christo gloria semper et in perpetuum ! Amen.

MENSIS MESRĪ DIES TRIGESIMUS.

Hodie ad requiem admissus est propheta magnus Malachias. Hic propheta, viginti quattuor prophetarum postremus, unus e duodecim minoribus, eo tempore vaticinatus est quo populus e captivitate Hierosolymam rediit, et filios Israel reprehendit quod adversus Dominum rebellarent eiusque leges transgrederentur, atque iis sacrificiorum vetitorum oblationem et decimarum ac primitiarum ex praecepto Domini solvendarum neglectum exprobravit. Per illius linguam haec dixit Deus, homines simul vituperans atque ad misericordiam *sperandam* excitans ; « De decimarum et primitiarum solutione probate me ; ego quippe ianuas caeli vobis aperiam et benedictiones effundam in vos, adeo ut dicatis : Sufficit nobis, sufficit ; et tineam vermemque prohibebo, ne regionem vestram devorent. » Vaticinia edidit *Malachias* de adventu Iohannis ante Salvatorem nostrum, itemque de Elia ante eundem in fine mundi venturo. Iudaeorum superbiam fregit, iisque declaravit in terra *fore*[2] gentiles pios iustosque, qui Deo sacrificia ac thymiamata accepta offerant. Postquam autem vita laude digna de Deo bene meritus est, tempore muneris prophetici elapso, ad Dominum est translatus.

[1] MALACH., III, 10 sqq. — [2] Ita ex B et C ; A et G', mendose : et iis relinquet in terra gentiles.

Sacris eius benedictionibus involvamur ad extremum usque halitum ; Domino autem nostro, Regi ac Salvatori nostro Iesu Christo, gloria, laus, honor et adoratio, nunc, et omni tempore, et in saecula saeculorum ! Amen.

Deo — qui exaltetur ! — iuvante et auxilium benigne praestante, explicit et ad finem perductus est mensis mesrī benedictus, in pace a Domino *concessa*. Amen.

---

* p. 297.

*In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Dei unius, cui gloria in aeternum. Amen.

Mensis parvus, qui et nasi[1] appellatur[2].

Eiusdem mensis dies primus.

Hodie martyrium passus est sanctus apostolus Eutichus ('Awtiḫos)[3]. Is, qui Iohannis evangelistae discipulus erat, Spiritu sancto repletus est famulando atque oboediendo Iohanni apostolo. A quo petiit ut sibi liceret ad Paulum transire; illoque rem permittente, Paulum in praedicatione comitans, nomen Christi annuntiavit et multos Iudaeorum atque idololatrarum ad Christi cognitionem adductos baptismo tinxit. Idolorum delubris et altaribus eversis, Christi altaria in iisdem locis aedificavit. Vincula passus est, et flagella, et carcerem diuturnum, angelo ei in carcerem afferente cibum quo vesceretur; dein coniectus est in ignem, qui ei non nocuit; tum leonibus obiectus, *qui ad eum non accesserunt, sed se ei ovium instar mansuetos praebuerunt. Postea in urbem Sebastiam se contulit, angelo Domini ei praeeunte eumque confortante. Cursu consummato, honestam assecutus senectutem, ad Dominum translatus est.

* p. 298.

Preces eius nobis adsint. Amen.

Eodem die martyrium passus est sanctus Abšāy, sancti Abbā Huri frater. Hic sanctus, patria antiochenus, nobili loco natus et propter nobilitatem generis, scientiae atque religionis ordinatus sacerdos, postquam ipsius frater Abbā Hur et mater Dandarah Alexandriam migrarunt martyrioque *ibi* affecti sunt die vigesimo nono mensis bawūnah, Alexandriam et ipse profectus est, ut illorum corpora inviseret et benedictionem ab iis in se derivaret. Distributis autem omnibus facultatibus, nihil secum habebat, nisi

[1] I. e., res quae in oblivionem ivit, cuius ratio non habetur. — [2] In B inscriptio plenior: « Dies en-nasi, qui quotannis sunt numero quinque cum diei quadrante, ita ut quartus quisque annus sit intercalaris. » Consonant D, E, F, nisi quod in E finis adhuc explicitior: « ... ita ut quarto quoque anno fiant dies sex, ipseque annus intercalaris ». — [3] B et E: 'Awnīḫos; C: 'Awtīḫos; D: 'Abūtīḫos; F: 'Awtīḫos.

tria pastilla[1] et ramum palmarem foliis nudatum, cui baculi instar innitebatur. Ubi Alexandriam pervenit, *incolas* de corporibus fratris et matris percontatus et ad ea perductus eademque intuitus, lacrimas fudit de utriusque a se discessu; dein surgens praefectum adiit et Christum coram eo confessus est. Ipsum agnoverunt esse fratrem Abbā Huri; quare, iussus ingenti columnae ventrem prementi supponi, animam statim exhalavit. Tum, praefecto praecipiente ut corpus eius cum corporibus fratris, matris et aliorum martyrum, quorum numerus octo et octoginta, combureretur, ignis nullam in ea exseruit vim. Assumpta igitur corpora Abbā Huri, fratris eius Abšāy, matris eorum, sanctae Tabamunis (Tābāmūn), ex Dabīq[2] oriundae, Abimachi ('Abīmāḫos), ex el-Barmūn, et Warašnūfae, ex Ṭaliah, quidam ad 'Ansābāsī[3] attulerunt, ubi iis obviam magno cum honore ventum est.

Illorum omnium sanctorum preces nos in saecula saeculorum custodiant. Amen.

Mensis nasi dies secundus.

Hodie ad requiem admissus est sanctus apostolus Titus, ad quem Paulus apostolus unam ex suis epistulis scripsit. Hic sanctus, in Creta natus et praefecti huius insulae ex sorore nepos, genere graecus erat et, disciplinis graecis ab infantia informatus, eas apprime calluit et doctrina magnopere excelluit. *Indole mitis, benignus atque misericors, nocte quadam aliquem vidit se sic alloquentem: « O Tite, diligenter incumbe saluti animae tuae *procurandae,* hic namque mundus nihil tibi proderit. » Porro, expergefactus, anceps haesit, nesciens quid facturus esset. Verum cum fama Domini nostri Iesu Christi per plerasque Syriae partes percrebresceret, eiusque doctrinam et miracula *homines* alii aliis enarrarent atque laudarent, his auditis, Cretae praefectus obstupuit ac voluit illius rumoris veritatem explorare. Quare virum sapientem et experientia doctum quaesivit, qui iret, de Christo inquireret atque miracula eius scrutaretur, utrum *nempe* phantasiae adscribenda essent vel magicis artibus, an vera forent.

* p. 299.

[1] Ad litt.: « tres oblationes »; quo nomine intellegere videtur auctor panicellos eucharisticos et metaphorice designare panicellos quoscumque. — [2] C: Daniq. — [3] C: 'Anšānāšī.

Prodiit igitur Titus, quo melior nemo repertus fuerat, eumque misit ille, exhortans ut res accuratissime examinaret. Et postquam in regionem Iudaeae pervenit, viditque stupenda Domini miracula atque sermones sapientiae plenos audivit, haec a Graecorum factis dictisque discrevit et, ingentem inter utraque distantiam nactus, Christo credidit atque adhaesit, avunculumque missò nuntio certiorem fecit de iis quae viderat et audierat. Quo autem tempore Dominus noster septuaginta *discipulos* elegit, hunc in eorum cooptavit numerum, et post ascensionem suam in eum effudit Paracliti gratiam, qua ille cum *ceteris* discipulis ad praedicandum processit. Dein, ubi Paulus electus est, eum comes secutus est in regiones multas ; et, eodem martyrium Romae passo, in Cretam reversus est, ibique ecclesiam aedificavit, cui, sicut et regionibus circumiacentibus, presbyteros et diaconos praefecit. Vita apostolica ad finem usque defunctus, ad Dominum translatus est.

Eius preces nobis adsint. Amen.

Mensis Nasi dies tertius.

Hodie commemoratio angeli Raphaelis, qui tertius est inter ordinum caelestium principes, itemque ecclesiae eius, quae in insula extra Alexandriam tempore *sancti Theophili aedificata est, miraculi quoque quod in ea edidit. Cum nimirum mulier illa *supra memorata* Roma venisset cum filiis, afferens angeli Raphaelis imaginem et divitias multas, quas pro anima sua pependit solvitque, atque, opere suscepto tumulos ante aedes patriarchae aggestos defodiendi *et auferendi,* thesaurum invenisset, ut ad diem decimum octavum mensis bābah memoratur [1] ; eo, *inquam,* tempore sanctus Theophilus ecclesias complures exstruxit, in quarum numero fuit ecclesia in insula extra Alexandriam nomine angeli Raphaelis dicata ; huiusque aedificium complevit et eam consecravit *idem* pater Theophilus die huic respondente. Dum autem fideles intra ecclesiam versantur orantes, ecce ecclesia contremuit *tota* et mota diruptaque est ; indeque compererunt fundamenti loco ei subiacere feram quandam ingentem, supra quam arena congesta et quae, cum in loco suo immota permaneret, ubi sensit se ab homi-

* p. 300.

[1] Cf. t. XVIII, p. 72.

nibus incedentibus et pondere premi, voluit, Satana incitante, ecclesiam evertere. Tum vero fideles cum patriarcha conclamantes Christo supplicaverunt, patronum invocantes angelum Raphaelem ; et Deus — qui exaltetur ! — generis humani misertus, illum misit, qui, belluam lancea pungens, dixit : « Domini verbis praecipio ut stes neve loco tuo movearis. » Et fera immobilis restitit in loco suo, neque commota est, donec, ecclesia *posthac* diruta, illa se ita movit ut in mare descenderet ; unde gentiles plurimi, qui supra versabantur, demersi sunt. Porro hoc festum institutum est in commemorationem praeclari angeli Raphaelis.

Eodem die martyrium passus est sanctus Andrianus una cum Yūlīṭah [1] uxore. Erat is e primoribus exercitus regii. Qui, cum *alios* videret martyrium obeuntes, ab iis percontabatur causam cur ita se gererent ; illisque respondentibus : « Propter spem bonorum aeternorum et regni nunquam finem habituri », ad regem accedens, Christum confessus est. Quare ab illo magnis affectus est cruciatibus ac dein in custodiam cum compluribus martyribus traditus, vetitumque est ne quis quicquam iis afferret. Anāṭūlyā autem, sancti uxor, caput totondit et, habitu virili assumpto, ad carcerem ventitans, captivis famulabatur, maritumque solabatur ac confortabat. Quod cum audissent ab ea factum mulieres quaedam, eius exemplum secutae sunt. Postea praecepit rex ut in carcerem afferrentur incus fabri ferrarii et magnlaniorum cultri, utque sancti confractis cruribus morti tradei rentur. Tum haec sancta, verita ne maritus ex timore retrocederet, *satellites supplex adiit, eiusque rogatu illum primum admoverunt, et *uxor mariti* crura apprehensa frangentibus obtulit et ita spiritum emisit Andrianus. Dein iussit rex Ḫarǧ [2] sanctorum corpora in ignem proici ; iis vero proiectis, immisit Deus in ea imbrem vehementem, quo ignis exstinctus est, et corporum quaedam Basidiam (Basīdyā) translata sunt. Huc se contulit sancta Anāṭūlyā, cuius nuptias unus ex exercitus imperatoribus expetiverat, et, Christo eam obtegente, martyribus annumerata est atque in pace quievit.

Omnium preces atque intercessiones nobis adsint. Amen.

* p. 301.

[1] Sic hoc loco ; sed eadem paulo post 'Anāṭūlyā appellatur. — [2] Sic.

MENSIS NASI DIES QUARTUS.

Hodie ad requiem admissus est sanctus ac devotus athleta et eremita pater Anbā Bīman. Fuit is origine aegyptius, unusque ex septem fratribus qui statum monasticum omnes amplexi sunt et quorum nomina Iohannes, Iobus, Iosephus, Sīsūnos[1], Bīman, Iacobus et Abrahamus. Inter illos erat Iohannes natu et pater Bīman scientia maximus. Unanimi porro consensu universi, mundo relicto, locum quendam a mundanis remotum incolentes, Christique iugo se submittentes, per viam arctam incesserunt et naturalem dilectionem adeo conculcarunt ut matri cupienti eos videre, eosdem idcirco adeunti, foris autem consistenti et nuntio misso eos advocanti, remisso nuntio responderint : « Si nos in illo mundo *futuro* conspicere vis[2], abscede hinc. » Cuius responsi cum plenam vim sensim assecuta esset, recessit. Fuit hic pater perfugium ac consolator senioribus qui in deserto degebant, non secus ac iunioribus. Quicumque vel dubitatione angebatur, vel inimici agitabatur tentatione, illum conveniebat et medelam apud eundem nanciscebatur. Praecepta plurima pietati utilissima tradidit hic pater ; e quorum numero istud ipsius effatum : « Si fratrem videris peccantem, noli desperationem ei ingerere, sed animum ei adde, *eum solare et leva ab onere, ut resurgat » ; item hoc eiusdem dictum : « Cor tuum informa ut ea peragat quae lingua tua praescribit. » Dixit ei monachus quondam : « Si frater occurrat bonus, eum gaudens suscipio atque in cellam recreandi causa introduco ; si quis vero occurrerit, quem non audierim probum esse, hunc in cellam meam admittere nolim. » Respondit ei senior : « Si in fratrem bonum beneficium confers, beneficium duplo maius apud improbum colloca, quia hic aegrotus est, qui medela indiget. » Tum fratri interroganti haec narravit : « In monasterio quodam monachus erat nomine Timotheus, qui, cum in culpam lapsus esset, perpetuas fundebat lacrimas precesque, dicens : O Domine, peccavi, peccatum mihi condona ; atque ad eum emissa est vox huiusmodi : A te non recessi nisi ideo quia fratrem tuum tempore quo aerumna pre-

* p. 302.

[1] B : Sanwis. — [2] Ita ex B et C ; A : Ut nos videas.

mebatur neglexisti. » Dixit etiam : « Si fratrum nostrorum peccata celaverimus, peccata nostra Deus dissimulabit ; sin vero illa evulgaverimus, et Deus nostra evulgabit. » Vitae suae tempus complevit hic pater senectute honesta ac Deo grata, et in pace quievit.

Eodem die ad requiem admissus est sanctus Liberius[1], papa Romae. Praefuit hic *urbi* Romae temporibus Constantis, filii Constantini. Ab huius fratre Constantio sanctus Athanasius e sede alexandrina deturbatus, itemque Paulus, patriarcha constantinopolitanus, expulsus est ; ideoque ambo ad Liberium venerunt, auxilii expetendi causa. Eos ille suscepit atque ad imperatorem *Constantem* introduxit, huiusque iis obtinuit epistulas ad eiusdem fratrem, ut ab hoc reciperentur ; ipse quoque utrique dedit litteras commendaticias. Constante autem Romae interfecto, scripsit Constantius ad hunc patrem, postulans, adiecta magnorum praemiorum pollicitatione, ut sibi auxilio esset ad Athanasium expellendum et Arii sectam promovendam ; tum nec consilio assentientem nec promissis motum in urbes eiecit longinquas, missis autem satellitibus fratris sui interfectores et omnes qui neci eius consenserant morte affecit. Posthac Romam ipse se contulit, et ad eum venerunt Romae optimates cum monasteriorum praepositis et sacerdotum principibus, rogantes ut Liberium ad sedem reduceret. Itaque decretum dedit quo ille ab exsilio revocabatur, et *pontifex redux*, sede principatus sui potitus, perpetuam gessit curam de Arii asseclis, quos usque ad mortem suam persecutus est. Sedem obtinuit annos omnino sex.

Omnium preces nobis adsint. Amen.

*MENSIS NASI DIES QUINTUS.

* p. 303.

Hodie ad requiem admissus est pater virginali puritate insignis sanctus Anbā Iacobus, Miṣri episcopus. Viri huius eximii anima a teneris pietati dedita fuit, et, ad desertum sancti Macarii (Maqāryūs) profectus, in quadam cellarum Abu Iohannis habitavit, ibique annos commoratus plurimos, evasit ecclesiae Abu Iohannis archidiaconus. Fama virtutum eius, meriti et scientiae late sparsa, eum elegerunt Miṣri episcopum, et, sede illa potitus,

[1] Sic ex D, in quo haec tantum : « Hodie obiit sanctus Lībāryūs, papa Romae. » A : Līnāryūs ; B : Libyāryūs.

mortificationes, preces ac devotionis opera adauxit, nec quicquam propter principatum remittens de vitae anterioris tenore, continuam navabat operam doctrinae tradendae, lectioni et peccatorum admonitioni ac reprehensioni, Aegyptiosque ab eorum peccatis probibebat ac deterrebat. Quo egregio vivendi genere ad finem usque defunctus, cum in levem morbum incidisset, gregem convocavit et doctrina instruxit, sacerdotes quoque arcessitos cohortatus est atque monuit ne in sacrificiis divinis segniores essent, subiungens grave iis iudicium propter huiusmodi socordiam imminere; dixitque eis: « Ego mundus a peccato vestro. » Deinde, vultu ac pectore signo crucis signato, pedes extendit, manus decussavit atque oculos clausit; et adstantes, cum eum expergefacere vellent, mortuum compererunt.

Eodem die ad requiem admissus est propheta magnus Amos[1], Isaiae pater, unus ex duodecim *prophetis* minoribus. Prophetavit hic sanctus temporibus Ioas, Amasiae et Oziae, munereque prophetico annos plures quam quinquaginta functus est. Assiduam posuit operam in reprehendendis filiis Israel, itemque regibus eorum et regibus Iuda, iisque denuntiavit *a Deo non recipi victimarum oblationem neque id *acceptum fuisse* quod aetate Mosis in deserto obtulerant. Vaticinium edidit de passione Domini et sole illa die obscurando atque de calamitatibus et doloribus quibus filii Israel essent postea afficiendi: fore *nempe* ut eorum festa in tristitiam verterentur et eorum laetitia in fletum, ut Domini auxilio privarentur et esurirent ac sitirent ex defectu doctrinae ac scientiae, utque per regiones *diversas,* inter earum gentes, dispergerentur, quemadmodum frumentum cribro spargitur. Quae omnia iis revera evenerunt, et ita quidem ut in illa conditione adhuc versentur. Porro fertur 'Amos occisum fuisse eo quod peccatores vehementius increparet. Adventum Messiae centum[2] circiter annis praecessit.

Omnium benedictiones precesque nobis adsint. Amen.

Eodem item die ad requiem admissus est *vir* sanctus et amore Dei perfectus, pater noster Anbā Barsūmā, nudus, sed virtutibus

[1] Sic ex D, scil.: ʿĀmūṣ; A: Ġāmūṣ; B: Ġāmūs. Vix autem opus est notemus, perperam confundi prophetam Amos (hebr. עָמוֹם) cum Amos (hebr. אָמוֹץ), patre Isaiae. — [2] Sic in textu arab., cum reapse octingenti fere anni intercesserint.

circumvestitus. Sanctus hic, ex Miṣro oriundus, patrem habuit nomine El-Uaǧiah auctorem *libri cui titulus*: « Arbor margaritarum ferax »[1], matrem vero, ex filiis et-Tabān progenitam; et utrique amplae suppetebant facultates. Parentibus mortuis et avunculo suo omnes illorum opes invadente, cum eo pater hic non litigavit[2], sed divitias huius mundi cunctas et omnia quae in eo sunt respuens, vitam egit eremitarum piorum et, cum nihil huius saeculi caduci possideret, nuditati se addixit. Domicilium habebat in *urbe* antiqua Miṣro, intra ecclesiam martyris incliti Mercurii, *et quidem* in spelunca obscura et subterranea, ubi se inclusit et clausus remansit annos viginti. Assiduus erat et constans in precibus nocturnis diurnisque fundendis; cibi loco fabis madefactis, nulla alia re, utebatur; potum aqua salsa atque foetens praebebat. Paenitentiam ac perfectionem monasticam summo studio sectabatur, nullo ex operibus religionis neglecto. Deus ei potestatem contra daemones contulit, eique tum privatim tum palam adfuit, quoniam in fine saeculorum apparuit, quo tempore virtus hominibus ob fidei debilitatem *et infirmitatem voluntatis difficilis evasit. Hunc igitur patrem, qui sanctos multos superavit paenitentia, devotione, constantia, patientia, abstinentia, humilitate, puritate, caritate, modestia, benignitate erga omnes homines et modo aequo ac iusto agendi in iis rebus quas ab ipso postulabant; qui nemini unquam irascebatur aut comminabatur, sed mansuetus erat atque clemens; qui nullum alteri praeferebat, verum universos aequali complectebatur amore; *hunc, inquam, patrem* Deus ostendit, qui omnia quae de sanctis scripta sunt et perficeret et in se hominum oculis spectanda obiceret. Postea, e spelunca in tectum ecclesiae ascendens, hic constitit patienter ferens et frigus hiemis et aestatis calorem. Se ipse cotidianis afficiebat cruciatibus, solis ardoribus tamdiu obiectus ut eius cutis nigresceret, suamque domabat naturam et gloriosum sustinebat certamen. In hoc statu annos plures quam quindecim permansit. Tum vero christianis aegyptiis magna supervenit calamitas, siquidem eorum ecclesiae clausae fuerunt, ipsi iussi sunt vitreamina caerulei coloris gestare et vestes mutare, vetitumque ne servis uterentur neve iumentis

[1] Arabice: شجرة الدر. — [2] Ita ex B, C, D, F; in A nulla avunculi invasoris mentio.

veherentur pedibus hinc atque illinc dependentibus[1]. Porro in animo habebat illius temporis praefectus eos neci tradere, cuius tamen rei facultatem Deus ei non reliquit. Haec autem omnia propter peccatorum multitudinem *evenerunt,* dicente Apostolo : « Cum peccatum conceperit, generat mortem.[2] » Iis temporibus 5 *p. 306. adversis atque arduis, *hic pater Anbā Barṣūmā assiduas ad Deum orationes obsecrationesque pro illis *christianis* cum humilitate et animo demisso fundebat, ac quadraginta dies continuos ieiunavit, ut Deus iram suam ab illis averteret. Deinde praefectus Aegypti eum ex ecclesia eductum et contumeliis affectum custo- 10 diae mandavit. Res antequam evenirent praedicebat. Carcere clausus diutius quam hebdomadam remansit neque comedens neque bibens quicquam; quod si fideles ei aliquid cibi vel potus afferrent, id ipse *ceteris* captivis tradebat. Uni ex his de liberatione interroganti praenuntiavit eos illa *ipsa* hebdomada liberatum iri, 15 quod revera factum. Postea ad monasterium Šahrān se contulit[3] et supra tectum commoratus est, seipsum crucians, ut solebat, et ea praestans paenitentiae monasticae, pugnae spiritualis et pietatis opera quae nullus hominum praestare potest. Divinum ei aderat auxilium, et cum res foetidas ac vermibus scatentes ederet, fiebant 20 in ore eius per gratiam Dei suaves ac iucundae, prout scribunt sanctus Ephraemus syrus et sanctus Simeon Stylites, « a Deo ipsius electos veste lucida indui, qua nec frigus sentiunt neque calorem ». Toto vitae suae tempore sanctus hic somnum non carpsit nisi omnino nudus et humi stratus. Quicumque ad se 25 confugeret, eum benigne solabatur[4]. Deus autem ipsum tuebatur ab adversariis. Plerique illius aetatis magistri, sive iudices, sive principes, sive alii, ad eum accedebant, et cum eum viderent cidari candida coopertum, ne unus quidem ausus est eum adigere *p. 307. ut illam caerulea mutaret, *quia Dei virtus erat cum illo. Deum 30 omnes propter eum laudabant, et animas plurimas quarum salus desperata erat convertit et salvas fecit. Dicere solebat peccata

[1] Plura addit D de iniquis christianorum vexationibus. — [2] Sic, truncando scilicet ac pervertendo genuinum ep. Iacobi, I, 15, textum. — [3] B et C : Postea e custodia eductum ad monasterium Šahrān iuxta scriptam iudicis sententiam miserunt. — [4] B : Quicumque ex omnibus hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus, ad se confugiebat, eum benigne solabatur; nec, *quod iubebant Moslemorum tyranni,* proprium pileum caeruleo mutavit.

omnia praemissa paenitentia condonari. Multa sermone allegoriis spiritalibus referto innuebat[1]. Ipse plebi magni solatii fons. Propter orationem eius Deus iram suam a christianis avertit et, ecclesiis apertis, ad pristinum statum redierunt *fideles*; eum qui 5 necem iis intendebat Deus e regno expulit atque occidit, et universi Numinis omnipotentis laudes concelebrarunt. Populo suo Deus reconciliatus est precibus et obsecrationibus ab hoc sancto patre pro illo fusis. Spiritum prophetiae virtutemque sanandi animas *Barṣūmā* divinitus acceperat, et sanctitate perfectus homines 10 ad ea pertrahebat quae ipsis saluti forent. Quisquis eum videbat cupiebat ab eo non discedere, propter vim gratiae et caritatis quae ipsi inerat. Gloriam huius mundi odio habebat; sed cum se ipse stultum exhiberet, Deus hominibus ostendit eum sapientibus sapientiorem esse et doctis doctiorem. Solatio hic pater a 15 Spiritu sancto perfundebatur, et *mentis* oculos semper intentos habebat ad Deum, ad sanctos apostolos, ad spiritus angelicos, ad martyres, ad sanctos *omnes*, ad patres, ad prophetas, quorum lucidas sedes spiritu contemplabatur, *quibuscum sacrum faciebat *p. 308. et ad quorum instar sacram recipiebat communionem, prout iis 20 exploratum fuit qui rem ab ipso certo didicerant. Prodigia vero et miracula quae patravit innumera sunt. In monasterio Šahrān senectutem degit laude dignam et honore, Deoque acceptam, et, cursu bono consummato, ad Dominum, quem *sibi haereditatis partem* elegerat, translatus, lucidas sedes cum sanctis patribus 25 adiit, hac ipsa die quinta mensis nasi anni a beatis martyribus millesimi trigesimi tertii. Sacrum eius corpus in monasterio Šahrān *iacet*.

Benedictione precum eius acceptarum Dominus nostri misereatur. Amen, amen, amen.

30 Si quinque constet diebus *mensis* nasi, haec *quae subsequitur* particula diei quinto adiungatur; legatur autem die sexto, si *mensis* sex complectatur dies.

Hodierno[2] die benedicto, nos oportet, fratres fideles, sanguine Iesu Christi redempti, amplas publicasque laudes Deo rependere

[1] B et C ins. : quas ii intellegebant quibus earundem intellegentiam Deus suppeditabat. — [2] Huius conclusionis cohortatoriae textus paulo longior prostat in cod. B.

ob magna quae in nos contulit beneficia ad hunc usque diem, qui postremus est anni coptici et mensium aegyptiorum, quemque attingere contingit incolumes corpore, fide constantes et misericordia dignatos Dei nostri, qui a nobis poenas operum nostrorum malorum non exigit, sed exspectat dum a lapsibus et ignorantiis nostris convertamur atque a neglegentia et socordia resipiscamus. *Nos etiam oportet* Deum orare ut fidei firmitatem nobis tribuat hoc anno subsecuturo ac toto vitae nostrae tempore ; ut ab inimico nostro daemone nos custodiat, ita ad ultimum diem nostrum et ad mortem perventuros in fide stabiles ; ut maiorum nostrorum animabus requiem concedat; ut annonam nostram *copiosam ac* vilis efficiat pretii, utque nos in domiciliis nostris tutos praestet.

Cui iure competit gloria, honor, maiestas et potentia, nunc, et quovis tempore, et in saecula saeculorum atque aeternitates aeternitatum. Amen, amen, amen.

Explicit et ad finem perducta est pars altera Synaxarii anni coptici, in pace a Domino *concessa*. Amen.

PARTIS ALTERIUS

INDEX CHRONOLOGICUS

VII. Mensis barmahāt.

21. Beatae Virginis Mariae commemoratio, p. 37; — Christus Bethaniam adveniens ibique coenans, p. 37; — Theodori et Timothei, martyrum, memoria, p. 38.
22. Cyrillus, episcopus Hierosolymitanus, p. 38 — Michaelis, episcopi sedis Naqādah, memoria, p. 39.
23. Daniel, propheta, p. 39.
24. Macarius, patriarcha Alexandrinus, p. 41.
25. Onesiphorus, unus ex septuaginta discipulis, p. 42.
26. Abraxiah, virgo, p. 43.
27. Macarius, incola deserti et universorum monachorum pater, p. 44; — prodigiorum quae Christi Domini mortem subsecuta sunt memoria, p. 48.
28. Constantinus imperator, p. 48.
29. Christi in terris nascituri annuntiatio per Gabrielem archangelum, p. 51.
30. Gabriel archangelus, p. 52; — Samson, unus ex Iudicibus filiorum Israel, p. 53; — corporis sancti Iacobi discissi translatio, p. 54.

VIII. Mensis barmūdah.

1. Sylvanus, monachus insignis, p. 55; — Arabum Aegypti superioris incursio et vastatio, p. 56; — Aaron sacerdos, Mosis germanus, p. 56; — Iohannes Abū Kariš, p. 57.
2. Christophorus, martyr, p. 57; — Ġalm, e pago Šubrā el-Ḫaymah, p. 58.
3. Iohannes, episcopus Hierosolymitanus, p. 58; — Michael, Alexandriae patriarcha, p. 59; — Rizq-Allah, architectus, p. 60.
4. Victor, Decius et Irene, qui cum aliis plurimis martyrium passi sunt, p. 60; — tres sanctae martyres Bint el-Fazūlī, Ġazāl et Nuzhah, p. 60.
5. Ezechiel, propheta, p. 61.
6. Maria Coptica, p. 62; — Christus Dominus se post resurrectionem Thomae apostolo praesentem sistens atque palpabilem, p. 64.
7. Ioachim, S. Dei Genitricis pater, p. 64; — Agabii et Theodorae, martyrum, itemque Abū Maqrufi commemoratio, p. 65.
8. Agape, Irene et Satunia, martyres, p. 65; — martyres centum et quinquaginta in Persarum finibus, p. 66.
9. Zosimus, monachus et presbyter, p. 66; — Sinutii, patriarchae Alexandrini, miraculum, p. 67.
10. Isaacus, Anbā Apollonii discipulus, p. 68; — Gabriel, cognominatus Ibn Tarīk, Alexandriae patriarcha, p. 69.
11. Theodora, virgo Alexandrina, p. 70; — episcopi Anbā Iohannis in urbe Gaza commemoratio, p. 71.
12. Michaelis archangeli commemoratio, p. 72; — Alexander, Hierosolymorum patriarcha, martyr, p. 72; — Antonius, episcopus Ṭamuyah, martyr, p. 73.
13. Anbā Yāšū' et Anbā Yūsof, martyres, p. 73; — Dionysiae diaconissae memoria, p. 73; — Domadii martyris memoria, p. 73.
14. Maximus, Alexandriae patriarcha, p. 74.

15. Consecratio primi altaris in finibus Aegypti dicati nomine sancti Nicolai, episcopi Myrae, p. 75; — Agabi, unius ex septuaginta discipulis, commemoratio, p. 75; — Alexandrae imperatricis commemoratio, p. 75.
16. Antīnūs, Pergami episcopus, martyr, p. 76.
17. Iacobus apostolus, Zebedaei filius, martyr, p. 77.
18. Arsenius, martyr, p. 78.
19. Simeon Armenius, Persidis episcopus, martyr cum aliis centum et quinquaginta. p. 78; — David monachus, martyr, p. 79.
20. Sanctus Babnudah, martyr, p. 79.
21. Beatae Virginis Mariae commemoratio, p. 80; — Proteus Atheniensis, Apostolorum discipulus, p. 80.
22. Abū Isḥāq, ex Hurin oriundus, p. 81; — Alexander, Alexandriae patriarcha, p. 82; — Marcus, patria Alexandrinus et urbis patriae patriarcha, p. 83; — Anbā Michael, primum hegumenus, dein patriarcha, p. 85.
23. Mar Georgius, martyr, p. 85.
24. Sinā, S. Isidori sodalis, martyr, p. 88; — Senūtīs, Alexandriae patriarcha, p. 88.
25. Sancta Sārah et duo filii, martyres, p. 90; — Babnūdae eremitae, Theodori et aliorum centum martyrium in Perside, p. 91.
26. Sūsīnūs, martyr, p. 91.
27. Mar Victor, martyr, p. 92.
28. Milius, montis Khorasani eremita, martyr, p. 94.
29. Erastus, unus ex septuaginta discipulis, p. 95; — Decius, episcopus Hierosolymitanus, p. 96.
30. Marcus evangelista, patriarcharum Alexandriae primus, martyr, p. 96.

IX. Mensis bašons.

1. Commemoratio natalis Virginis Mariae. p. 98.
2. Iustus Iob, patientiae exemplum, p. 98; — Theodorus, Pachomii discipulus, p. 99; — Philotheus Damacensis, martyr, p. 99.
3. Yāson (vel Yās), unus ex septuaginta discipulis, p. 100; — Anbā 'Auṭāman, martyr, p. 101.
4. Iohannes, patria Alexandrinus, Alexandriae patriarcha, p. 101.
5. Ieremias propheta, p. 102.
6. Isaacus Dafrensis, martyr, p. 103; — Macarius Alexandrinus, monachus et sacerdos, p. 104; Babnudah, martyr, p. 105.
7. Athanasius, Alexandriae patriarcha, p. 105.
8. Iohannes Sanhutensis, martyr, p. 107; — Christi Domini ascensus in caelum, p. 108; — Daniel, archipresbyter Scetensis, 108.
9. Helena, Constantini mater, p. 109; — Arsenius Aethiops, martyr, p. 110.
10. Ḥananiae, Azariae et Miṣaelis commemoratio, p. 111.
11. Theoclia, martyr, p. 112; — Paphnutii episcopi commemoratio, p. 113.
12. Michaelis archangeli festum, p. 114; — Iohannes Chrysostomus, p. 114;

X. Mensis bawūnah.

XI. — Mensis abīb.

3. Cyrillus, patriarcha Alexandrinus, p. 198; — Caelestinus papa, p. 199.
4. Corporum Abū Qīrī et Iohannis, martyrum, translatio, p. 201.
5. Petrus et Paulus apostoli, martyres, p. 201.
6. Ulīmīnās (vel Ūlīmtyās, Ūlīmās, Ūlīmnās, Ūlīmyās), unus ex septuaginta discipulis, martyr, p. 203; — Theodosia et alii quattuordecim, martyres, p. 204.
7. Šenūdah archimandrita, p. 204; — Ignatius, papa Romae, martyr, p. 205.
8. Abū Bašiah, monachus, p. 206; — 'Abīrūm et 'Atām, martyres, p. 208; — Balānah, ex Barā oriundus, martyr, p. 210; — Bīmā, ex Benkolāwos, martyr, p. 210; — Kīros (vel Kāras), Theodosii frater, qui in extrema mundi parte habitabat, p. 211; — Marcus, monachus in coenobio sancti Antonii Magni, p. 212.
9. Simon, Cleophae filius, Hierosolymorum episcopus, martyr, p. 212; — Claudianus, Alexandriae patriarcha, p. 213.
10. Theodorus, episcopus Pentapolis, martyr, p. 213; — Theodorus, Corinthiorum episcopus, Lucius et Dīfānānyūs, martyres, p. 213; — memoria Sergii et Bacchi, martyrum, atque ecclesiae amborum nominibus dicatae, p. 214.
11. Iohannes et Simeon, ex Šarmalos oriundi, martyres, p. 214; — commemoratio Anbā Ša'yah, eremitae in monte Scete, p. 216.
12. Michael archangelus, p. 216; — Abā Hūr, martyr, p. 217.
13. Bešandah, Copti episcopus, p. 217; — Abāmūn, ex Ṭūḫ oriundus, martyr, p. 218; — Šenūdah, martyr, p. 218.
14. Consecratio ecclesiae primogenitorum, p. 219; — Abroconyus, martyr, p. 219.
15. Ephraemus syrus, p. 220; — Cyriacus eiusque mater Iūlīṭah, martyres, p. 222.
16. Iohannes, evangelii aurei possessor, p. 223.
17. Euphemia, martyr, p. 224.
18. Iacobus, episcopus hierosolymitanus, martyr, p. 225.
19. Mār Baṭlān medicus, martyr, p. 225; — Bīdābā, Copti episcopus, martyr, p. 227.
20. Theodorus antiochenus, miles et martyr, p. 227.
21. Purissimae Virginis Mariae commemoratio, p. 229; — Sūsīnūs eunuchus, p. 229.
22. Maçarius, Basilidae veziri filius, martyr, p. 229; — Leontius tripolitanus, miles et martyr, p. 230.
23. Longinus cappadox, miles et martyr, p. 232; — sancta Marina, martyr, p. 232; — commemoratio martyris 'Abd-el-Masīḥ, ex Ṭūḫ oriundi, p. 233.
24. Abā Nūb, ex Nahīsah oriundus, martyr, p. 233; — Simeon, patriarcha Alexandriae, p. 234.
25. Thecla apostola, martyr, p. 236; — commemoratio consecrationis ecclesiae sancti Mercurii, p. 238; — 'Andūnyā martyr, p. 238; — Abū Isaacus, ex Šamamā oriundus, martyr, p. 238; — sancta Liāryā, martyr, p. 239; — sanctae Theclah et Mūgī (vel Fūgī), martyres, p. 239; — 'Abkirǧūn, mart., p. 240; — Bālāmūn, ex cuius discipulis fuit s. Pacomius, p. 241.

26. Iosephus, faber lignarius, qui pater Christi vocatus est, p. 241; — Timotheus, Alexandriae patriarcha, p. 242.
27. Abā Mūn, ex Mareota oriundus, martyr, p. 243; — consecratio ecclesiae Abū Bafāmi, p. 243.
28. Maria Magdalena, p. 243.
29. Commemoratio annuntiationis, nativitatis et resurrectionis Christi, p. 244; — corporis Thaddaei apostoli translatio ad urbem Constantinopolim, p. 244; — Warašnūfah, martyr, p. 244.
39. Mercurius et Ephraemus, monachi aegyptii et martyres, p. 245.

XII. — Mensis mesrī.

1. 'Abālius, Iusti Graecorum imperatoris filius, martyr, p. 246.
2. Sancta Bāynasah, quae e vitii coeno ad bonam frugem se recepit, p. 247.
3. Simeon eremita, diuturna in summa columna commoratione clarus, p. 248.
4. Ezechias rex, p. 249; — David et fratres eius, qui martyrium in Sinǧār passi sunt, p. 251; — consecratio ecclesiae sancti Antonii in monasterio el-'Arabah, p. 251.
5. Iohannes, Iuliani apostatae miles, p. 251.
6. Sancta Yūlīṭah cappadox, martyr, p. 252.
7. Virginis Mariae nativitas eius patri praenuntiata, p. 252; — Petrus apostolus eiusque confessio de Christi divinitate, p. 253; — Timotheus, Alexandriae patriarcha, p. 254; — Isidorus antiochenus, martyr, p. 254.
8. Eleazarus senior et Ṣulūmiah uxor, eorumque liberi septem: Antom, Antonius, 'Uziā, Eleazarus, 'Aniānā, Māmūnā et Markallus, martyres, p. 255.
9. Abā 'Arī, martyr, p. 256.
10. Batrā (alias Matrā), martyr, p. 256; — Iohannes miles, martyr, p. 257.
11. Moyses, Ausīmi (alias Uasīmi) episcopus, p. 257.
12. Michael archangelus, p. 258; — regni christiani Constantini imperatoris initium, p. 259.
13. Christi Domini transfiguratio in monte Thabor, p. 259.
14. Insigne miraculum in urbe Alexandria temporibus patriarchae Theophili divinitus patratum, p. 260.
15. Sancta Mārīnā monacha, p. 262.
16. Assumptio corporis Virginis Mariae, p. 264.
17. Iacobus, ex pago Manǧūǧ oriundus, martyr, p. 264.
18. Alexander, patriarcha constantinopolitanus, p. 266; — Wādāmūn, martyr, p. 267.
19. Translatio corporis Abū Macarii Magni in Scete, p. 268.
20. Septem adulescentes Ephesini: Maximianus, Bāmūlanḥaros, Mardīmas, Iohannes, Constantinus, Antonius et Dionysius, temporibus Decii mortui, et ad vitam revocati Theodosio imperatore, p. 270.
21. Almae Dei Genitricis memoria, p. 271; — Irene, virgo nobilis prosapiae, martyrium passa et ad vitam revocata, p. 271.

22. Michaeas propheta, p. 273.
23. In urbe Alexandria, triginta martyrum milia, p. 274; — in urbe Antiochia, Damianus, martyr, p. 275.
24. Thomas, episcopus urbis Marġaš, confessor, p. 276; — Anbā Taklāhīmānūt aethiops, p. 277.
25. Bessario, monachus, miraculorum patrator, p. 277.
26. Moyses et soror eius Sarah, martyres, p. 279; — Agabii militis et Theclae monachae commemoratio, p. 279.
27. Maria armenia, martyr, p. 280; — Banāmon et soror eius Eudoxia, martyres, p. 280.
28. Patriarcharum Abrahami, Isaaci et Iacobi festum, p. 281.
29. Athanasius episcopus et duo servi Charismus ac Theobintus, martyres, p. 285; — translatio corporis sancti Abū Iohannis Curti in desertum Scetense, p. 286.
30. Malachias propheta, p. 288.

MENSIS PARVUS, QUI NASI APPELLATUR.

1. Eutychus, Iohannis evangelistae discipulus, martyr, p. 290; — Abšāy antiochenus, sancti Abbā Huri frater, martyr, p. 290.
2. Titus cretensis, ad quem Paulus apostolus unam ex suis epistulis scripsit, p. 291.
3. Raphaelis angeli commemoratio, p. 292; — Andrianus et uxor eius Yūliṭah, martyres, p. 293.
4. Anbā Bīman aegyptius, monachus, p. 294; — Liberius, papa Romae, p. 295.
5. Iacobus, Miṣri episcopus, p. 295; — Amos propheta, p. 296; — Barsūmā, ex Miṣro oriundus, monachus et miraculorum patrator, p. 296; — exhortatio ad gratias Deo agendas, p. 299.

INDEX ALPHABETICUS COMPLECTENS NOMINA PERSONARUM ET LOCORUM QUAE IN UTRAQUE PARTE SYNAXARII OCCURRUNT.

CORRIGENDA

Pag. 19, l. 6, pro Bošons, lege Bašons ; pag. 93, l. 19, pro Arsinoen, Antinoen ; pag. 101, l. 16, pro Arsinoes, Antinoes ; pag. 135, l. 9, pro el-Ešmūein, el-Ešmūnein.

---

252 / Syr.110. A. de Halleux, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection*, 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 164 p. — V : vol. 253. Cfr vol. 200, 214, 254.
253 / *Syr.111.* A. de Halleux, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection*, 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 171 p. — T : vol. 252. Cfr vol. 201, 215, 255.
254 / Syr.112. A. de Halleux, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 108 p. — V : vol. 255. Cfr vol. 200, 214, 252.
255 / *Syr.113.* A. de Halleux, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 124 p. — T : vol. 254. Cfr vol. 201, 215, 253.
256 / Subs., 24. J. Molitor, *Synopsis Latina Evangeliorum Ibericorum Antiquissiorum secundum Matthaeum, Marcum, Lucam desumpta e codicibus Adysh, Opiza, Tbeth necnon e Fragmentis Biblicis et Patristicis quae dicuntur Chanmeti et Haemeti.* 1965. vi-301 p.
257 / Syr.114. W. Thomson, *Athanasiana Syriaca.* I, 1. *De Incarnatione.* 2. *Epistula ad Epicteum.* 1965. xii-91 p. — V : vol. 258.
258 / *Syr.115.* W. Thomson, *Athanasiana Syriaca.* I, 1. *De Incarnatione.* 2. *Epistula ad Epicteum.* 1965. i-71 p. — T : vol. 257.
259 / Aeth.49. S. Kur, *Actes de Iyasus Mo'a abbé du couvent de St-Etienne de Ḥayq.* 1965. ii-60 p. — V : vol. 260.
260 / *Aeth.50.* S. Kur, *Actes de Iyasus Mo'a abbé du couvent de St-Etienne de Ḥayq.* 1965. xvi-52 p. — T : vol. 259.
261 / Aeth.51. *3* C. Conti Rossini col concorso di L. Ricci, *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yāʿqob (Maṣḥafa Berhān)*, II. 1965. 186 p. — V : vol. 262. Cfr vol. 250.
262 / *Aeth.52.* *3* C. Conti Rossini col concorso di L. Ricci, *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yāʿqob (Maṣḥafa Berhān)*, II. 1965. 103 p. — T : vol. 261. Cfr vol. 251.
263 / Iber.15. G. Garitte, *Traités d'Hippolyte sur David et Goliath, sur le Cantique des cantiques et sur l'Antéchrist*, 1965. xii-124 p. — V : vol. 264.
264 / *Iber.16.* G. Garitte, *Traités d'Hippolyte sur David et Goliath, sur le Cantique des cantiques et sur l'Antéchrist*, 1965. iv-95 p. — T : vol. 263.
265 / Subs. 25. J. Molitor, *Glossarium Ibericum supplementum in Epistolas Catholicas et Apocalypsim antiquioris versionss.* 1965. II-122p. Cfr vol. 228, 237 et 243.
266 / Subs. 26. A. Vööbus, *History of the School of Nisibis*, 1966. xvii-352 p.
267 / Subs., 27. J. Blau, *A Grammar of Christian Arabic based mainly on South-Palestinian Texts from the First Millennium*, Fasc. I : §§ 1-169. 1966. ii 255 p. Cfr vol. 276.
268 / Copt.33. K. H. Kuhn, *A Panegyric on John the Baptist*, 1966. xxi-86 p. — V : vol. 269.
269 / *Copt.34.* K. H. Kuhn, *A Panegyric on John the Baptist.* 1966. ii-69 p. — T : vol. 268.
270 / Syr.116. Ed. Beck, *Des Heiligen Ephraem des Syrers. Sermo de Domino Nostro*, 1966. ii-55 p. — v. vol. 271. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212 218, 223 240, 246, 248.
271 / *Syr.117.* Ed. Beck, *Des Heiligen Ephraem des Syrers. Sermo de Domino Nostro*, 1966. ii-56 p. — T : vol. 270. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224, 247, 249.
272 / Syr.118. W. Thomson, *Athanasiana Syriaca*, II, 1. *Homily on Matthew 12, 32.* 2. *Epistola ad Afros.* 3. *Tomus ad Antiochenos.* 4. *Epistola ad Maximum.* 5. *Epistola ad Adelphium.* 1967. vii-58 p. — V : vol. 273. Cfr vol. 257.
273 / *Syr.119.* W. Thomson, *Athanasiana Syriaca*, II, 1. *Homily on Matthew 12, 32.* 2. *Epistola ad Afros.* 3. *Tomus ad Antiochenos.* 4. *Epistola ad Maximum.* 5. *Epistola ad Adelphium.* 1967. i-49 p. — T : vol. 272. Cfr vol. 258.
274 / Arab.24. J.C.J. Sanders, *Ibn Aṭ-Ṭaiyib, Commentaire sur la Genèse.* 1967. iv-104 p. — V : vol. 275.
275 / *Arab.25.* J.C.J. Sanders, *Ibn Aṭ-Ṭaiyib, Commentaire sur la Genèse.* 1967. v-106 p. — T : vol. 274.
276 / Sub.28. J. Blau, *A Grammar of Christian Arabic based mainly on South-Palestinian Texts from the First Millennium*, Fasc. II : §§ 170-368. 1967. 257-468 p. Cfr vol. 267.
277 / Aeth.53. V. Arras, *Patericon Aethiopice*, 1967. ii-242 p. — V : vol. 278.
278 / *Aeth.54.* V. Arras, *Patericon Aethiopice*, 1967. ii-200 p. — T : vol. 277.
279 / Sub.29. J. Blau, *A Grammar of Christian Arabic based mainly on South-Palestinian Texts from the First Millennium*, Fasc. III : §§ 369-535, 1967. 469-668 p. Cfr vol. 267, 276.
280 / Sub.30. J. Molitor, *Glossarium Latinum-Ibericum-Graecum*, 1967. vi-252 p.
281 / Aeth.55. J. Hofmann, *Die Äthiopische Übersetzung der Johannes-Apokalypse*, 1967. xvii-182 p. — V : vol. 282.
282 / *Aeth.56.* J. Hofmann, *Die Äthiopische Übersetzung der Johannes-Apokalypse*, 1967. xii-163 p. — T : vol. 281.
283 / Sub.31. L. Leloir, *Citations du Nouveau Testament dans l'ancienne tradition arménienne.* I, A. *L'évangile de Matthieu*, I-XII, 1967. xiii-184 p.